FELICIS AVELLAR BROTERI,

EQ. SAC. ORD. DIV. BEN. AV., DOCT. M. AC PHIL.,
BOTAN. ET AGR. IN ACAD. CONIMB. PROF. ORD.,
SOCIET. LINN. LONDIN. ET ALIARUM SODALIS,

FLORA LUSITANICA,

SEU

PLANTARUM, QUAE IN LUSITANIA VEL SPONTE CRESCUNT, VEL FREQUENTIUS COLUNTUR, EX FLORUM PRAESERTIM SEXUBUS SYSTEMATICE DISTRIBUTARUM, SYNOPSIS.

PARS I.

OLISSIPONE.
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M.DCCC.IV. 1804

Regia Facultate.

Prostat Olissip. *In eadem Typographia,*
Et apud Franc. Tavares,
Et Petr. Jos. Rey.
Paris. apud *Petr. Theoph. Barrois.*

PRAEFATIO.

LUsitania hodierna, seu Portucallia, extremo in occidentali Europae tractu, inter 9-12 long., necnon inter 37-42 lat. gr., sita est. Illam a septentrione Callaecia Lucensis, ab austro et occasu Oceanus Atlanticus, ab Oriente Baetica aliaeque Hispanicae terrae ambiunt. Algarbia, Transtagana, Extremadura, Beira, Duriminia seu Interamnia, et Transmontana, ejus Provinciae, fontibus et amnibus innumeris fluviisque magnis undique irrigantur, inter quos Anas, Calipus, Tagus, Munda, Durius, et Minius longe navigabiles, celeberrimi. Felici coeli temperie fruitur: ejus solum varium, argillosum, calcarium, sabulosumve, istorumque differentiae innumerae: ex australiori Beira ad Algarbia per aliquot a mari leucas saepius calcarium, uti ejus colles saepius marmorei: ad aquilonem aquosius, montosius; ibique ejus montes schistosi, cotarii, granitici: nonnulli subalpini, quale Herminium, *Serra da Estrella* vulgò, in Beira; Juressum, vulgò *Gerez*, in Duriminia; Maranus et alii in Transmontana; ubi Germaniae et

Alpibus proprias non paucas fert stirpes; uti ad austrum, maxime in Algarbiis, quasdam tam Italiae et Graeciae, quàm Africae septentrionalis Asiaeque minoris, indigenas sponte edit, ultra quas passim quamplurium sibi privarum nimis ferax.

Harum paucas, quas festinante gradu observaverat, olim Clusius primus descripsit. Postea Gabr. Grisley, cum sex ferme per lustra totam Lusitaniam peragravisset, earum extensum catalogum, sub *Viridarii Lusitanici* titulo, edidit. In hoc nullam systematicam, tantùm verò abecedariam dispositionem secutus est; in Botanicorum scriptis non satis versatus plures pro non descriptis habuit plantas, quae jam ab aliis Botanicis notae et descriptae erant, nec tamen unicam descripsit; nomina specifica, quae protulit, nimis manca et incondita; exoticas, quae in parvo horto pharmacico Olissiponensi, ad *Xabregas* sito, et aliis tunc colebantur, cum spontaneis promiscuit, nulla distinctionis nota addita, nec etiam ulla locorum, in quibus indigenas detexerat, mentione facta; interdum uni eidem speciei duo nomina, sub numeris diversis, imposuit: unde miserrimum opus, et saepe ab intelligentia disjunctum, quod li-

cet

cet a Vandellio Linnaeanis nominibus nuper illustratum, hoc tantùm in notissimis, nec in eisdem semper accuratè. Magnus Tournefortius etiam Lusitaniam olim invisens, ibi aliquas detexit species et ad genera sua diligenter retulit; at ipsas nec descripsit, nec phrasibus specificis complete distinxit, silentio semper praetermissâ locorum habitatione, interdumque nonnullas, quae pariter in Gallia meridionali et alibi sponte crescebant, pro Lusitaniae tantùm propriis habuit. Vandellius, Beira meridionali Extremaduraque obiter prospectis, quoddam Florae Lusitanicae Specimen evulgavit, in quo vix nonnulla plantarum generica et trivialia Linnaeana nomina, secundum ejusdem Botanici sexuale systema digesta, reperiuntur; nulla locorum, in quibus ipsae occurrant, data notitia: quid de hoc pauperrimo opusculo sentiendum, judicent alii; illud tamen mihi nil adfuisse fateor. Clariss. LaMarckius in suo Dict. Botanico de quibusdam etiam Lusitaniae propriis, quae in Herbariis Parisiensibus asservantur, egit; et eas tantùm fideliter, quantùm ex plantis siccis fieri potest, reddidit.

Cùm autem horum Autorum labores

ad Floram Lusitanicam, qua res herbaria indigebat, firmiter convenienterque ponendam, perpaucos, nimis vagos, et incompletos esse ducerem; totam Lusitaniam provinciatim perlustrare et quotascunque species vegetabiles ipsa ferret de integro investigare, novas et minus cognitas describere, omnesque in systema distribuere, mihi proposui. Neque ab hoc consilio in Transtagana latronum insidiae, nec morbi quorundam locorum endemii, non vallium nonnullarum palustriumque solum insalubre, neque Juressi, Herminii aliorumque montium asperrima, non mille vitae incommoda periculaque, nec tandem mihi ultra modum propriae impensae deterruerunt.

Quas vero in itineribus aliquot per annos habitis collegeram plantas, in novum systema disposui, cujus undecim Classes ab antherarum fertilium, Ordinesque ab stylorum, hisque deficientibus, ab stigmatum numero, desumpsi: ad Classem autem extremam amandavi vegetabilia, quorum sexualia organa nimis irregularia, clandestina, imo et in aliquibus dubia atque a nonnullis Botanicis negata; hanc in Ordines quatuor, prout Linnaeus, dispertitus sum. Aliquos minimos Fungos,

gos, in ultimis regni vegetabilis confiniis positos praetermisi; in posterum de illis agere instituens, cum mihi plus otii, quàm nunc, fuerit ad illos accuratius observandos et ad vera mittendos genera, quae usque adhuc nimis vagis characteribus vacillant.

Quantùm ad novum systema spectat, etsi numerum partium floris, quem pro supremis statuendis divisionibus delegi, variationi obnoxium neque universali vegetabilium systemati stabiliendo sat congruum esse fatear; attamen non video, cur ipsorum artificiali systemati partiali, uni scilicet parvae regioni, uti Lusitaniae, accommodato, incongruus sit: staminum et pistillorum numerus in aliquorum Ordinum naturalium, imo etiam in plurimorum artificialium generibus constans est; si verò in aliquibus interdum varius, et hoc imperfectionis quidpiam systemati in ipso stabilito addit, numne ullum est ab omni parte perfectum? Nunquid in re herbaria genera non erunt admittenda eo ipso, quòd raro observetur ullum, in quo pars aliqua fructificationis non aberret? Has leves aberrationes, seu anomalias, quae in paucis novi systematis occurrunt, modo, quo Linnaeus in suo similes,

les, sustuli. Cùm plantarum genera, quae in Lusitania reperiuntur, pauca sint, ad illa totius nostri planetae terrestris ratione habita, paucos ideo ordines institui; si autem in istis sectiones nonnunquam plures adsunt, processus tamen ad plantam usque quaesitam non difficilis, modò benè ipsarum notae characteristicae perpensae sint.

Ne in magnam molem cresceret opus, raro speciebus synonyma subjunxi, saepe nomen tantùm Linnaei, aut alius nuperi Botanici systematici, qui de eadem, qua ego hìc, plantâ ejusque synonymis egerat, commemorare contentus. Illae, in quibus nullius autoris interdum mentio fit, novae species á me detectae. Usus medicos et oeconomicos, partim ob suprà relatum, partim quoniam de ipsis seorsim pertractare mihi in animo destinatum, nunc silentio praeterii: hùc adde, quòd de multarum usibus, ex dato earum nomine, quamplurimi autores medici et oeconomici, qui de ipsis disseruerunt, facile consuli possint.

In cujusque regionis Flora recentiores Botanicos tantùm de plantis indigenis, atque indigenatu donatis, agere solere fateor; sed cùm ab agronomis, meis conterra-

raneis, rogarer, ut spontaneis et indigenatu donatis etiam cultas, in rei agrariae Lusitanicae bonum, adjungerem, ipsorum voluntati obsequi mei muneris esse duxi; proinde illas adjeci, et asterisco (*) verboque *Colitur*, indigenas autem et quasi spontaneas verbo *Habitat*, distinxi.

Characteres Generum Specierumque Linnaeanos non semel mutavi et correxi; cùm experientia teste, postquam adeo numerosa Genera nova et Species á recentioribus Botanicis detectae fuerunt, ipsi characteres tot mendis laborent, quot, aut plures, Linnaeus olim Tournefortianis inseruit. Nec pauca adhuc incorrecta reliqui, quae posteri corrigent; non enim in praesantiarum rei herbariae sors me fallit, quae, etsi quasi infans vix ex incunabulis vacillanter egressa, summum ferè perfectionis gradum á non paucis attigisse tam falsò existimatur.

Nonnullas species addidi, quarum notitiam Cl. Henr. Frid. Link, Professor Rostochiensis, Botanicus acutissimus, necnon Academiae Patriaeque suae decus eximium, mecum benevole communicare voluit, dum quoque ob Florae amorem Lusitaniam percurrebat. Alias etiam adjunxi, quarum copiam mihi benigne fe-

cit Ill. Comes de Hoffmansegg, rerum naturalium per aliquot annos in Lusitania scrutator indefessus, Vir generosus, acri praeditus ingenio, Saxonum ornamentum, omnibusque meis laudibus maior. In perenne vero meae gratitudinis monumentum, stirpes, quarum notitiam unice istis Clar. Viris debueram, quoties retuli, illas semper inclytis eorum nominibus consignavi.

Facere hic quoque non possum quin maximas referam gratias Cl. Ant. Ios. Nevesio, olim Botanices demonstratori apprime intelligenti, meaeque praxis herbariae alumno diligentissimo; quippe qui non observationes solùm accuratas suas mecum amiciter participavit, verùm in autographis etiam meis digerendis auxiliatricem manum praestitit.

Non pauca hìc adhuc, quae in sinu suo feracissima Lusitania celat, vegetabilia desiderari ingenue fateor; at ea in posterum pro viribus scrutare et Botanicis palam facere satagam. Nec etiam iconibus novas et minus cognitas stirpes hìc relatas illustrari debuisse negabo; sed cùm perito delineatore nunc caream, ipsas in mea Lusitaniae Phytographia post eà edere curabo.

AU-

AUTORES

IN HOC OPERE CITATI.

Ait. Hort. Kew. Hortus Kewensis, or a Catalogue of the plants cultived in the Royal Botanic Garden, at Kew, by William Aiton. *Lond.* 1789. 3 vol. in 8.°

Allion. Fl. Pedem. Flora Pedemontana, Autore Carol. Allionio. *Augustæ Taurinorum.* 1785. 3 vol. in fol.

Barrel. Icon. Jac. Barrelieri Plantæ per Galliam, Hispaniam et Italiam observatæ, curâ Ant. de Jussieu editæ. *Parìs.* 1714. 2 vol. in fol.

Bauh. Pin. Caspari Bauhini Pinax Theatri Botanici *Basil.* 1671. in 4.°

Bauh. Hist. Pl. Historia Plantarum universalis, Joh. Bauhini et Joh. Henr. Cherleri. *Ebroduni.* 1650-51. 3 vol. in fol.

Besl. Eyst. Bas. Besleri Hortus Eystettensis. *Norimb.* 1613. in fol. max.

Breyn. Cent. Jac. Breynii Centuria 1.ª Exoticorum et minus cognitarum plantarum. *Gedani* 1739. in 4.º

Broter. Phyt. Lusit. Fel. Avellar Broteri Phytographia Lusitaniæ selectior. *Olissipone* 1801. Fasc. 1. in fol.

Cavan. Dissert. Monadelphiæ Classis Dissertationes decem, Autore Ant. Jos. Cavanilles. *Matriti* 1790. 2 vol. in 4.º

Cavan. Icon. Ejusd. Icones et Descriptiones Plantarum, quæ aut sponte in Hispania crescunt aut in hortis hospitantur. *Matriti* 1791, et seq. 6 vol. in fol.

Clus. Hist. Car. Clusii rariorum Plantarum Historia. *Antuerp.* 1601. 2 vol. in fol.

Ejusd. Curæ posteriores. *Antuerp.* 1611. fol.

Curtis Fl. Lond. Flora Londinensis, by William Curtis. *Lond.* 1776. fol.

Cyrill. Neapol. Dom. Cyrilli Plantarum rariorum Regni Neapolitani Fasciculi. *Neap.* 1788. fol.

Des Font. Flor. Atl. Renati Des Fontaines Flora Atlan-

Atlantica. *Paris* Ann. VIII. R. P. G. 4 vol. et seq. in 4.° m.

Dicks. Cryptog. Jacob Dickson Fasciculi Plantarum Cryptogamicarum Britanniæ. *Lond.* 1785. et seq. in 4.°

Dill. Elth. Joan. Jac. Dillenii Hortus Elthamensis. *Lond.* 1732. 2 vol. in fol.

Dill. Musc. Ejusdem Historia Muscorum. *Oxon.* 1741. in 4.°

Flor. Dan. Icones Plantarum sponte nascentium in Regnis Daniæ et Norvegiæ, editæ a G. Chr. Oeder, Oth. Frid. Muller, et Mart. Vahl. *Hafn.* 1761. et seq. plur. vol. in fol.

Gaert. Sem. Jos. Gaertner de Fructibus et Seminibus Plantarum. *Stugardiæ.* 1788.-1791. 2 vol. in 4.°

Gerard. Prov. Lud. Gerardi Flora Gallo-Provincialis. *Paris.* 1761. in 8.°

Gmel. Fuc. Sam. Gottlib. Gmelin Historia Fucorum. *Petrop.* 1768. in 4.°

Gouan Illustr. Ant. Gouan Illustrationes et Observationes Botanicæ. *Tiguri.* 1773. fol.

Grisl. Vir. Lusit. Gabr. Grisley Viridarium Lusitanicum. *Olisip.* 1789. in 8. p.

Hedw. Stirp. Crypt. Stirpes Cryptogamicæ novæ et dubiæ iconibus adumbratæ a Io. Hedwigio. *Lips.* 1785. et seq. 4 vol. in fol.

Hoffm. Enum. Lich. Enumeratio Lichenum, iconibus et descriptionibus illustrata a Georg. Franc. Hoffman. *Erlang.* 1784. in 4.°

Hoffm. Lich. Ejusd. Descriptio et adumbratio Plantarum é Classe Cryptogamia Linnæi, quæ Lichenes dicuntur. *Lips.* 1790. et seq. 2 vol. fol.

Jacq. Ic. Rar. I. Jacquin Icones Plantarum rariorum. *Vindob.* 1781.-1793. 3 vol. fol.

Jacq. Hort. Vind. Ejusd. Hortus Botanicus Vindobonensis. *Vindob.* 1770.-76. 3 vol. in fol.

Jacq. Fl. Austr. Ejusd. Flora Austriaca. *Viennæ.* 1773.-78. in fol.

Jacq. Obs. Ejusd. Observationes Botanicæ. *Viennæ.* 1764. et seq. in fol.

Journ. de Phys. Journal de Physique par Mr. de la Methrie. *París.* 1799. et seq. in 4.º

Juss. Gen. Ant. Laur. de Jussieu Genera Plantarum, secundum Ordines naturales disposita, cum notis Pauli Usteri. *Turici.* 1791. in 8.º

Krock. Siles. Ant. J. Krocker Flora Silesiaca. *Uratislaviæ.* 1787. et seq. 3 vol. in 8.º

La Marck Dict. Enc. Dictionaire Botanique dans l'Encyclopedie Methodique, par Mr. de la Marck *París.* 1783. et suiv., *plusieurs* vol. in fol.

La Marck Illustr. Illustrations des Genres, ou Exposition des caractéres de tous les Genres de plantes, par Mr. de la Marck. *París.* 1791. et suiv. *plus.* vol. in fol.

Linn. Gen. Pl. Caroli á Linné Genera Plantarum, edit. 8.ª, curante Joh. Christ. Schreber. *Erlang.* 1789.-91. 2 vol. in 8.º

Linn. Syst. Veg. ed. Murr. Ejusd. Systema Vegetabilium, editio 14.ª, curante J. A. Murray. *Gottingæ.* 1784. in 8.º

Linn.

Linn. System. Veg., *ed. Gmel.* Ejusd. Systema Vegetabilium, edit. 15.ª, cura Io. Frid. Gmelin. *Lips.* 1791. 2 vol. in 8.º

Linn. Spec. Plant., *ed. Reich.* Ejusd. Species Plantarum, ed. 4.ª, curante J. Jac. Reichard. *Francofurti ad Mœn.* 1779. et seq. 4 vol. in 8.º

Linn. Spec. Plant. ed. Willd. Ejusd. Species Plantarum, ed. 5.ª, post Reichardianam, curante. Car. Lud. Willdenow. *Berolini.* 1797. et seq. 5 vol. in 8.º (*Reliqua adhuc recudenda.*)

Linn. Suppl. Supplementum Plantarum Systematis Veget., edit. XIII., et Gener edit. II., editum a Car. Linné filio. *Brunswigæ.* 1781. in 8.º

Lœffl. It. Loefflingii Iter Hispanicum. *Holm.* 1758. in 8.º

Mich. Gen. Petr. Ant. Micheli Nova Plantarum Genera. *Florent.* 1729. in fol.

Mill. Dict. Phil. Miller's Gardener Dictionary (ed. 8.ª). *Lond.* 1768. fol.

Moris. Hist. Pl. Roberti Morison Historia Plantarum Universalis. *Oxon.* 1680. et seq. 3 vol. in fol.

Plu-

Pluken. Op. Leonardi Plukenettii Opera omnia Botanica, scilicet, Phytographia, Almageston & Amaltheum Botanicum, cum ejus Mantissa. *Lond.* 1720. 6. vol. in 4.°, aut in fol.

Retz Obs. Bot. Andr. Jo. Retzii Observationes Botanicæ. *Lips.* 2779-91. Fasciculi 6. in fol.

Riv. Monop. et Pentap. Aug. Quir. Rivini Ordo Plantarum, quæ sunt flore irregulari monopetalo et pentapetalo. *Lips.* 1691-99. 2 vol. in fol.

Roth. Germ. Ant. W. Roth Tentamen Floræ Germanicæ. *Lips.* 1788-89. 2 vol. in 8.°

Roth Catal. Bot. Ejusd. Catalecta Botanica, quibus plantæ novæ et minus cognitæ describuntur atque illustrantur. *Lips.* 1797, et seq. 2 vol. in 8.°

Salisb. Hort. Prodromus stirpium in Horto ad Chapel Allerton vigentium, autore Ric. Ant. Salisbury. *Lond.* 1796. in 8.°

Scaff. Fung. Joh. Christ. Scaffer Historia Fungorum Bavariæ. *Ratisb.* 1762-74. 4 vol. in 4.°

Schmied. Icon. Icones Plantarum et analyses partium æri incisæ, atque vivis coloribus insignitæ, quas composuit Casim. Christoph. Schmiedel. *Norimb.* 1747. in fol.

Schreb. Gram. Joh. Christ. Schreber Beschreibung der Graser. *Lips.* 1769. et ſeq. in fol.

Scop. Carn. Jo. Ant. Scopoli Flora Carniolica, edit. 2.ª *Viennæ* 1772. 2 vol. in 8.°

Scop. Insubr. Ejusd. Deliciæ Floræ et Faunæ Insubricæ Partes III. *Ticini* 1786-88. in fol.

Tourn. Inst. R. H. J. P. Tournefort Institutiones Rei Herbariæ. *Paris.* 1703. 3 vol. in 4.°

Vahl Symb. Bot. Mart. Vahl Symbolæ Botanicæ Pars I.-III. *Hafniæ.* 1790-94. in fol.

Vaill. Paris. Sebast. Vaillant Botanicon Parisiense. *Leid. et Amst.* 1727. in fol.

Villars Delph. Histoire des Plantes de Dauphiné, par Mr. Villars. *Grenoble.* 1786-87. 2 vol. in 8.°

CLASSIS I.

MONANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

1. CHARA. . . . . . *Masc.* : cal. o ; cor. o ; anthera sessilis, globulosa, extra fœminei calycem, ipsique sæpius inferne contigua.

Fœm. : cal. 3-4-phyllus ; cor. o ; styl. o, stig. stellula obsoleta ; bacca spiraliter striata, 1-locularis, polysperma (1).

ORDO II.

DISTYLIA.

2. CALLITRICHE. . Cal. o ; cor. 2-petala ; caps. compressa, 4-sperma ; sem. membranaceo-marginata (2).

(1) Utrum fœcundatio fiat intra integumentum germinis pari modo ac in Pilularia, & quæ anthera creditur integumento non dehiscenti tecta, intusque pulpa albida repleta, glandula sit, & ideo Genus ad Cryptantheriam amandandum, adhuc inter Botanicos problemmaticum.

(2) *Nonnumquam flores monoici : masculi in superiori parte, fœminei aut hermaphroditici inferiori : aliquando fœminei masculis oppositi.*

ORDO III.

POLYSTYLIA.

3. ZANNICHELLIA. Flores monoici, apetali.
Masc.: cal. o.

Fœm.: cal. 1-phyllus, campanulatus; sem. 4-8, stylo persistenti coronata.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

1. CHARA.

Masc.: cal. o; cor. o; anthera sessilis, globulosa, extra fœminei calycem, ipsique sæpius inferne contigua.

Fœm.: cal. 3-4-phyllus; cor. o; styl. o, stig. stellula obsoleta; bacca spiraliter striata, 1-locularis, polysperma.

1. CHARA *vulgaris.* Linn.

C. Caulibus lævibus, ramulis verticillatis, interne dentatis.

Habitat in stagnis *Serra da Arrabida*, & pigris aquis maritimis *Costa da Trafaria*, & prope Conimbricam in aquæductu sinistro ad stagnum *Quinta das Lagrimas* et alibi. Floret Junio & Æstate. Annua. *Planta fœtida*, *fragilis*.

ORDO II.

DISTYLIA.

2. CALLITRICHE.

Cal. o; cor. 2-petala; caps. compressa, 4-sperma; sem. membranaceo-marginata.

1. CALLITRICHE *verna.* Linn.

C. Foliis superioribus ovalibus, apice integris: capsula sessili.

Hab. in stagnis, rivulis & udis trans Tagum, circa Olisipon., Conimbricam et alibi. Perennis.

2. CALLITRICHE *autumnalis*. Linn.

C. Foliis omnibus linearibus, apice bifidis; caps. pedunculata (*a*).

Hab. ibidem cum præced. Peren.

ORDO III.

POLYSTYLIA.

3. ZANNICHELLIA.

Flores monoici, apetali. *Masc.*: cal. o. *Fœm.*: cal. 1-phyllus, campanulatus; sem. 4-8, stylo persistenti coronata.

1. ZANNICHELLIA *palustris*. Linn.

Z. Foliis gramineis, setaceis: capitulis ad alas trifidis.

Hab. in rivulis inter *Belém* & *Paço d'Arcos*, & prope Conimbricam ad stagnum *Quinta das Lagrimas*, etsi rarissime. Flor. Æstate. Ann.

CLAS-

(*a*) Absque dubio sunt veræ species, alia *latifolia*, foliis ovalibus, caps. subsessili; alia *angustifolia*, foliis linearibus, caps. pedunculata: florent autumno & vere. Secundum Cl. Sibthorpium sunt varietates ejusdem speciei, quam *Callitr. - aquaticam* nominat. Flores non raro in utraque specie monoici, etsi interdum in C. *autumnali* hermaphroditi occurrant.

CLASSIS II.

DIANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Germine supero: corolla monopetala, regulari.*

4. OLEA. . . . . . . Cor. 4-fida. Drupa 1-sperma.
5. PHILLYREA. . . Cor. 4-fida. Bacca 1-sperma.
6. LIGUSTRUM. . . Cor. 4-fida. Bacca 4-sperma. (1)
7. SYRINGA. . . . . Cor. 4-fida. Capsula compressa, lanceolata, 2-locularis, 2-valvis.
8. JASMINUM. . . . Cor. 5-fida. Bacca 2-sperma (2).

** *Germine supero : corolla monopetala, irregulari; fructu angiospermo.*

9. VERONICA. . . . Cal. 4-5-partitus: cor. limbo 4-partito, lacinia infima angustiore : caps. 2-locularis, apice emarginata.

10.

(1) Aliis botanicis: *antrum duplicatum, 2-loculare, 4-spermum.*

(2) Schrebero, *bacca 2-locularis, sive 2-capsularis*: Jussiæo, *bacca 2-locularis aut 2-cocca, loculis aut coccis 1-spermis; semina arillata. Aliis, antrum duplicatum, 1-loculare, baccas includens.*

10. GRATIOLA. . . . Cal. profunde 5-partitus, basi bibracteatus: cor. 4-fida, resupinata: stam. 4; 2-sterilia: capsula 2-locularis.

11. PINGUICULA. . Cal. 2-labiatus, 5-fidus: cor. ringens, calcarata: caps. 1-locularis.

12. UTRICULARIA. Cal. 2-phyllus, æqualis: cor. ringens, calcarata: caps. 1-locularis.

*** *Germine supero: corolla monopetala, irregulari: fructu gymnospermo.*

13. LYCOPUS. . . . . Cal. tubulosus, 5-fidus: cor. 4-fida, lacinia unica emarginata: stam. distantia: sem. 4, retusa.

14. ROSMARINUS. Cal. 2-labiatus; labium superius integrum, inferius 2-fidum: cor. 2-labiata, labio superiore bipartito: filamenta simplicia cum dente.

15. SALVIA. . . . . . Cal. 2-labiatus; labium superius 2-dentatum, infer. 3-fidum: cor. 2-labiata: filamenta transverse pedicello affixa.

**** *Germine supero: corolla nulla.*

16. SALICORNIA. . Cal. ventriculosus: sem. 1.

***** *Germine infero: stamina floris receptaculo inserta.*

17. CIRCÆA. . . . . Cal. 2-phyllus : cor. 2-petala : caps. 2-valvis, 2-locularis, versus apicem dehiscens, dissepimento extante.

****** *Germiue infero*: *stamina pistillo inserta.*

GYNANDRIA DIANDRIA. *Linn.*

18. ORCHIS. . . . . Corollæ petalum inferius (seu nectarium *Linn.*) valde lobatum, basi postice calcaratum.

19. SATYRIUM. . . Corollæ petalum inferius (seu nectarium *Linn.*) longum, angustum, basi postice appendiculo scrotiformi, seu calcare brevissimo, ad ortum coarctato, instructum.

20. OPHRYS. . . . . Cor. petalum inferius (seu nectar. *Linn.*) dependens, lobatum, supra rima longitudinali instructum, subtus subcarinatum.

21. SERAPIAS. . . . Cor. petalum inferius (seu nectar. *Linn.*) ovatum, integrum, acutum, (in nostris vomeriforme) intus concavum, extus gibbum : caps. fenestrata.

SECTIO II. DICLINA.

* *Floribus monoicis.*

22. LEMNA. . . . . . *Masc.*: cal. 1-phyllus, late-

tere vel superne dehiscens: cor. o.

Fœm.: cal. et cor. ut in masc.: capsula globoso-compressa, 1-locularis (1).

** *Floribus dioicis.*

23. SALIX. . . . . . Amenti squamæ 1-floræ, imbricatæ: involucro coriaceo-squamoso e gemma: cor. o.

Masc.: glandula baseos nectarifera, vel simplex vel duplex in centro floris.

Fœm.: stigmata duo, 2-fida, vel simplicia: caps. 1-locularis, 2-valvis, valvulis revolutis: sem. basi pappo simplici cincta.

*** *Floribus polygamis.*

24. FRAXINUS. . . . Cal. o: cor. o (2).

Hermaphr.: pericarpium superne foliaceum, 1-loculare: sem. 1, lanceolatum, albumine coriaceo.

Fœm.: omnia ut in hermaph.

OR-

---

(1) Laichardingius capsulam invenit 1-2-locularem, 1-2-spermam. Ehrhartus & Hedwigius flores hermaphroditicos observarunt. Cl. Gaertner ad Cryptogamicas refert. Ex observationibus autem recentioribus vere monoica est.

(2) Linnæus Fraxinum Polygamiam-Diœciam intrare jussit; ast

ORDO II.

DISTYLIA.

25. ANTHOXANTHUM. Cal. gluma 2-valvis, 1-flora; valvula interiore majore: cor. 2-valvis, aristata, arista reflexa: nectarium 2-phyllum.

in Fr. *excelsiori* fœmina semper interpositos hermaphroditicos gerit flores, sicuti hermaphroditica fœmineos. Cl. Jussiæus capsulam planam, linguæformem, at recentiores pericarpium samaram-appellant post Plinium. Frax. *Ornus* non planta diclina; calyce 4-partito, & corolla 4-petala prædita.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

4. OLEA.

Cor. 4-fida. Drupa 1-sperma.

1. OLEA *Europæa.*
   O. Foliis lanceolatis, integerrimis; ramis teretiusculis. *Linn.*
   Lusit. *Oliveira.*
   Var. *sylvestris*, foliis tenuioribus; drupis minoribus.
   Lus. *Zambugeiro.*
   * Passim per Lusitaniam colitur: sylvestris autem prope oliveta, quæ ab incolis coluntur, sponte venit, nec alibi. Flor. Majo et Jun. Arbor (1).

5. PHILLYREA.

Cor. 4-fida. Bacca 1-sperma.

1. PHILLYREA *latifolia.*
   P. Foliis ovato-cordatis, serratis. *Linn.*
   Lusit. *Aderno.*
   Hab. in *Cintra*, *Thomar*, *Alcobaça*, etiam prope Conimbricam, *Bussaco*, et alibi in Beira. Flor. Jan.-Mart. Arbor.
2. PHILLYREA *angustifolia.*

P.

(1) Unde cum Fenestella facile crederem Oleam ante Tarquinium Priscum nec in Italia, nec in Africa, nec in Hispaniis omnino fuisse, sed ex Asia minori ad Græciam, et ex ista in Italiam aliaque Europæ meridionalis loca migrasse.

P. Foliis lineari-lanceolatis, integerrimis. *Linn.*
Lusit. *Lentisco bastardo.*
Hab. trans Tagum, in Extremadura et Beira. Flor. Jan.-Mart. Arbor.

3. PHILLYREA *media.*
P. Foliis ovato-lanceolatis, subintegerrimis. *Linn.*
Lusit. *Aderno.*
Hab. in *Cintra*, *Monte Mór o novo.* Flor. Jan. Febr. Arbor.
An varietas P. *latifoliæ*?

6. LIGUSTRUM.

Cor. 4-fida. Bacca 4-sperma.

1. LIGUSTRUM *vulgare.*
L. Foliis lanceolatis, acutis; paniculæ pedicellis oppositis. *Linn.*
Lusit. *Alfenheiro.*
Hab. prope Bragantiam ad vias, et prope *Sabor.* Flor. Maj. Jun. Frutex.

7. SYRINGA.

Cor. 4-fida. Capsula compressa, lanceolata, 2-locularis, 2-valvis.

1. SYRINGA *vulgaris.*
S. Foliis ovato-cordatis, integris. *Linn.*
Lusit. *Lilaz branco* et *roxo.*
* *Colitur* in hortis. Flor. a Febr. ad Mart. Frutex.
* *Variat floribus albis et cæruleis.*
* *Colitur* etiam, etsi rarius, Syr. *Persica.*

8. JASMINUM.

Cor. 5-fida. Bacca 2-sperma.

1. JASMINUM *officinale. Linn.*
J. Foliis oppositis, pinnatis; foliolis extimis distinctis.
Lusit. *Jasmineiro Gallego.*
* *Colitur* freq. in hortis. Flor. toto fere anno. Frutex.

2. JASMINUM *grandiflorum.*
J. Foliis oppositis, pinnatis; foliolis extimis confluentibus. *Linn.*
Lusit. *Jasmineiro de Italia.*
* *Colitur* freq. in hortis. Flor. toto fere anno. Frutex.

3. JASMINUM *fruticans.* Linn.
J. Foliis alternis, ternatis, simplicibusque; ramis angulatis: floribus luteis.
Lusit. *Jasmineiro do monte.*
Hab. ad sepes Conimbr. et Lusitaniæ borealis. Fl. æstate, et autumno. Frutex.
Coluntur etiam in calidioribus *J. Azoricum et odoratissimum.*

9. VERONICA.

Cor. 4-5-partitus: cor. limbo 4-partito, lacinia infima angustiore: caps. 2-locularis, apice emarginata.

* *Spicatæ.*

1. VERONICA *officinalis.*

V.

V. Spicis lateralibus, pedunculatis; foliis oppositis; caule procumbente. *Linn.*

Lusit. *Veronica de Allemanha*, *ou das Boticas*.

Hab. in *Serra da Lousãa*, *Miranda*, et alibi in Lusitania boreali. Fl. Maj. Jul. Per.

** *Corymboso-racemosæ.*

2. VERONICA *serpyllifolia.*

V. Racemo terminali, subspicato; caule repente; foliis ovato-subrotumdis, glabris, crenulatis. *Linn.*

Hab. prope *Porto*, in jugis *da Lousãa*, *Miranda*, et alibi in Lusitania boreali. Fl. Maj.-Jul. Per.

Nostra non differt á V. serpyllifolia Linn., *nisi habitu grandiori*; *foliis maioribus*, *ovato-subrotundis*, *subserratis*, *seu subcrenatis*: *caule superne*, *calyce et capsulis ad ora*, *subvillosis. Est V.* tenella *D. Vahl*; *bracteæ tamen pedunculis longiores.*

3. VERONICA *Beccabunga.*

V. Racemis lateralibus; foliis ovato-subrotundis, planis; caule repente. *Linn.*

Lusit. *Beccabunga.*

Hab. ad scaturigines inter *Campéam* et *Pezo da Regoa*, et alibi in Transmontana et Beira. Fl. Maj.-Jul. Per.

4. VERONICA *Anagallis.*

V. Racemis lateralibus; foliis lanceolatis, serratis; caule erecto. *Linn.*

Hab. in fossis, rivulis et locis innundatis; frequens circa Conimbricam. Fl. Apr.-Jul. Ann.

5. VERONICA *Teucrium.*

V. Racemis lateralibus, longissimis; foliis ovatis, ru-

rugosis, dentatis, obtusiusculis; caulibus procumbentibus. *Linn.*

Hab. in uliginosis prope Cœnobium Divi Antonii montis olivarum Conimbriæ, et alibi in Beira. Fl. Maj.-Jul. Per.

Nostra singularis est varietas, et fere species nova, floribus semper albis, caule adscendente, et habitu lanuginoso.

6. VERONICA *Chamædris.*

V. Racemis lateralibus; foliis ovatis, sessilibus, rugosis, dentatis; caule bifariam piloso. *Linn.*

Hab. in herbidis prope Bragantiam, et ad rivulos. Fl. Maj. Per.

Ex Cl. Com. Hoffmanseg.

Scopol. V.-Chamædrim et Teucrium in unam tantum speciem conjunxit; sed in V. Teucrio calyces sunt 5-fidi, in Chamæd. 4-fidi.

*** *Pedunculis unifloris.*

7. VERONICA *agrestis.*

V. Floribus solitariis; foliis cordatis, incisis, pedunculo brevioribus. *Linn.*

Hab. ubique in agris et arvis. Fl. æstate. Ann.

8. VERONICA *arvensis.*

V. Floribus solitariis; foliis cordatis, incisis, pedunculo longioribus. *Linn.*

Hab. ibidem. Fl. æstate. Ann.

9. VERONICA *hederæfolia.*

V. Floribus solitariis; foliis cordatis, planis, 5-lobis, 3-lobisque. *Linn.*

Hab. in macris Conimbriæ. Fl. æstate. Ann.

Hisce tribus speciebus calyces sunt 4-fidi.

10. VERONICA *triphyllos.*

V. Floribus solitariis; foliis digitato-partitis; pedunculis calyce longioribus. *Linn.*

Hab.

Hab. inter segetes prope *Chaves* et Bragantiam. Fl. Mart.-Apr. Ann.
Ex Cl. C. Hoffmanseg.

10. GRATIOLA.

Cal. profunde 5-partitus, basi bibracteatus: cor. 4-fida, resupinata: stam. 4, 2 sterilia: caps. 2-locularis.

1. GRATIOLA *officinalis.*
G. Foliis lanceolatis; floribus pedunculatis. *Linn.* Lusit. *Graciosa.*
Hab. innundatis et humentibus prope Conimbricam et *Pezo da Regoa*, et ad margines *Vouga* amnis. Fl. Maj.-Aug. Per.
Caules geniculati, foliosi; folia opposita, subamplexicaulia: flores axillares.

11. PINGUICULA.

Cal. 2-labiatus, 5-fidus: cor. ringens, calcarata: caps. 1-locularis.

1. PINGUICULA *Lusitanica.* Linn.
P. Corollæ labiis subæqualibus, laciniis omnibus emarginatis: nectarii basi lata, apice subclavato. *Brot. Phyt. Lus. Fasc.* 1. *n.* 1.
Hab. in uliginosis circa Conimbricam, *Bussaco*, *Miranda do Corvo*, et alibi in Beira et Extremadura. Fl. Maj. Ann.

12. UTRICULARIA.

Cal. 2-phyllus, æqualis: cor. ringens, calcarata: caps. 1-locularis.

1. UTRICULARIA *vulgaris.*
U. Nectario conico: scapo unifloro. *Linn.*
Hab. in fossis et paludibus prope *Aveiro* et *Porto.* Fl. Jun. et Jul. Per.
Folia densa, capillaria; vesiculæ radicularum purpurascentes: flores non raro 3 seu 4.

13. LYCOPUS.

Cal. tubulosus, 5-fidus: cor. 4-fida, lacinia unica emarginata: stam. distantia: sem. 4, retusa.

1. LYCOPUS *Europæus.*
L. Foliis sinuato-serratis, interdum pinnatifidis, glabris, villosisve. *Linn.*
Lusit. *Marroio d'agua.*
Hab. ad rivulos et in uliginosis Lusitaniæ mediæ, circa Conimbricam ad Mundam et alibi. Fl. Maj.-Aug. Per.

14. ROSMARINUS.

Cal. 2-labiatus; labium superius integrum, inferius 2-fidum: cor. 2-labiata, labio superiore bipartito: filamenta simplicia cum dente.

1. ROSMARINUS *officinalis.*

R.

R. Foliis sessilibus, linearibus, marginibus revolutis. *Linn.*

Lusit. *Alecrim.*

Hab. freq. in collibus calcareis in Transtagana, Beira, et alibi. Flor. toto anno, maxime æstate. Frut.

Variat foliis et floribus maioribus, præsertim circa Almeirim.

15. SALVIA.

Cal. 2-labiatus; labium superius 2-dentatum, infer. 3-fidum: cor. 2-labiata: filamenta transverse pedicello affixa.

1. SALVIA *verbenacoides.*

S. Foliis cordato-oblongis, crenatis, subsinuatis, aut pinnatifidis, rugosis: corollis calyce angustioribus; verticillis 6-floris: bracteis subcordatis. *Broter.*

Variat α, corollæ labiis remotis.
β, corollâ eâdem, spica acuta.
γ, corollæ labiis approximatis.
δ, corolla alba.

Hab. in collibus sabuloso-argillaceis, Olisipon., Conimbr., et alibi in Beira et Extremadura. Fl. vere et autumno. Per.

Media inter S. clandestinam et verbenacam Linn. *An earum varietas?*

2. SALVIA *sclareoides.*

S. Foliis radicalibus subcordatis, sive ovato-oblongis, acutiusculis, rugosis, bicrenatis, lanuginosis:

sis: verticillis 6-floris, viscidis: bracteis calyce brevioribus. *Broter.*

Hab. in collibus calcareis prope Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Jun. Jul. Perenn.

Adfinis S. viscosæ Cl. Jacquin.

3. SALVIA *Æthiopis.*

S. Foliis oblongis, erosis, lanatis: verticillis lanatis: corollæ labio crenato: bracteis recurvatis, subspinosis. *Linn.*

Hab. hinc inde in Trastagana. Flor. vere. Peren. *Ex Cl. C. Hoffmanseg.*

4. SALVIA *officinalis.*

S. Foliis lanceolato-ovatis, integris, crenulatis; floribus spicatis; calycibus acutis. *Linn.*

Lusit. *Salva das boticas.*

* Colitur in hortis frequens. Flor. vere. Suffr.

16. SALICORNIA.

Cal. ventriculosus: sem. 1.

1. SALICORNIA *herbacea.*

S. Caule patulo, articulis apice compressis, emarginato-bifidis. *Linn.*

Hab. ad salinas, piscinas, littora maritima prope Olisipon., *Setubal*, *Figueira*, et *Monte Mór o velho.* Fl. Jun.-Aug. Apud nos non Ann.

Variat articulis apice crassioribus, cylindricis, integris. Facile varietatem subsequentis esse crederem.

2. SALICORNIA *fruticosa.*

S. Caule erecto, articulis subæqualibus, obtusis: internodiis approximatis. *Linn.*

Hab. cum præcedenti, frequens ultra Tagum prope *Seixal*, *Piedade* et alibi Flor. Jun. Aug. Frut.

17. CIRCÆA.

Cal. 2-phyllus : cor. 2-petala : caps. 2-valvis, 2-locularis, versus apicem dehiscens, dissepimento extante.

1. CIRCÆA *Lutetiana. Linn.*
C. Caule erecto, ramis duobus oppositis, foliis ovato-subcordatis, acutis, denticulatis, glabriusculis : racemis tribus terminalibus.
Hab. in umbrosis ad radices montium circa *Serra da Lousãa*, Herminium, *Porto.* Fl. Jun. Jul. Per.
Nostra Lutetianæ *singularis varietas esse videtur, et quasi species media inter* Lutetianam *et* alpinam.

18. ORCHIS.

Corollæ petalum inferius (seu Nectarium *Linn.*) valde lobatum, basi postice calcaratum.

* *Bulbis indivisis.*

1. ORCHIS *globosa.*
O. Nectarii labio resupinato, trifido; media lacinulâ emarginata; cornu brevi : petalis apice subulatis. *Linn.*
Hab. prope *Bellas* in Extremadura. Flor. æstate. Per.
Ex Cl. P. Link.
Folia glauca; spica densissima, conico-subrotunda; petala ex purpureo carnea.
2. ORCHIS *pyramidalis.*

O. Nectarii labio trifido, bidentato-bicorni; calcare longo: petalis sublanceolatis. *Linn.*
Lusit. *Satyrião menor.*
Hab. circa *Bellas*, *Cascaes*, et frequenter in montosis calcareis circa Conimbricam. Fl. Maj.-Jul. Per.

3. ORCHIS *coriophora.*
O. Nectarii labio trifido, reflexo, crenato: calcare brevi: petalis conniventibus. *Linn.*
Hab. in calcareis circa Conimbricam, præsertim prope *S. Pedro Dias.* Fl. Maj. Per.

4. ORCHIS *Morio.*
O. Nectarii labio quadrifido, crenulato: calcare obtuso, adscendente: petalis obtusis, conniventibus. *Linn.*
Hab. in pratis in Transtagana. Fl. æstate. Per.
Folia radicalia in rosulam posita: variat calcare bifido.

5. ORCHIS *mascula.*
O. Nectarii labio quadrilobo, crenulato: calcare obtuso: petalis dorsalibus reflexis. *Linn.*
Hab. circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Apr.-Jun. Per.
Variat foliis radicalibus maculatis et non maculatis: floribus purpureis et albis.

6. ORCHIS *militaris.*
O. Nectarii labio subquinquelobo, punctis purpureis maculato: calcari obtuso: petalis conniventibus. *Linn.*
Var. δ Or. milit. maior. Vaillant. B. Paris. tab. 31. fig. 27, 28.
Hab. in muris antiquis, dumetis, et collibus calcareis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Febr.-Apr. Per.
Lacinia media labii productior, 2-fida, cum intermedia minima interdumque obsoleta.

7.

7. ORCHIS *papilionacea.*

O. Nectarii labio indiviso, crenato, emarginato, ampliato : calcare subulato : petalis conniventibus. *Linn.*

Hab. prope *Setubal.* Fl. vere. Peren.
Ex Cl. P. Link.

** *Bulbis palmatis.*

8. ORCHIS *latifolia.*

O. Bulbis subpalmatis, rectis : nectarii calcare conico : labio 3-lobo, lateribus reflexis, bracteis flore longioribus. *Linn.*

Hab. in uliginosis prope Conimbric. et alibi in Beira. Fl. Maj.-Jul. Per.

Bracteis flore longioribus, foliis immaculatis, et caule fistuloso, ab O. maculata differt.

9. ORCHIS *sambucina.*

O. Nectarii cornu conico; labio ovato, trilobo; bracteis longitudine florum. *Linn.*

Hab. in montosis humidis circa *Torre de Moncorvo* et alibi in Transmontana. Flor. vere. Per.
Ex Cl. C. Hoffmanseg.

An O. incarnata Villars Pl. Delph.?

10. ORCHIS *maculata.*

O. Bulbis patentibus; nectarii calcare germinibus breviore; labio plano; petalis dorsalibus erectis. *Linn.*

Hab. in jugis *Miranda*, *Gerez*, et ad rivulos, sepes &c. Lusit. borealis. Fl. primo vere. Per.

Bracteæ non flore longiores : caulis solidus : interdum folia non maculata.

**** Bulbis fasciculatis.*

11. ORCHIS *abortiva.*
O. Bulbis filiformibus ; nectarii labio ovato , integerrimo ; caule squamis vaginato. *Linn.*
Hab. prope *Aldêa dos Mouros.* Flor. vere. Peren. *Ex Cl. P. Link.*
Flores violacei.

19. SATYRIUM.

Corollæ petalum inferius (seu Nectarium. *Linn.*) longum, angustum, basi postice appendiculo scrotiformi , seu calcare brevissimo , ad ortum coarctato , instructum.

1. SATYRIUM *diphyllum.*
S. Foliis caulinis duobus , late ovatis , alternis , acutis , basi vaginante : spica laxa ; bracteis lanceolatis , germine vix longioribus. Cl. P. Link.
Hab. in *Serra da Arrabida* usque ad *Azeitão.* Fl. mensibus vernis. Peren.

2. SATYRIUM *densiflorum.*
S. Bulbis ovalibus , indivisis : foliis radicalibus lanceolatis , petiolatis ; superioribus caulinis spathæformibus : spica densa.
Hab. in *Arrabida.* Fl. vere. Peren.
Commun. a Cl. P. Link.
Hæ duæ species ad Orchidem forsan meliori jure referri possent.

20. OPHRYS.

Cor. petalum inferius (seu Nectar. *Linn.*) dependens, lobatum, supra rima longitudinali instructum, subtus subcarinatum.

* *Bulbis oblongis, divisis.*

1. OPHRYS *spiralis.* Linn.
   O. Bulbis aggregatis, oblongis; caule laterali, folioso: floribus spirali-secundis; nectarii labio crenulato.
   Hab. freq. in collibus præsertim calcareis, prope Olisipon. et Conimbricam. Fl. Septemb. et autumn. Per.
2. OPHRYS *æstivalis.*
   O. Bulbis aggregatis, oblongis: caule subfolioso, centrali; foliis oblongis: floribus spirali-secundis. *D. la Marck Dict. Bot. Enc. Meth.*
   Hab. in pratis et uliginosis prope Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Maj., Jun., Jul. Per.

** *Bulbis indivisis, rotundis.*

3. OPHRYS *anthropophora.* Linn.
   O. Bulbis subrotundis; scapo folioso; nectarii labio 3-partito, lineari; lacinia media elongata, bifida.
   Hab. in calcareis circa *Bellas*, Conimbricam et alibi. Fl. Maj. Jun. Jul. Per.
4. OPHRYS *arachnites.*
   O. Bulbo subrotundo: caule paucifolio: nectarii labio lato, convexo, variegato, revoluto, subemar-

emarginato, apice appendiculato, sursum inflexo. Vaillant. Bot. Par. T. 31. fig. 15, 16.

O. *Insectifera.* Linn. Syst. Veget.

Lusit. *Herva aranha.*

Appendicula nectarii subulata est.

Variat floribus parvis, cum appendicula obtusa mucronata.

Hab. in collibus calcareis prope Conimbricam, et alibi. Fl. mensibus vernis. Per.

5. OPHRYS *vespifera.*

O. Bulbo subrotundo: caule tereti: foliis lanceolatis: nectarii labio oblongo, cuneiformi, lato, trifido; laciniis lateralibus latis, media obovata, vix emarginata, inappendiculata. *Broter. Phyt. Lus. Fasc.* 1.

Lusit. *Herva vespa.*

Hab. in calcareis prope Conimbricam et Olisip. Fl. mensibus vernis. Per.

Nectarii margo luteus.

6. OPHRYS *vernixia.*

O. Bulbo subrotundo: scapo tereti: nectarii labio tripartito, circumlanato: antheris bipartitis. *Broter.*

Lusit. *Herva abelha.*

Hab. in calcareis circa Conimbricam, et alibi. Fl. mensibus vernis. Per.

21. SERAPIAS.

Cor. petalum inferius (seu Nectar *Linn.*) ovatum, integrum, acutum, (in nostris vomeriforme) intus concavum, extus gibbum: caps. fenestrata.

* *Radicibus fibrosis, sive fibroso-grumosis.*

1. SERAPIAS *latifolia.*
S. Foliis ovatis, amplexicaulibus: floribus pendulis. *Linn.*
Lusit. *Helleborinha*, sive *Elleborinha.*
Hab. in sylvis atque montosis umbrosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. a Maj. ad Aug. Per.

2. SERAPIAS *grandiflora.*
S. Foliis ensiformibus, distichis: bracteis minutissimis; floribus erectis: nectarii labio acutiusculo, petalis breviore. *Linn.*
Ser. *ensifolia*, Recentiorum.
Hab. in sylvis et ad radices montium Cintræ, *Goes*, et alibi in Beira boreali. Fl. Maj. et Jun. Per.

** *Bulbis subrotundis.*

3. SERAPIAS *Lingua.*
S. Nectarii labio trifido, acuminato, glabro, petalis longiore. *Linn.*
Hab. freq. circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. mensibus vernis. Per.

4. SERAPIAS *cordigera.*

S. Nectarii labio trifido, acuminato, basi barbato. *Linn.*

Hab. cum præced. in Beira boreali. Fl. mensibus vernis. Per.

22. LEMNA.

Masc.: cal. 1-phyllus, latere vel superne dehiscens: cor. 0.

Fœm.: cal. et cor. ut in masc.: capsula globoso-compressa, 1-locularis.

1. LEMNA *trisulca.*

L. Foliis petiolatis, lanceolatis. Mich. n. pl. gen. 16. t. 11. f. 5.

Hab. in rivulis prope *Porto*, et alibi in provinciis borealibus.

2. LEMNA *minor.*

L. Foliis (frondibus) sessilibus, utrinque planiusculis: radicibus solitariis. *Linn.*

Lusit. *Lentilhas da agua menores.*

Hab. frequens in aquis stagnantibus. Fl. Maj. et Jun.

3. LEMNA *gibba.*

L. Foliis (frondibus) sessilibus, subtus hemisphæricis: radicibus solitariis. *Linn.*

Mich. n. pl. gen. 16. t. 11. f. 2.

Lusit. *Lentilhas da agua maiores.*

Hab. cum præced. in stagnantibus. Fl. Maj. et Jun.

23. SALIX.

Amenti squamæ 1-floræ, imbricatæ: involucro coriaceo-squamoso e gemma: cor. o.

Masc.: glandula baseos nectarifera, vel simplex vel duplex in centro floris.

Fœm.: stigmata duo, 2-fida, vel simplicia: caps. 1-locularis, 2-valvis, valvulis revolutis: sem. basi pappo simplici cincta.

* *Foliis glabris, serratis.*

1. SALIX *monandra*?
S. Foliis lineari-lanceolatis, superioribus obliquis: amentis tomentosis, floribus monandris. *Linn. Syst. veg. edit. Gmelin.*
Salix-purpurea et Helix. Linn. *Stipulæ vix ullæ.*
Hab. ad ripas Durii maxime prope *Pezo da Regoa.* Fl. Mart. et Apr. Arbusculum 4-6-pedale.
Ex Cl. P. Link.

2. SALIX *triandra*?
S. Floribus triandris. *Linn.*
Hab. ad rivulos circa Olisiponem et *Porto.*
Arbusculum 6-8-pedales et ultra, cortice ex viridi flavicante vel cinereo instructum, alterne ramosum. Folia alterna, ovato-lanceolata, vel fere elliptica, glabra, nitida, reticulo venoso picta, subtus pallidiora, petiolata, serraturis cartilagineis prædita; juniora subtus, præcipue ad marginem, pilosa. Stipulæ in ramis junioribus cordatæ, serratæ.

3. SALIX *fragilis*.

S. Foliis ovato-lanceolatis: petiolis dentato-glandulosis. *Linn.*

Hab. ad vicos Lusitaniæ borealis.

Arbor procera, cortice rimoso, cinereo. Rami fragiles. Gemmæ bi-s. trivalves, ovatæ, obtusæ: folia longe mucronata, splendentia, subtus pallida, uncias quinque circiter longa, serraturis cartilagineis: petioli semiunciales, superne denticulis brevibus, apice callosis et interdum nigricantibus, notati. Stipulæ cordatæ, denticulatæ, deciduæ.

4. SALIX *vitellina*? Linn.

S. Foliis ovato-lanceolatis, acuminatis; serraturis petiolisque glandulosis.

Lusit. *Vimeiro ordinario.*

* *Colitur* ad rivulos et in aquosis passim in tota fere Lusitania. Florentem (sicut et præcedentes) nondum vidi.

Arbor procera, sed sæpissime humilis, cum rami, valde flexiles, ad circulos cadorum vinariorum ligandos, ad corbes, cistas, calathos, et alia ex vimine utensilia construenda quotannis ab agricolis amputentur. Folia sæpius utrinque glabra, serrata, dentibus glanduliferis, lanceolata, acuminata, alterna, quatuor ad sex uncias longa, decem ad tredecim lineas lata, juniora nitida, quasi vernice tecta; petioli duas ad sex lineas longi, glabri aut ad latera subvillosi, canaliculati, apice superne glandulosi. Stipulæ semicordatæ, acuminatæ, utrinque glabræ, serratæ, denticulis glanduliferis. Gemmæ foliaceæ, acutæ, compressæ, univalves.

5. SALIX *Babylonica*.

S. Foliis lineari-lanceolatis, ramisque pendulis. *Linn.*

Lusit. *Salgueiro chorão.*

* *Colitur* Olisipone, *Porto*, circa Conimbricam, et ali-

alibi in humentibus. Flor. Januario et Febr. Arbor procera.

** *Foliis villosis aut tomentosis.*

6. SALIX *viminalis*. Linn.

S. Foliis lanceolato-linearibus, longissimis, acutis, subrepandis, subtus sericeis: ramis virgatis. Lusit. *Vimeiro do Norte*, ou *Salgueiro Francez*.

* *Colitur* in humidis et ad rivulos in Provinciis Lusitaniæ borealibus, majori pretio, quam salix vitellina, ab agricolis habita.

Raro apud nos arborescens, et sæpissime suffruticis statura ob culturam. Rami recti, tenaces, e viridi-lutescentes, inferne glabri, superne tomentosi, striati. Folia apud nos integerrima, sed hinc inde obsolete repanda, margine undulata; supra saturate viridia, glabra, subtus sericea, argentea; juniora revoluta, supra interdum pube tenuissima obducta. Petioli subteretes, canaliculati, subtomentosi, semiunciales. Stipulæ minimæ, dimidiato-lanceolatæ, subsetaceæ, subpubescentes, utrinque serrulatæ, dentibus glanduliferis, deciduæ.

7. SALIX *alba*. Linn.

S. Foliis lanceolatis, acuminatis, utrinque pubescentibus, serratis, dentibus infimis glandulosis. Lusit. *Salgueiro branco ordinario.*

Hab. in aquosis tota fere Lusitania. Flor. Febr. Mart. Arbor.

Amenti rachis villosa: squamæ ovatæ, acutæ, virides, marginibus villosis, nec scariosis, germine et staminibus minores. Stipulæ semilanceolatæ, subulatæ, serrulatæ, fugaces. Glandulæ duæ aut plures ad petioli apicem.

8. SALIX *salvifolia*.

S.

S. Foliis sublanceolatis, serrulatis, utrinque canescentibus. *Broter.*

Hab. ad *Mundæ* margines. Flor. Jan. Febr.

Arbor bi-tri-orgialis et ultra, cortice cinereo obducta. Rami erecti, alterni, juniores incano-tomentosi, teretes, ad apicem angulati. Folia acuta, lanceolata, usque fere ad basin serrulata, juniora utrinque albâ lanâ tecta, adultiora utrinque tomentosa, superne ex albo-viridia, obsolete rugosa, inferne crasso tomento albido vestita, tres uncias et ultra longa, octo lineas et ultra lata. Petiolus subteres, canaliculatus, tomentosus, tres lineas fere longus. Stipulæ tomentosæ, semicordatæ, utrinque serrulatæ aut crenatæ, apice reflexo. Gemmæ univalves, valvula interne glabra, externe subvillosa, fusca, ovato-subrotunda, obtusa, apice emarginata, seu subbifida, coriacea, lineis prominentibus duabus, una ad utrunque latus, sub apice conjunctis, instructa. Amenta alterna, erecta, valde villosa, pedunculo villoso brevi foliato insidentia, ovato-oblonga vel subcylindrica, crassa, semiuncialia primum, dein uncialia et sesquiuncialia, ex squamis imbricatis, oblongis, obtusis, lineari-cuneatis, lanatis, albidis, apice subtruncato crenulato nigricantibus, composita. Nectarium glandula solitaria, subovata, subtruncata, ad basin genitalium, ex viridi-flavescens in fœmineis, saturate flava in masculis. Stamina duo; filamentis distinctis, in puncto insertionis solum coalitis, ibique pilosis, post anthesin triplo, quam squamæ, longioribus, divergentibus; antheris didymis, ovato-subrotundis, quadrilocularibus, luteis, fere lateralibus. Germen ovato-subulatum, albido-villosum, brevissime pedicellatum, quinque aut sex in singulo amenti verticillo. Stylus brevissimus; stigmata duo, crassiuscula, flavicantia, interdum biloba. Alia Generis.

9.

9. SALIX *atro-cinerea.*

S. Foliis subintegerrimis, late-lanceolatis, supra glabris, subtus ex glauco tomentosis: stipulis semicordatis, subcrenatis. *Broter.*

Lusit. *Salgueiro preto.*

Hab. frequens ad Mundam. Flor. Febr. Mart.

Arbor tri-quadri-orgialis et ultra, cortice subcinereo instructa. Rami alterni, dum novelli subpubescentes. Folia acuta, late lanceolata, seu oblanceolata, subintegerrima, denticulis obsoletis, vix inarmato oculo conspicuis, supra saturate viridia, subtus tomentosa, tomento ex viridi-albido aut ex glauco-viridi, tres uncias et ultra longa, decem lineas et ultra supra medium lata; juniora utrinque albido-villosa, integerrima, in gemma subequitantia. Petiolus duas ad tres uncias longus, subteres, canaliculatus, glabriusculus. Stipulæ dimidiato-cordatæ, aut subreniformes, vix crenulatæ, sæpius dentibus glandulosis, supra glabriusculæ, subtus tomentosæ. Fructificatione fere similis præcedenti, sed undequaque grandior, et squamæ in masculis acutiusculæ. Affinis S. cinereæ *Linn.*

24. FRAXINUS.

Cal. o: cor. o.

Hermaphr.: pericarpium superne foliaceum, 1-loculare: sem. 1, lanceolatum, albumine coriaceo.

Fœm.: omnia ut in hermaph.

1. FRAXINUS *excelsior.*

F. Foliolis serratis: floribus apetalis. *Linn.*

Lusit. *Freixo.*

Hab. in sepibus, nemusculis, ambulacris, et alibi tota fere in Lusitania. Flor. Jan. Febr. Arbor procera.

OR-

ORDO II.

DISTYLIA.

25. ANTHOXANTHUM.

Cal.: gluma 2-valvis, 1-flora; valvula interiori majore: cor. 2-valvis, aristata, arista reflexa: nectarium 2-phyllum.

1. ANTHOXANTHUM *odoratum.*
A. Spica oblonga, ovata: flosculis subpedunculatis, arista longioribus: corolla semini adnata. *Linn.*
Lusit. *Feno de cheiro ordinario.*
Variat panicula arcta, aut effusa; statura minori aut maiori.
Hab. trans Tagum, et jugis de *Miranda* et *Lousãa* in Beira, et aliis provinciis borealibus; raro ad Mundam prope Conimbricam. Flor. Maj. Jun. Ann.

2. ANTHOXANTHUM *amarum.*
A. Panicula spicæformi, sublanceolata: foliis lævibus, ex viridi glaucis: nectarii valvulis semini adnatis, corollæ ex ipso solutis. *Broter. Phyt. Lusit. Fasc.* 1. *n.* 3.
Lusit. *Feno de cheiro amargoso.*
Hab. in solo raro, subhumido, aut frigidiusculo vallium colliumque Beiræ altioris et Interamniæ, etiam prope Conimbricam in *Villa Franca* ad Mundam Flor. Mart. Apr. Peren.

CLAS-

CLASSIS III.

TRIANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Germine infero.*

26. VALERIANA. . . Cal. margo superus, aut dentatus, aut subinteger, maturatione in pappum plumosum evolvendus: cor. monopetala, 5-fida, basi gibba: semen papposum, vel bacca sicca, 2-3-locularis, 2-3-sperma, apice subnuda, aut dentibus calycinis coronata.

27. CROCUS. . . . . Cal. spatha monophylla: cor. monopetala, tubo longissimo, limbo 6-partito, erecto-patulo, æquali: stigmata 3, convoluta, cristata, colorata.

28. IXIA. . . . . Cal. spatha 2-phylla: cor. monopetala, sexpartita, patens, æqualis: stigmata 3, patula.

29. GLADIOLUS. . . Cal. spatha 2-phylla : cor. 6-partita, inæqualis, sublabiata : stigmata 3, revoluto-patentia : stamina adscendentia.

30. IRIS. . . . . Cal. spathæ diphyllæ, flores distinguentes : cor. monopetala, sexpartita, laciniis tribus alternis erectis, tribus aliis reflexis : stigmata tria, petaliformia, sulco longitudinali, instructa.

* *Germine supero.*

31. LOEFLINGIA. . Cal. pentaphyllus, foliolis basi utrinque denticulo notatis : cor. pentapetala, minima : caps. unilocularis, trivalvis.

32. ORTEGIA. . . . Cal. pentaphyllus : cor. nulla : stigma trifidum : caps. 1-locularis, polysperma, apice 3-valvis.

33. SCHOENUS. . . Cal. glumæ paleaceæ, univalves, congestæ : cor. nulla : sem. unum, inter glumas, subrotundum.

34. SCIRPUS. . . . . Cal. glumæ paleaceæ, undique imbricatæ, concavæ; cor. nulla : sem. unum, triquetrum (1).

35.

(1) Ex Cl. Roth character genericus Schœni est : Spicula teres, pauciflora : glumæ calycinæ plures, planiusculæ, imbricatæ : corollæ terminales, univalves. Scirpi vero est : Spicula teres, multiflora :

35. CYPERUS. . . . . Cal. glumæ paleaceæ univalves, distiche imbricatæ in spiculas oblongas, compressas, ancipites: cor. nulla: sem. unum triquetrum, nudum (1).

36. ERIOPHORUM. Cal. glumæ paleaceæ, undique imbricatæ, erectæ: sem. unum triquetrum, villis spica longioribus cinctum.

37. NARDUS. . . . . Cal. nullus: cor. bivalvis: sem. unum corollæ adnatum.

* *Juncus conglomeratus, et bufonius interdum.*

SECTIO II. DICLINA.

* *Floribus monoicis.*

38. FICUS. . . . . . . Flores incompleti, receptaculo communi turbinato, carnoso, concavo, apice squamis clauso, occultati.

Masc. Ad apicem receptaculi: cor. tripartita.

Fæm. Cor. quinquepartita: stylus lateralis: sem. unum (2).

gluma calycina 1-valvis sive 2-valvis, sterilis aut florifera: corollæ univalves, imbricatæ, concavæ, carinatæ. Fortè hæc duo genera in unum conjungere congruentius.

(1) Ex clar. Roth spicula multiflora. Calyx bivalvis: corollæ univalves.

(2) Interdum unus alterve flosculus hermaphroditicus inter fœmineos occurrit.

39. ZEA. . . . . Flores glumacei, distincti: masculi terminales, paniculati; fœminei receptaculo elongato, spongioso, foliis propriis, sive spatha glumacea polyphylla cincto, congesti.

Masc. Cal. gluma bivalvis, biflora: cor. bivalvis, mutica.

Fœm. Cal. gluma bivalvis, uniflora, valvulis margine ciliatis: cor. bivalvis: stylus longissimus, exsertus.

40. CAREX. . . . . . Amentum oblongum, spicatum, squamis unifloris imbricatum: cor. nulla.

Masc. Fœmineis mixti, aut in amento distincto segregati.

Fœm. Stigmata tria, rarius duo: semen unum, triquetrum intra nectarium (1).

41. SPARGANIUM. Amenta globulosa, compacta, plura juxta caulem flexuosum. Perianthia propria triphylla, linearia, decidua. Mascula terminalia; fœminea inferiora.

Masc.

(1) Nectarium apice bi aut tridentatum, inflatum, persistens, semenque fovens.

Masc. Filamenta calyce longiora; antheræ oblongæ.

Fœm. Drupa exsucca, supera, unilocularis, mono, seu disperma.

42. TYPHA. . . . . . Amentum duplex, cylindricum, densissimum, culmi apicem circumvestiens.

Masc. Amentum terminale: cal. nullus: cor. petalis tribus setaceis, obsoletis.

Fœm. Amentum inferius: cal. nullus: corolla nulla (nisi pilos aggregatos pro ipsis sumere velis): semen setæ insidens pilosæ seu pappo capillari inverso instructum.

* *Momordica.* * *Cucumis.* * *Cucurbita.* * *Bryonia.*

Hæc etsi antheras quinque habeant; filamentis tamen tribus, nonnullis coalito-compositis fruuntur.

** *Floribus dioicis.*

43. EMPETRUM. . . Cal. tripartitus: cor. tripetala.

Masc. Stamina longa, antheræ bipartitæ.

Fœm.

Fœm. Stylus brevissimus, tri aut novempartitus: bacca 3-9-sperma (1).

44. OSYRIS. . . . . . Cal. trifidus, turbinatus: cor. nulla, nisi margo triplex nectafiferus.

Masc. Stamina brevissima.

Fœm. Stylus tripartitus, stigmata patentia: drupa umbilicata, monosperma.

45. RUSCUS. . . . . Cal. triphyllus: cor. tripetala: nectarium centrale, erectum, ventricosum, ovatum, apice tridentatum.

Masc. Filamenta nulla; antheræ quadriloculares, bilobæ, lateraliter coalitæ, emarginaturis nectarii superne insidentes.

Fœm. Stylus longitudine nectarii, stigma obtusum, per os nectarii prominens: bacca bilocularis: communiter semen unum accrescens suffocat alia.

* *Ficus Carica, aliquot varietates.*
* *Salix triandra.*
* *An etiam Phœnix dactylifera?* (ex Linn.)

Flo-

(1) Empetro nostro Lusitanico semper stylus tripartitus, stigmata emarginato-bicornia: bacca trisperma.

*** *Floribus polygamis.*
Ficus. Osyris.

ORDO II.

DISTYLIA.

GRAMINA.

* *Gluma calycina uniflora.*

(A) *Floribus hermaphroditicis.*

46. ALOPECURUS. . Cal. gluma bivalvis : cor. univalvis.

(*) 46. AGROSTIS. Cal. gluma bivalvis : cor. bivalvis, calyce minor : stigmata longitudinaliter villosa.

47. PHLEUM. . . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis truncatis, carinæ apice mucronatis : cor. bivalvis, calyce minor, inclusa.

48. CRYPSIS. . . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis carinatis, non truncatis, inæqualibus, corolla brevioribus : cor. bivalvis, semini non adnata.

49. PHALARIS. . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis navicularibus, carinato-alatis, subæqualibus, corolla paulo longioribus : cor. bivalvis, valvulis basi sæpe appendiculatis, semini arcte adnatis (1).

50.

(1) Valvulæ calycinæ ad carinæ apicem semper alatæ plus minusve sunt. Appendicula glabra, raro apice pilosa, ut in Ph.-*arundinaceâ*.

50. PANICUM. . . . Cal. gluma trivalvis, valvula exteriore minima, basi includente valvas majores; sæpius uniflora.

51. PASPALUM. . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis æqualibus : cor. uni-bivalvis, calyci æqualis : flores secundi, rachi submembranacea.

52. ROTTBOLIA. . . Spica teretiuscula, articulata : flosculi rachis sinubus cavis appressi : calyx gluma univalvis, simplex aut bipartita, uniflora : corolla bivalvis.

53. HORDEUM. . . . Cal. glumæ duæ tresve in singulo rachis dente, bivalves, involucriformes, unifloræ : cor. bivalvis, valvula exteriore aristata (1).

54. STIPA. . . . . . . Cal. gluma bivalvis, laxa : cor. bivalvis, valvula exterior, aristâ terminali, longissima, tortili, basi articulata, instructa.

55. CALAMAGROSTIS. Cal. gluma glabra, bivalvis, non carinato-alata : cor. bivalvis, basi pilosa, semini adnata.

56. SACCHARUM. . Cal. gluma bivalvis, basi lanugine longa cincta : cor. bivalvis, glabra, semini adnata.

57. LAGURUS. . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis

(1) Valvula interior corollina basi sæpe appendiculam setaceam habet.

lis apice aristatis, arista villosa: cor. bivalvis, valvula exteriore triaristata, aristis duabus apice, tertia dorso.

(B) *Floribus polygamis.*

58. ANDROPOGON. Cal. gluma bivalvis: cor. bivalvis, valvula exteriore ad basin aristata, arista tortili.

Masc. Flos sæpius muticus.

Hermaph. Flos aristatus, approximatus in eadem panicula aut spica.

Paspalum-sanguinale-dactylon.

** *Gluma calycina bi aut triflora.*

(A) *Floribus hermaphroditicis.*

59. AIRA. . . . . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis acutis, æqualibus: cor. bivalvis, valvulis calyci simillimis: nullum corpusculum, sive floris rudimentum inter duos flosculos.

60. MELICA. . . . . Cal. gluma bivalvis: cor. bivalvis: corpusculum pedicellatum inter duos flosculos: nectarium monophyllum germen ambiens: filamen-

menta basi dilatata et coalita (*a*).

61. SECALE. . . . . . Cal. gluma bivalvis, opposita, biflora: cor. bivalvis, valvula exteriore ventricosa, aristata, carinâ ciliata; interiore plana lanceolata.

62. ELYMUS. . . . . Cal. glumæ involucriformes, bivalves, duæ vel tres laterales aggregatæ in singulo rachis dente; singulæ spiculis bifloris (ut in nostro) aut trifloris, raro ultra: cor. bivalvis.

63. CYNOSURUS. . Cal. bivalvis, triflorus: cor. bivalvis: spiculæ secundæ, bracteatæ, bracteis simplicibus aut compositis.

* *Triticum æstivum, &c.*
* *Avena.*
* *Poa trivialis.*
* *Dactylis glomerata.*

(B) *Floribus polygamis.*

64. ÆGILOPS. . . . . Cal. gluma communis bivalvis, maxima, fere cartilaginea, aristis variis: cor. bivalvis, valvula exteriore bi aut tri-aristata.

65. HOLCUS. . . . . Cal. gluma bivalvis, biflora, flosculo altero hermaphro-

(*a*) Melica-*ciliata* vix rudimentum tertii flosculi habet.

phroditico, altero masculo pedicellato.

Masc. Cor. bivalvis, valvula altera aristata, arista non spiraliter tortili.

Herm. Cor. bivalvis, mutica.

* *Triticum.*
* *Avena.*
* *Panicum.*

*** *Gluma calycina quadri-multiflora.*

(A) *Paniculata, spiculis pedunculatis.*

66. DACTYLIS. . . . Spiculæ ante et post anthesin arcte paniculatæ, compresso-planæ: cal. bivalvis, carinatus, acuminatus, valvula altera latitudine et longitudine maior: cor. bivalvis, valvula externa, apice obtuso aut bifido, aristata, marginibus membranaceis, interna bifida, mutica.

67. BRIZA. . . . . . . Spiculæ subcordato-ovatæ, flosculis distichis, muticis, scariosis: cal. bivalvis, valvulis ventricosis, obtusiusculis, æqualibus: cor. bivalvis, valvula interna minima.

68. POA. . . . . Spiculæ ovatæ, compressæ, mu-

muticæ: cal. bivalvis, valvulis acutis: cor. bivalvis, valvulis margine scariosis, apice rarissime mucronatis.

69. ARUNDO. . . . . . Cal. gluma bivalvis, valvulis glabris, angustis, acuminatis, altera breviori: cor. bivalvis, inferne lana longa, uti et semen, cincta.

70. AVENA. . . . . . . Cal. bivalvis, valvulis laxis, muticis: cor. bivalvis, valvula externa dorso aristata, arista spiraliter tortâ.

71. BROMUS. . . . . . Spicula oblonga, subteres, flosculis distichis: cal. bivalvis, muticus: cor. bivalvis, valvula externa bifida, infra apicem aristata, arista non spiraliter tortili.

72. FESTUCA. . . . Spicula oblonga, teretiuscula, flosculis distichis: cal. bivalvis, valvulis acuminatis, inæqualibus: cor. bivalvis, apice acuto; valvulâ externa in aristam terminata.

(B) *Spicata, spiculis in rachi communi subulata sessilibus.*

73. TRITICUM. . . . Cal. bivalvis: cor. bivalvis, semen arcte aut laxe cingens: spiculæ discus rachi oppositus.

74. LOLIUM. . . . . Cal. univalvis: cor. bivalvis: spi-

spiculæ latus marginale rachi oppositum.

* *Cynosurus-cristatus.*

ORDO III.

TRISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

75. QUERIA. . . . . . Cal. pentaphyllus: cor. nulla: caps. unilocularis, trivalvis, monosperma.

76. POLYCARPON. Cal. pentaphyllus: cor. pentapetala, petalis minimis, ovatis, emarginatis, persistentibus: caps. 1-locularis, 3-valvis, polysperma.

77. MONTIA. . . . . Cal. diphyllus, persistens: cor. monopetala, irregularis, laciniis tribus minoribus staminiferis: caps. 1-locularis, 3-valvis, trisperma.

78. TILLAEA. . . . . Cal. tri-quadri-partitus: cor. tri-tetrapetala, æqualis: capsulæ 3-4, polyspermæ.

79. HOLOSTEUM. . Cal. pentaphyllus: cor. pentapetala, petalis bipartitis: caps. 1-locularis, subcylindrica, apice dehiscens.

SECTIO II. DICLINA.

80. AMARANTHUS. Flores monoici: calyce nullo: cor. tri-pentapetala.

Masc.

Masc. Stamina 3-5.

Fœm. Caps. trirostris, circumscissa, monosperma.

81. JUNIPERUS. . . Flores dioici, interdum monoici.

Masc. Cor. nulla : filamenta tria, basi coalita; antheræ distinctæ.

Fœm. Cal. tripartitus: cor. tripetala, aut nulla; strobilus bacciformis.

CLAS-

CLASSIS III.

TRIANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

26. VALERIANA.

Cal. margo superus, aut dentatus, aut subinteger, maturatione in pappum plumosum evolvendus: cor. monopetala, 5-fida, basi gibba: sem. papposum, vel bacca sicca 2-3-locularis, 2-3-sperma, apice subnuda, aut dentibus calycinis coronata.

1. VALERIANA *rubra.* Linn.
V. Corollis calcaratis: stamine unico: foliis lanceolatis, integerrimis.
* *Colitur* passim inhortis, et quasi spontanea in aliquibus locis Interamniæ occurrit. Flor. toto fere anno. Peren.

2. VALERIANA *Calcitrapa.*
V. Floribus monandris: foliis pinnatifidis. *Linn.*
Hab. ad muros et sepes in Extremadura et Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Ann.

3. VALERIANA *Cornucopiæ.*

V. Corollis ringentibus, diandris: foliis ovatis, sessilibus. *Linn.*

Hab. prope *Elvas*, et versus *Extremóz.* Fl. vere. Ann.

Ex Cl. C. Hoffmanseggio.

4. VALERIANA *tuberosa.*

V. Foliis radicalibus lanceolatis, integerrimis, reliquis pinnatifidis. *Linn.*

Hab. in collibus prope *Setubal.* Flor. vere. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmanseggio.

5. VALERIANA *olitoria.*

V. Floribus triandris: caule dichotomo: foliis lineari-lanceolatis, obtusis, integerrimis: fructu nudo seu mucronato.

Lusit. *Alface de Cordeiro.*

Valer. locusta olitoria. Linn.

Hab. in solo raro, circa Conimbricam, et alibi in *Beira.* Flor. mensibus vernis. Ann.

Variat foliis superioribus ad basin obsolete dentatis.

6. VALERIANA *discoidea.*

V. Floribus triandris: caule dichotomo: foliis lanceolatis, dentatis: fructu duodecimdentato, dentibus uncinatis.

Valer. locusta discoidea. Linn.

Hab. in solo calcareo, circa *Conimbricam*, et alibi in *Beira.* Flor. mensibus vernis. Ann.

Obs. Hæc species et præcedens capsulam trilocularem loculamento unico fertili habent.

27. CROCUS.

Cal. spatha monophylla: cor. monopetala, tubo longissimo, limbo 6-partito, erecto-patulo, æquali: stigmata 3 convoluta, cristata, colorata.

1. CROCUS *autumnalis.*
C. Stigmatibus reflexis, longitudine corollæ: foliis linearibus, margine revolutis. *Linn.*
Lusit. *Açafrão.*
Hab. prope *Cintra*, *Bellas*, in pinetis de *Caparica*, et alibi in *Extremadura* et *Beira*. Fl. Autum. Peren.
Colitur ejus varietas Cr. sativus, sive officinalis.

2. CROCUS *vernus.*
C. Stigmatibus erectis, corollâ brevioribus, planis, seu margine patulo. *Linn.*
Lusit. *Açafrão da primavera.*
Hab. in erecticribus montosis Interamniæ, in Herminio, et alibi in *Beira*. Flor. Februario et Martio. Peren.

28. IXIA.

Cal. spatha 2-phylla: cor. monopetala, sexpartita, patens, æqualis: stigmata 3, patula.

1. IXIA *Bulbocodium.*
I. Scapo brevissimo: foliis sulcatis, filiformibus: stigmatibus bicornibus. *Linn.*
Hab. in montosis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Fl. Februario et Martio. Peren.

29. GLADIOLUS.

Cal. spatha 2-phylla: cor. 6-partita, inæqualis, sublabiata: stigmata 3, revoluto-patentia: stamina adscendentia.

1. GLADIOLUS *communis*.
G. Foliis ensiformibus: floribus distantibus. *Linn.*
Lusit. *Espadana dos montes.*
Hab. in agris, segetibus, et montosis freq. Flor. vere. Peren.

30. IRIS.

Cal. spathæ diphyllæ, flores distinguentes: cor. monopetala, sexpartita, laciniis tribus alternis erectis, tribus aliis reflexis: stigmata tria petaliformia, sulco longitudinali.

(A) *Barbatæ.*

1. IRIS *subbiflora*.
I. Caule subbifloro, foliis ensiformibus, subfalcatis breviori: petalis violaceis. *Broter.*
Lusit. *Lirio rôxo.*
Non est Ir. *biflora Linn.*; sed *Clusii.*
Hab. in solo calcareo, collibusque lapidosis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. bis, autumno et vere, sed in diversis caulibus aut individuis; unde a Clusio *biflora* cognominata. Peren.
Variat floribus pallidis, seu ex sulphureo-albis.

Obs.

Obs. Sæpius uniflora, rarissime biflora; trifloram in sexcentis numquam vidi: caules semipedales ad pedem alti, foliis inferioribus breviores, corolla non supputata: flos non odore Lilii-Convallium: barba corollæ ex albido cærulescens, inferne lutescens.

2. IRIS *sambucina*. Linn.

I. Foliis glabris, erectis, caule multifloro brevioribus: corollæ laciniis reflexis planis; erectis emarginatis.

Lusit. *Lirio cardano.*

Hab. ad radices montium in Lusitania boreali, et alibi. Flor. mensibus vernis. Peren.

Ir.-lucida Aiton Hort.Kew.hujus videtur varietas.
Variat floribus albis.

(B) *Imberbes.*

3. IRIS *Xiphium*. Linn.

I. Foliis canaliculato-subulatis, caule bifloro sæpius longioribus.

Hab. in collibus *Alcantara*, circa *Portalegre*, et alibi. Flor. vere. Perennis *bulbosa*.

Flos violaceus, aut nimis versicolor.

4. IRIS *juncea*.

I. Foliis canaliculato-subulatis: caule subunifloro: spathis acutis. *Broter.*

Hab. in collibus de *Alcantara* prope Olisiponem, etiam in *Beira*. Flor. vere. Peren.

An varietas præcedentis?
Flos luteus.

5. IRIS *Pseudo-Acorus*.

I. Corollæ laciniis alternis stigmate minoribus: foliis ensiformibus. *Linn.*

Lusit. *Acoro bastardo.*

Hab. in paludosis trans et citra Tagum. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Obs. Petala exteriora utrinque ad filamenta dentem exserunt: germen angulis sulcatum.

6. IRIS *fœtida*.

I. Corollæ laciniis interioribus patentissimis: caule uniangulato. *Linn.*

Lusit. *Lirio fetido.*

Hab. circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in umbrosis. Flor. vere et æstate. Peren.

7. IRIS *Transtagana*.

I. Foliis conduplicato-ensiformibus, distichis: laciniis petaloideis interioribus minimis, patenti-reflexis: stigmatibus acutiusculis, bifidis, irregulariter serratis, lacinia unaquaque corollæ exteriori brevioribus. *Broter.*

Hab. prope *Elvas* et *Eboram* in argillosis. Flor. Januar. et Febr. Peren.

Obs. Media inter Ir. alatam Poiret (La Marck. Encyclop. Dict.) et Ir. Persicam Linnæi: sed differt ab Ir.-alata, foliis duplo latioribus; corollæ coloribus; laciniis petaloideis externis medio lobatis, semper longioribus, quam stigmata, quæ sunt irregulariter serrata, sive dentata: differt autem ab Ir.-Persica foliis conduplicato-ensiformibus, carinatis, recurvis, valde longioribus; stigmatum lobulis acutis, nec obtusis aut semiorbicularibus. Unde patet D. Lamarckium Synonyma Joh. Bauh. et Clusii, quæ nostræ solùm conveniunt, suæ Ir.-alatæ adjunxisse.

Radix bulboso-grumosa, infra nodum bulbi grumis quinque filiformibus, crassis; insuper bulbulis adnatis ovato-acutis. Bulbus summe tunicatus.

8. IRIS *Sisyrinchium*.

I. Foliis canaliculatis: bulbis geminis superimpositis. *Linn.*

Hab.

Hab. circa Olisiponem usque ad *Rio Maior* et alibi in Extremadura et Transtagana. Flor. April. et Maio. Peren.

31. LOEFLINGIA.

Cal. pentaphyllus, foliolis basi utrinque denticulo notatis: cor. pentapetala, minima: caps. unilocularis, trivalvis.

1. LOEFLINGIA *Hispanica.*

L. Foliis oppositis mucronatis: ramis, pubescentibus, viscidis. *Linn.*

Hab. inter *Montalvão* et *Monforte* ad Tagum; item, sed raro, circa *Gollegãa.* Flor. vere, et Julio. Ann.

Ex Cl. C. Hoffmanseggio.

32. ORTEGIA.

Cal. pentaphyllus: cor. nulla: stigma trifidum: caps. 2-locularis, polysperma, apice 3-valvis.

1. ORTEGIA *Hispanica.* Linn.

O. Caule ramoso; pedunculis dichotomo-multifloris; floribus congestis; foliis lineari-lanceolatis.

Hab. circa *Meimenta* et alibi in Beira boreali et Transmontana. Flor. æstate. Ann.

Caulis semipedalis aut paulo altior, scabriusculus, ut tota planta, angulatus, striatus. Rami oppositi, uti folia, quæ glabra atque eorum axillæ; sti-

stipulæ minimæ, albæ, subulatæ, membranaceæ. Bracteæ oppositæ, calyce minores; flos in dichotomiis sessilis.

33. SCHOENUS.

Cal. glumæ paleaceæ, univalves, congestæ: cor. nulla: sem. unicum inter glumas subrotundum.

1. SCHOENUS *mucronatus*.
   S. Culmo tereti nudo: spiculis ovatis, fasciculatis: involucro subhexaphyllo: foliis canaliculatis. *Linn.*
   Hab. in arenosis maritimis trans Tagum in *Trafaria*, necnon ad oppidum *Figueira*, et alibi. Flor. mensibus vernis. Peren.
2. SCHOENUS *nigricans*.
   S. Culmo tereti nudo: capitulo ovato: involucri diphylli valvula altera subulata, longa. *Linn.*
   Hab. in paludosis prope *Aldêa dos Mouros*, ad basin *Serra da Arrabida*, et ad vicos de *Almada* et *Caparica*. Flor. Maj. et Aug. Peren.

34. SCIRPUS.

Cal. glumæ paleaceæ, undique imbricatæ, concavæ: cor. nulla: sem. unicum triquetrum.

(A) *Spica unica.*

1. SCIRPUS *palustris*.
   S. Culmo tereti nudo: spica subovata, terminali. *Linn.*

Hab.

Hab. in paludosis Lusitaniæ australioris. Flor. Maj. et Jun. Peren.

2. SCIRPUS *cæspitosus.* Linn.

S. Culmo striato nudo: spica bivalvi, terminali; calycinis glumis inæqualibus, ovato-oblongis, mucrone truncato viridi terminatis; altera majore spicam æquante.

Hab. in uliginosis montosis Lusitaniæ borealis. Flor. Jun. et Julio. Peren.

3. SCIRPUS *fluitans.*

S. Pedunculis semiteretibus nudis, alternis: caule folioso, flaccido. *Linn.*

Hab. in rivulis circa *Porto*, Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. æstate. Peren.

(B) *Spicis pluribus.*

* *Culmo tereti.*

4. SCIRPUS *setaceus.* Linn.

S. Culmo nudo setaceo: spicis subterminalibus, subsolitariis, sessilibus aut subsessilibus.

Hab. in stagnis circa Conimbricam et alibi in *Beira.* Flor. Maj. et Jun. Peren.

Scirp.-setaceus noster quasi intermedia species est inter Sc.-acicularem et setaceum; nam spicas terminales, alias simplices, alias binas ternasve habet: involucrum longum est.

5. SCIRPUS *lacustris.*

S. Culmo tereti nudo: spicis ovatis pluribus, pedunculatis, terminalibus. *Linn.*

Lusit. *Bunho.*

Hab. in paludibus Lusitaniæ maxime australioris; prope Conimbricam freq. Flor. Maj. Jun. et Julio. Peren.

6. SCIRPUS *Holoschoenus.* Linn.

S.

S. Culmo nudo : spiculis glomeratis, capitatis, lateralibus, pedunculatis : involucro diphyllo, foliolis inæqualibus, pungentibus, margine lævibus.

Hab. in humentibus macris ad Mundam, et alibi rar. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Interdum in culmis ex eadem radice capitulum unum sessile. Vid. Obs. seq.

7. SCIRPUS *Romanus.* Linn.

S. Culmo nudo : capitulo laterali unico sessili; vel pluribus, sessili uno, pedunculatis aliis : bractea reflexa.

Hab. in humentibus freq. Flor. æstate. Peren.

Obs. Culmus teres, filiformis, tenuior, quam in Scirp.-Holoschœno : involucrum ultra capitula productum, culmum mentiens, margine cum altera bractea scabrum; capitulis subjectæ squamæ ad lentem ciliatæ. In Holoschœno squamæ fuscæ, scariosæ; culmus Scirp.-lacustri similis, pungens. Attamen hæc species a Cl. Scopolio ad Scirp. Holoschœnum refertur auctoritate Scheuchzerii, a quo specimen depictum tab. 8. f. 2. a Linnæo sub Holoschœno citatum, magnum est et polystachium, capitulumque unum sessile repræsentat. In unam solam speciem conjungere ambos forsan congruentius.

** *Culmo triquetro.*

8. SCIRPUS *triqueter.* Linn.

S. Culmo nudo; panicula aphylla : spicis lateralibus, ovatis, obtusis, subsessilibus pedunculatisque, istis culmi mucronem erectum æquantibus.

Hab. in stagnis ad Durium circa *Porto* et alibi in Interamnia. Flor. Jun. et Jul. Peren.

Culmi latera plana, anguli obtusi; mucro terminalis erectus.

9.

9. SCIRPUS *mucronatus*. Linn.

S. Culmo nudo, acuminato; spicis aphyllis, conglomeratis, lateralibus.

Hab. in fossis, inundatis ad Mundam prope Conimbricam et alibi in Beira. Flor. æstate. An.?

Culmi latera canaliculata, anguli arguti; mucro terminalis recurvus.

10. SCIRPUS *maritimus*. Linn.

S. Panicula conglobata, foliacea; spiculis sessilibus pedunculatisque; ipsarum squamis trifidis, intermedia subulata.

Hab. ad littora maritima hinc inde in *Trafaria*, et alibi. Flor. Maj. et Jul. Peren.

11. SCIRPUS *Michelianus*.

S. Capitulo globoso: involucro polyphyllo, longo. *Linn.*

Hab. ad ripas arenosas Tagi, Durii, et Mundæ prope Conimbricam. Flor. Aug. Peren.

Involucrum triphyllum, sæpius foliolo uno altiori.

35. CYPERUS.

Cal. glumæ paleaceæ univalves, distiche imbricatæ in spiculas oblongas, compressas, ancipites: cor. nulla: sem. unum triquetrum, nudum.

1. CYPERUS *longus*.

C. Culmo folioso, triquetro: umbella foliosa, supradecomposita; pedunculis nudis; spicis alternis. *Linn.*

Lusit. *Junça de cheiro*, ou *Albafor*.

Hab. in humidis, paludosisque frequens. Flor. vere et æstate. Peren.

Occurrit tam radice odorata quam inodora prope Conimbricam, *et* Thomar.

2. CYPERUS *esculentus*?
   C. Culmo triquetro nudo: umbella foliosa: radicum tuberibus ovatis, zonis imbricatis. *Linn.*
   Hab. in paludosis ad Tagum non longe a *Santarem*, ex fide Illustr. *Salinas.* Flor. æstate. Peren.
3. CYPERUS *flavescens.* Linn.
   C. Culmo triquetro nudo: umbella triphylla, subcomposita; spicis confertis, lanceolatis; glumis obtusis.
   Hab. in humidis circa Conimbricam, et *Aldêa dos Mouros.* Flor. Maj. et Jun. Ann.
   Semina subrotunda, lentiformia.
4. CYPERUS *fuscus.* Linn.
   C. Culmo triquetro: umbella triphylla, composita; spicis confertis, linearibus; glumis acutis, imbricatis.
   Hab. ad Tagum et Mundam in humidis. Flor. æstate. Ann.
   Semina triquetra; *spiculæ angustiores, sublineares*: *corollæ atropurpureæ, dorso viridi carinatæ.*

36. ERIOPHORUM.

Cal. glumæ paleaceæ, undique imbricatæ, erectæ: sem. unum triquetrum, villis spica longioribus cinctum.

1. ERIOPHORUM *polystachion.*
   E. Culmis teretibus: foliis planis: spiculis pedunculatis. *Linn.*
   Hab. in uliginosis in Transtagana. Flor. Junio et Julio. Peren.

37. NARDUS.

Cal. nullus: cor. bivalvis: sem. unum corollæ adnatum.

1. NARDUS *stricta.*
   N. Spica setacea, recta, secunda. *Linn.*
   Hab. in summis jugis *Gerez* et aliis Interamniæ, et Transmontanæ altioribus montibus. Flor. Julio, Augusto. Peren.

SECTIO II. DICLINA.

38. FICUS.

Flores incompleti, receptaculo communi turbinato, carnoso, concavo, apice squamis clauso, occultati.

Masc. Ad apicem receptaculi: cor. tripartita.

Fœm. Cor. quinquepartita: stylus lateralis: sem. unum.

1. FICUS *Carica.*
   F. Foliis trilobis, subtus scabris: receptaculis lævibus, turbinatis, umbilicatis. *Linn.*
   Lusit. *Figueira.*
   Planta forte Asiatica, sed in Lusitania admodum obvia; spontanea ad muros, turres, rupes, sepes. Flor. Maj. et Jun. Arb.
   Ejus permultæ varietates, maxime in Algarbiis,

 co-

coluntur, inter quas Caprificus, Lusit. *Baforeira*, ou *Figueira de tocar*, ad caprificationem.

39. ZEA.

Flores glumacei, distincti: masculi terminales, paniculati; fœminei receptaculo elongato, spongioso, foliis propriis, sive spatha glumacea polyphylla cincto, congesti.

Masc. Cal. gluma bivalvis, biflora: cor. bivalvis, mutica.

Fœm. Cal. gluma bivalvis, uniflora, valvulis margine ciliatis: cor. bivalvis: stylus longissimus, exsertus.

1. ZEA *Mays.*

Z. Foliis integerrimis. *Linn.*

Lusit. *Milho grosso*, *ou Milhão.*

Planta Africana, sed tria nunc sæcula sunt, ex quibus a Lusitanis colitur in solo pingui, humido, aut irrigato, in omnibus Lusitaniæ provinciis. Flor. æstate. Ann.

40. CAREX.

Amentum oblongum, spicatum, squamis unifloris imbricatum: cor. nulla.

Masc. Fœmineis mixti, aut in amento distincto segregati.

Fœm. Stigmata tria, rarius duo: semen unum, triquetrum, intra nectarium.

* *Spicis pluribus, monoicis.*

1. CAREX *spicata.*
C. Spica composita, subnuda; spiculis ovatis, acutis, numerosis, approximatis, subdistichis, sessilibus.
Lamarck. Dict. Bot.
Var. ϐ *spicâ brevi, basi foliolo instructa, interdum nuda.*
Hab. in humidis circa *Aldêa dos Mouros.* Flor. vere. Peren.
Ex Cl. P. Link.

2. CAREX *hybrida.*
C. Spica composita; spiculis ovatis, approximatis, inferioribus foliolo longiori instructis: culmo triquetro.
Lamark. Dict. Bot.
An varietas præcedentis?
Hab. in humidis non raro. Flor. vere. Peren.
Ex Cl. P. Link.

3. CAREX *arenaria.*
C. Spica composita; spiculis inferioribus remotioribus, foliolo longiori instructis. *Linn.*
Hab. ad littora prope *Porto*, et in aliis maritimis Interamniæ. Flor. vere. Peren.

4. CAREX *leporina*. Linn.

C. Spica composita ; spiculis ovatis , sessilibus , approximatis , alternis , subnudis , superne masculis.

Lamark. Dict. Bot.

Hab. ad sepes , et in humidiusculis prope Conimbricam , et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

Culmus triqueter , sesquipedalis et ultra , ad apicem scaber : spica composita , ovata , uncialis ; spiculæ sex ad novem , obtusæ. Bractea sub quavis spicula , ovato-acuminata , subaristata , spiculâ brevior , infima non raro spiculæ longitudine. Squamæ ovato-acutæ , capsula paulo breviores. Stigmata duo. Capsulæ acutæ , apice vix bifidæ , marginibus argutis ; ad apicem scabriusculis.

5. CAREX *vulpina*.

C. Spica supradecomposita , inferne laxiore ; spiculis ovatis , glomeratis , superne masculis. *Linn.*

Lamarck. Dict. Bot.

Hab. ad sepes , et in humidis prope *Pereira* circa Conimbricam , et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

Culmus sesquipedalis et ultra , triqueter , ad apicem scaber. Spica oblonga , sesquiuncialis , biuncialisve ; spiculis sessilibus , approximatis , inferne laxis , compositis , subsessilibus , glomeratis. Bractea subulato-setacea sub spiculis inferioribus , ipsisque sæpe longior , et sursum sensim decrescens. Squamæ ovato-acuminatæ , capsulis breviores. Capsulæ divergentes , ovatæ , longe acuminatæ , apice bifurco.

6. CAREX *echinata*.

C. Spiculis sessilibus , subovatis , remotis , inferne masculis : capsulis acutis , mucronatis. *Roth. Flor. Germ.*

Hab. ad sepes prope *Aldêa dos Mouros* , sed parce. Flor. vere. Peren.

Ex Cl. Prof. Link.

7.

7. CAREX *muricata*. Linn.

C. Spiculis subovatis, sessilibus, remotis, superne masculis: stigmate bifido: capsulis acutis, bicuspidatis.

Hab. in locis gramineis subhumidis in Beira. Flor. vere. Peren.

8. CAREX *virens*.

C. Spiculis ovatis, sessilibus, subremotis; infima foliolo longo instructa.

Lamarck. Dict. Bot.

An varietas præcedentis?

Hab. in humidis umbrosis cum præcedenti circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

9. CAREX *paniculata*. Linn.

C. Spica ramoso-composita, ramulis alternis, remotiusculis; spiculis ovatis, acuminatis: bracteis setaceis: capsulis bifidis.

Hab. ad ripas fluviorum fossarumque, atque in paludosis in valle de *Cozelhas* prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

10. CAREX *longiseta*.

C. Spiculis simplicibus, lanceolatis, pedunculatis, superne masculis: folio florali inferiori terminalibus spicis sesquiduplo longiori. *Broter.*

Hab. in montosis subhumidis, umbrosisque in Extremadura et Beira. Flor. vere. Peren.

Radix fibrosa, perennis. Culmus semipedalis, pedalisve, gracilis, debilis, triqueter, filiformis, nudus, ad apicem scabriusculus. Folia cespitosa, sex ad novem uncias longa, lineam ad sesquilineam inferne lata, carinata, carinâ marginibusque scabriuscula. Spicæ duæ tresve, androgynæ, infima subsessilis, aliæ pedunculatæ; bracteatæ omnes, bractea infima longissima, scabra, angusta, subsetiformis, duas tresve uncias supra terminalis

spi-

spiculæ apicem protensa. Squamæ omnes scariosæ, fusco-virides, sub flosculis fœmineis ovatæ, acutæ, capsulis æquales, aut paulo longiores; sub masculis lanceolatæ. Capsula triquetra, acuta, vix mucronata.

** *Spicis pluribus sexu distinctis in eadem planta.*

(A) *Spica una mascula, aliis fœmineis.*

11. CAREX *flava.* Linn.
C. Spicis confertis, subsessilibus, subremotis; mascula lineari: stigmate trifido: capsulis acutis, recurvis.
Hab. in uliginosis et humidis sylvaticis circa Conimbricam et alibi in Beira et Interamnia. Flor. Maj. et Jun. Peren.

12. CAREX *panicea.*
C. Spicis pedunculatis, erectis, remotis; fœmineis linearibus: capsulis obtusiusculis, inflatis. Linn.
Hab. in uliginosis altissimis *Gerez.* Flor. Jun. et Jul. Peren.
Ex Clar. P. Link.

13. CAREX *dimorpha.*
C. Spicis pedunculatis, erectis; mascula terminali, bracteis valde breviori: culmis monostachiis brevissimis, polystachiis foliorum longitudine. *Broter.*
Hab. inter vallem de *Arregaça* et Pinetum de *Marrocos* prope Conimbricam. Flor. vere. Peren.

Radix perennis, fibrosa. Folia omnia radicalia, tres ad sex uncias longa, duas lineas inferne lata, cespitosa, glabra, carinata, carina lævi, marginibus ad apicem scabriusculis, læte viridia. Culmi plures, triquetri, aphylli, tenues, erecti, aut obliqui, læves; alii ab una ad sesquiunciam longi, spi-

spica unica fœminea ebracteata terminati; alii foliorum longitudine, seu ipsis paulo breviores, raro longiores; spicis tribus quatuorve terminati, quarum suprema mascula, lanceolata, aliæ paulo infra fœmineæ, alternæ, ovatæ, seu ovato-oblongæ, latiores. Squamæ in mascula acutæ, lanceolatæ; in fœmineis ovato-lanceolatæ, acuminatæ, seu longe mucronatæ. Folia floralia sæpius tria, rarius duo, sursum decrescentia, uti pedunculi, infimum latius et triplo spiculis longius, medium tenuius, ipsis paulo longius, supremum masculâ brevius. Capsula subtriquetra, acutiuscula, ovato-lanceolata, ad lentem subpubescens.

Obs. Spiculæ fœmineæ culmi polystachii interdum androgynæ, apice duobus aut pluribus flosculis masculis instructæ. Pedunculi scabri.

14. CAREX *cespitosa.*

C. Spicis erectis, cylindricis, ternis, subsessilibus; mascula terminali: culmo triquetro. *Linn.*

Hab. in paludosis ad altissima montium in Interamnia. Flor. Junio et Jul. Peren.

An vere a Linnæana-cespitosa distincta, uti Cl. Goodenoughio placuit?

15. CAREX *distans.*

C. Spicis remotissimis, breviter extra folii vaginam pedunculatis, axillaribus: capsulis triquetris, mucronatis, mucrone bifurco.

La Marck. Dict. Bot.

Hab. in umbrosis humidis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

Parum differt a C. distanti. Linn., *culmo acute triquetro, capsulis acutissimis.*

16. CAREX *pendula.*

C. Spicis subsessilibus, pendulis; mascula erecta, fœmineis cylindricis, longissimis: capsulis subrotundis, acuminatis. *Linn.*

Syst. Nat. Tom. 2. ed. Cl. Gmelini.
Car. maxima La Marck. Dict. Bot.
Hab. in humidis sylvaticis prope Conimbricam et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

17. CAREX *patula.*
C. Culmo folioso: foliis retrorsum hispidis: spicis gracilibus; fœmineis pendulis, laxis, prælongis: capsulis rostratis, bifidis. *Linn.*
Syst. Nat. Tom. 2. ed. Cl. Gmel.
Hab. in umbrosis udis ad summa montium Interamniæ et Beiræ. Flor. Junio et Julio. Peren.

(B) *Spicis masculis pluribus, aliis fœmineis.*

18. CAREX *ruffa.*
C. Spicis masculis crassis, subventricosis; fœmineis erectis, subsessilibus: squamis acutis: capsulis bifidis.
La Marck. Dict. Bot.
Hab. in paludosis, fossisque Flor. vere. Peren.
Ex Cl. P. Link.
Affinis subsequenti.

19. CAREX *acutæformis.*
C. Spicis masculis pluribus, fœmineis, androgynisque, subsessilibus, erectis: capsulis ellipticis, convexo-planiusculis, breviter mucronatis. *Broter.*
Hab. in humidis, in Beira meridionali. Flor. vere. Peren.
Nimis affinis C. acutæ, maxime ejus Varietati ruffæ.
Radix crassa. Culmus tripedalis et ultra, firmus, erectus, versus basin subteres, superne obsolete triqueter, angulis lævibus absque ulla scabritie nec inter spicas, foliis inferne vaginatus. Folia ultra pedalia, carinata, ad apicem carinâ mar-

marginibusque retrorsum scabra. Spicæ masculæ ad apicem culmi tres quatuorve, erectæ, sessiles, subteretes, terminali pedunculata, longiori, biunciali et ultra; intermedia androgyna, sessili, aut subsessili; inferiores duæ vel tres, remotiores, fœmineæ, subsessiles, interdum infima longe pedunculata. Squamæ in spicis masculis lanceolatæ; in fœmineis ovato-acutæ, sive lanceolato-mucronatæ. Bractea sub singula spica ovato-acuta, sub masculis minor. Capsula obtusa cum brevi mucrone, elliptica, hinc convexiuscula, inde subplana, marginibus superioribus subciliatis, squamis siccis vix brevior.

20. CAREX *glauca.*

C. Spicis maribus una pluribusve; fœmineis aut androgynis pedunculatis, nutantibus: capsulis ovato-triquetris, confertis.

C. glauca Cl. Roth. et Scop.

C. verna glauca D. La Marck. Dict. Bot.

Micheli Nov. gen. Tab. 32. fig. 12.

Hab. in calcareis, frequens prope Conimbricam. Flor. primo vere. Peren.

Folia albo-viridia.

41. SPARGANIUM.

Amenta globulosa, compacta, plura juxta caulem flexuosum. Perianthia propria triphylla, linearia, decidua. Mascula terminalia; fœminea inferiora.

Masc. Filamenta calyce longiora; antheræ oblongæ,

Fœm. Drupa exsucca, supera, unicularis, mono, seu disperma.

1. SPARGANIUM *erectum.*

S. Foliis erectis, lineari-lanceolatis, nervo elevato. *Linn.*

Lusit. *Espadana d'agua.*

Variat culmo ramoso et non ramoso: foliis triquetris, canaliculatis, aut ensiformibus planis.

Hab. ad stagna frequens, maxime in agris Conimbricensibus. Flor. Maj. usque ad Jul. Peren.

42. TYPHA.

Amentum duplex, cylindricum, densissimum, culmi apicem circumvestiens.

Masc. Amentum terminale: cal. nullus: cor. petalis tribus setaceis, obsoletis.

Fœm. Amentum inferius: cal. nullus: corolla nulla (nisi pilos aggregatos pro ipsis sumere velis): semen setæ insidens pilosæ, seu pappo capillari inverso instructum.

1. TYPHA *latifolia.*
T. Foliis subensiformibus: spica mascula fœmineäque approximatis. *Linn.*
Lusit. *Tabûa larga.*
Hab. in stagnis Lusitan. australioris. Flor. Junio et Jul. Peren.

2. TYPHA *angustifolia.*
T. Foliis semicylindricis: spica mascula fœmineaque remotis. *Linn.*
Lusit. *Tabûa estreita.*
Hab. cum præcedenti: cæter. simil.

43. EMPETRUM.

Cal. tripartitus: cor. tripetala.
Masc. Stamina longa, antheræ bipartitæ.
Fœm. Stylus brevissimus, tri aut novempartitus: bacca 3-9-sperma.

1. EMPETRUM *album.*
E. Ramulis pubescentibus: foliis supra scabriusculis, subtus canaliculatis. *Linn.*
Lusit. *Camarinheira*, ou *Camarinha.*
Hab. in arenosis non longe ab ora maritima, ex *Aveiro* usque ad dumeta *de Almada* et *Caparica* trans Tagum. Flor. Mart. et April. Peren.
Occurrunt varietates baccis albis et purpureis.

44. OSYRIS.

Cal. trifidus, turbinatus: cor. nulla, nisi margo triplex nectariferus.
Masc. Stamina brevissima.
Fœm. Stylus tripartitus, stigmata patentia: drupa umbilicata, monosperma.

1. OSYRIS *alba.*
O. Foliis linearibus. *Linn.*
Lusit. *Casia branca de Virgilio.*
Hab. ad sepes circa Conimbricam passim; item in dumetis ultra Tagum et alibi in Extremadura et Beira. Flor. April. et Maj. Peren.

45. RUSCUS.

Cal. triphyllus : cor. tripetala : nectarium centrale, erectum, ventricosum, ovatum, apice tridentatum.

Masc. Filamenta nulla ; antheræ quadriloculares, bilobæ, lateraliter coalitæ, emarginaturis nectarii superne insidentes.

Fœm. Stylus longitudine nectarii, stigma obtusum, per os nectarii prominens : bacca bilocularis : communiter semen unum accrescens suffocat alia.

1. RUSCUS *aculeatus*. Linn.
R. Foliis (frondibus) ovatis, supra floriferis, nudis, apice pungentibus.
Lusit. *Gilbarbeira*.
Hab. ad sepes passim ; item in dumetis circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. autumno usque ad Januar. Peren.

ORDO II.

DISTYLIA.

46. ALOPECURUS.

Cal. gluma bivalvis: cor. univalvis.

1. ALOPECURUS *pratensis.*
   A. Culmo spicato, erecto: glumis villosis: corollis muticis. *Linn.*
   Hab. in Transmontana. Flor. vere et æstate. Peren. *Ex Cl. C. Hoffmansegg.*
2. ALOPECURUS *ciliatus.*
   A. Culmo spicato, erecto: glumis ciliatis. *Allion. Flor. Pedem.*
   Hab. in Transmontanæ pratis. Fl. cum præced. *Ex Cl. C. Hoffmansegg.*

* 46. AGROSTIS.

Cal. gluma bivalvis: cor. bivalvis, calyce minor: stigmata longitudinaliter villosa.

* *Aristatæ.*

1. AGROSTIS *panicea.*
   A. Paniculâ subspicata: corollâ valvulis calycinis aristatis paulo breviori, aristata, arista duplo longiori, geniculata.
   Alopecurus-Monspeliensis, paniceusque. Linn.

Hab.

Hab. freq. in siccis ad vias. Flor. vere et æstate. Ann.

Valvula interna corollæ minima, vix conspicua.

2. AGROSTIS *lendigera.*

A. Panicula subspicata: valvulis calycinis muticis, basi ventricosis: corolla minima, valvula altera longe aristata, pubescente.

Milium-lendigerum. Linn.

Agrostis-australis Linn. et Vandelli, *secundum Cl. Vahl. Symbol.* 2., *ex fide Herbarii Linnæani.*

Hab. in collibus calcareis et agris frequens circa Olisip., Conimbr. et alibi. Flor. æstate. Ann.

3. AGROSTIS *articulata.*

A. Panicula arcte spicata, oblongiuscula; flosculis tuberculato-articulatis: calycis valvula altera aristata: corolla mutica. *Broter.*

Hab. in solo macro circa *Pombal*, et alibi in Beira meridionali. Flor. vere. Ann.

Radix fibrosa, annua. Culmi plures ex eadem radice, tres ad octo uncias alti, glabri, filiformes, bi, seu trinodes, inferne subramosi. Folia culmo breviora, glabra, vaginâ striata, ligulâ membranacea, lacera. Panicula biuncialis, uncialis, seu paulo ultra longa, ad quinque lineas lata, pedunculis brevibus, brevissimeque subdivisis, et quasi verticilla brevia effingentibus. Flosculi glabri, ad basin medio tuberculo minimo articulati, pedunculis scabris, et ab istis facile desilientes. Calycis valvulæ inæquales; externa aristata, dorso scabra, arista flosculo duplo longior; externa lanceolato-acuminata. Corollæ valvulæ glabræ, membranaceæ, muticæ, calyce breviores; interna minima, externâ triplo brevior.

4. AGROSTIS *interrupta.* Linn.

A. Petalis bifidis, exteriore aristato: panicula attenuata, coarctata, interrupta.

Hab. in ripa arenaria *Durii* prope *Porto.* Flor. æstate. Ann.

Ex Cl. P. Link.

5. AGROSTIS *miliacea?*

A. Petalo exteriori arista terminali, recta, stricta, mediocri. *Linn.*

Lusit. *Talha-dente.*

Hab. ad sepes, vias, et alibi freq. in omni fere Lusitania. Flor. vere, æstate, interdum autumno. Perenn.

An Agr. miliaceæ Linn. varietas? Calyx laxus, subæqualis: corollæ arista terminalis, caduca, sed vix mediocris, cum sesquilineam ad duas lineas extra calycem exserta sit.

An Ag.-melanosperma D. La Marck. Dict. Bot.? Sed semina non nigra.

6. AGROSTIS *setifolia.* Broter.

A. Foliis setaceis: panicula coarctata: calycibus hispidiusculis, coloratis: petalo exteriore arista dorsali, geniculata.

A.-alpina Linn. Syst. Veg. ed. Cl. Gmelin.

Ead. Linn. Spec. Pl. ed. Cl. Willdenow.

Hab. freq. in montosis sabulosis prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere et æstate. Ann.

Ligula vaginæ foliorum longa, ovato-acuminata. Panicula triuncialis. Valvula externa corollæ acutiuscula, ad basin aristata, arista medio geniculata, vix e calyce exserta; valv. interna vix ulla.

7. AGROSTIS *vinealis.*

A. Calycibus coloratis: valvulæ corollinæ arista dorsali longitudine calycis, aut paulo ex ipso exserta: culmis adscendentibus, multinódibus.

Cl. Roth. Fl. Germ.

Hab. circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. mensibus vernis. Peren.

Va-

Variat flosculis plerisque muticis : ad A.-capillarem proxime accedit.

Arista sæpius é basi corollæ , et post florescentiam ad lineæ longitudinem é calyce exserit.

8. AGROSTIS *gigantea.*

A. Paniculæ parte superiore, prius florente, patentissima : calycibus hispidis : valvula externa corollæ glabra, dorso superne subaristata : culmo erecto.

Cl. Roth. Fl. Germ.

Hab. circa *Porto*, et in dumetis Lusitaniæ borealis. Flor. vere. Peren.

Ut varietas præced. habita a Cl. P. Linkio et Willdenow.

** *Muticæ.*

9. AGROSTIS *hispida.*

A. Panicula capillari patente : calycibus æqualibus, subulatis, hispidiusculis, coloratis. *Linn.*

Sp. Pl. ed. Cl. Wilden.

Hab. freq. in glareosis montosis circa Conimbricam, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. vere. Peren.

Hanc cum A.-capillari confudit Linn.; sed calyx in vera A-capillari Linn. glaber, nec dorso scaber, secundum Cel. Smith. Icon. ined. Fasc. 3. p. 54. tab. 54.

10. AGROSTIS *rivularis.*

A. Culmo basi repente : panicula conferta : calycis valvulis æqualibus, scabris : valvulis corollinis calyce duplo brevioribus, æqualibus, apice denticulatis. *Broter.*

Hab. ad rivulos, et in paludosis prope Conimbricam, et alibi. Flor. Junio et æstate. Ann.

Radix fibrosa, annua. Culmi plures ex eadem radice, firmiter erecti, ad infimos duos tresve nodos ra-

radicantes, vix ibique curvati, multinodes, (nodis quinque ad septem nigricantibus) glabri, pedales ad sesquipedales, interdum ad basin ramulosi, sæpius simplicissimi. Folia omnia plana, latiuscula, (ad duas lineas cum dimidia lata) marginibus scabra, glabra uti etiam vagina; ligula obtusa, lacera, glabra. Panicula quadriuncialis, rachi cylindrica lævi, recta, ramulis in anthesi patentibus, inæqualibus ex semiuncia ad duas uncias longis, inæqualiter subdivisis, ad infimum nodum sex ad octo; flosculis numerosis, confertis. Glumæ calycinæ valvulæ æquales, virides, unam lineam longæ, acuminatæ, lanceolatæ, dorso scabræ, marginibus membranaceis, in maturescentia patulæ. Corolla calycinis valvulis dimidio brevior, tam in anthesi, quam in seminis maturitate; valvulæ constanter altitudine æquales, glabræ, apice obtuso quasi truncatæ, ad lentem denticulatæ, exterior latior, viridis, apice sæpius quatuor denticulis, uno majori, instructa; interior tenuissima, angustior, apice tricuspidata. Antheræ fulvæ. Semen subovale, calyce fere dimidio brevius, corolla adnata cinctum, hinc convexum, inde unisulcatum.

Non confundenda cum A.-stolonifera vel alba, præsertim cum earum valvulæ corollinæ sint inæquales.

11. AGROSTIS *minima*. Linn.

A. Spica unilaterali, filiformi: culmis setaceis.

Hab. in arvis sabulosis circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Febr. et Mart. Ann.

Spica flosculis 7,8,9, *alternis, subsessilibus. Corolla villosa, membranacea, bivalvis; valvula interna paulo minor, villoso-lacera, angustior, sublanceolata. Valvula ista in omnibus flosculis, absque ulla dissectione, aut lacerante violentia, sive*

in

in florenti, sive sicca semper mihi taliter in conspectum venit.

47. PHLEUM.

Cal. gluma bivalvis, valvulis truncatis, carinæ apice mucronatis: cor. bivalvis, calyce minor, inclusa.

1. PHLEUM *nodosum.*
P. Spica cylindrica; culmo adscendente; foliis obliquis: radice bulbosa. *Linn.*
Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam. Fl. Junio et Julio. Peren.

28. CRYPSIS.

Cal. gluma bivalvis, valvulis carinatis, non truncatis, inæqualibus, corolla brevioribus: cor. bivalvis, semini non adnata.

1. CRYPSIS *arenaria.* Linn.
C. Spicis oblongis, ovatis, aut ovato-lanceolatis: caule ramoso, procumbente.
Hab. in ripis arenosis Tagi, ad arenosa humida circa vicum *Trafaria*, et Mundæ prope Conimbricam. Flor. Jul. Ann.
An Cryp.-arenaria Cl. La Marck? Spicæ é vagina omnes semper exsertæ, aliæ sublanceolatæ, aliæ ovatæ, unciales, semiunciales aut paulo minores: valvulæ calycis dorso carinatæ, ciliato-scabræ.
Satis longitudine spicarum exsertarum á C. schœnoide (*Phleo-Schœnoide Linn.*) *diversa planta est.*

2.

2. CRYPSIS *macrostachya.*

C. Panicula oblonga, spiciformi, lanceolato-cylindrica: foliis vaginisque glabris: valvulis calycinis dorso piloso-ciliatis, corollâ paulo brevioribus. *Broter.*

Hab. ad ripas arenosas Durii prope *Pezo da Regoa* et alibi in Transmontana. Flor. Jun. et Jul. Ann.

Commun. primùm á Cl. P. Link.

Radix fibrosa, annua. Culmi plures ex una radice, glabri, plurinódes, (nódis 7 ad 9) subflexuosi, subteretes, hinc profunde unisulcati, octo ad undecim uncias longi. Folia ad singulos nodos plana, acuta, glabra, ad sesquiunciam longa, striata, marginibus lævibus demum convoluta: vaginæ internodiis paulo breviores, marginibus glabris, membranaceis, ad ligulam subvillosis, extrema sub panicula ventricosa; ligula ciliato-pilosa, brevis. Panicula biuncialis aut paulo ultra, exalbida, arcte spiciformis, lanceolato-cylindrica, ad medium tres quatuorve lineas lata. Pedicelli breves, glabri. Calycis valvulæ subæquales, unam lineam aut paulo ultra longæ, muticæ, acutæ, compressæ, dorso piloso-ciliatæ, ibique virides, cæterum albo-membranaceæ, enerves, glabræ, nec ad apicem extra fasciculum vascularem dorsi membrana prominente carinatæ, ut in Phalaridis valvulis calycinis. Corolla bivalvis, valvula externa similis valvulis calycinis, altiori earum æqualis aut paulo longior, nec unquam brevior; interna omnino albido-membranacea, obtusiuscula, externa paulo brevior; utræque semini non adnascuntur, sed laxe illud fovent. Antheræ tres, fulvæ.

Affinis Airæ-pubescenti *Cl. Wilden. in Linn. Spec. Plant.; sed sat diversa, ut ex descriptione patet.*

49. PHALARIS.

Cal. gluma bivalvis, valvulis navicularibus, carinato-alatis, subæqualibus, corolla paulo longioribus: cor. bivalvis, valvulis basi sæpe appendiculatis, semini arcte adnatis.

1. PHALARIS *Canariensis*. Linn.
P. Paniculâ subovata, spiciformi: valvulis intermediis æqualibus, corollâ valde brevioribus.
Lusit. *Alpista*.
Hab. inter segetes, locisque incultis spontanea; colitur etiam, sed parcè. Flor. vere. Ann.
Obs. Calycis valvulæ carinâ subintegerrimæ; corollinæ subæquales, pubescentes, calyce fere duplo breviores; valvulæ accessoriæ (s. nectaria externa) inter calycem et corollam, duæ æquales, ovales, obtusæ, corollâ valde breviores.

2. PHALARIS *paradoxa*. Linn.
P. Panicula mutica, oblonga, spiciformi: glumis calycinis navicularibus, unidentatis: corollâ bivalvi, glabra; flosculis infimis præmorsis.
Hab. in Lusitania meridionali. Flor. vere. Ann.
Obs. Panicula subclavata, inferne ad semiunciam flosculis plurimis neutris et quasi præmorsis instructa: valvularum intermediarum rudimentum vix ullum.

3. PHALARIS *bulbosa*.
P. Panicula mutica, cylindracea, spiciformi: glumis calycinis navicularibus, denticulatis: corolla bivalvi, glabra: radice bulbosa. *Linn.*

Sp.

Sp. Plant. ed. Cl. Wildenow. It. Cl. Cavanill. Icon. 1. *p.* 46. *t.* 64.

Hab. in calcareis prope Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Peren.

Obs. Valvulæ intermediæ nullæ: valvulæ calycinæ mucronatæ, æquales.

4. PHALARIS *aquatica.*

P. Panicula mutica, cylindracea, spiciformi: glumis calycinis navicularibus, subdenticulatis: corollâ trivalvi, valvulis interioribus villosis, exteriore minuta, subulata. *Linn.*

Sp. pl. ed. Cl. Wildenow.

Hab. prope Conimbricam. Flor. vere. Ann.

An Phal.-minor Cl. Retz?

Phalaris-aquatica Linn. Amœnit. Acad. 4. *p.* 264 *certe non est, cum culmus non arundinaceus, nec folia solidiuscula; radix annua fibrosa, nec bulbosa perennis; spica cylindrica, sesquiuncialis aut paulo longior; culmus sesquipedalis aut bipedalis in nostra, non rigidus; folia glabra, ad apicem marginibus scabris; valvulæ calycis glabræ, mucronatæ, uno alterove denticulo instructæ, sæpius integerrimæ; corollæ valvula intermedia et aliæ subvillosæ.*

5. PHALARIS *arundinacea.* Linn.

P. Panicula oblonga, ventricosa, ampla: valvulis intermediis brevibus, extus valde pilosis: radice non bulbosa.

Hab. in humidis circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. æstate. Per.

Colitur var. foliis variegatis.

50. PANICUM.

Cal. gluma trivalvis, valvula exteriore minima, basi includente valvas majores; sæpius uniflora.

* *Spicata.*

1. PANICUM *verticillatum.* Linn.
P. Spica verticillata, racemulis quaternis: involucellis unifloris, bisetis, retrorsum scabris: culmis diffusis.
Lusit. *Milhãa verticillada.*
Hab. in agris Conimbricensibus et alibi. Flor. æstate. Ann.

2. PANICUM *viride.* Linn.
P. Spica tereti: involucellis unifloris, trisetis, inermibus; seminibus non undulato-rugosis.
Lusit. *Milhãa verde.*
Hab. in agris maxime in Beira meridionali. Flor. æstate. Ann.

3. PANICUM *glaucum.* Linn.
P. Spica tereti: involucellis bifloris, fasciculato-setosis: seminibus transversim undulato-rugosis.
Lusit. *Milhãa glauca.*
Hab. in Lusitania boreali, *Cea* et alibi. Flor. Jun. Jul. Ann.

4. PANICUM *Italicum.*
P. Spica composita; spiculis glomeratis, setis immixtis; pedunculis hirsutis. *Linn.*
Lusit. *Milho painço.*
* Colitur in humidiusculis, maxime in Lusitania boreali. Flor. æstate. Ann.
Panicum-Germanicum, secundum Linneum, est va-

 rie-

rietas P. Italici, at secundum Botanicos Germanicos illud ab isto specie differt, quia tota planta duplo vel triplo minor; spica magis ovata, minor, nec elongata pedalis, neque basi interrupta; spiculæ conglobatæ, nec elongatæ; involucelli setacei, flore fere triplo breviores; denique rachis hirsuta, nec tomentosa. Attamen hæ notæ cultura apud nos evanidæ sunt.

5. PANICUM *Crus galli.*

P. Spicis alternis conjugatisque; spiculis subdivisis; glumis aristatis, hispidis: rachi quinqueangulari. *Linn.*

Lusit. *Milhãa maior, ou Pé de gallo.*

Hab. freq. in agris Conimbricensibus, et aliis ubi *Zea-Mayz* colitur. Flor. æstate. Ann.

Rachis interdum quadrangularis, aut obsolete quinqueangularis, et non raro triangularis.

Variat flosculis muticis et aristatis, ac omnibus simpliciter alternis: ideo P.-Crus-corvi forte istius varietas.

** *Paniculata.*

6. PANICUM *arenarium.*

P. Radice repente, panicula composita, ramis erecto-patulis; spiculis bifloris, polygamis: foliis linearibus, vaginis ad margines pilosis. *Broter. Phytogr. Lusitan. Fasc.* 1. *n.* 4.

Lusit. *Alcarnache, ou Escalracho da area.*

Hab. in arenosis subhumidis; occurrit in Algarbiis, ultra Tagum, et passim ad Mundam in agris Conimbricensibus. Flor. æstate. Peren.

7. PANICUM *miliaceum.* Linn.

P. Panicula laxa, flaccida: foliorum vaginis hirtis: glumis mucronatis, nervosis.

Lusit. *Milho miudo.*

Co-

* Colitur in tota Lusitania, sed parcius quàm *Zea-Mayz*. Flor. vere. Ann.

51. PASPALUM.

Cal. gluma bivalvis, valvulis æqualibus: cor. uni-bivalvis, calyci æqualis: flores secundi, rachi submembranacea.

1. PASPALUM *sanguinale*.
P. Spicis digitatis, basi interiore nodosis: flosculis geminis, muticis: foliorum vaginis punctatis.
Lusit. *Milhãa digitada*.
Panicum-sanguinale. Linn.
Hab. in agris subhumidis frequens. Flor. æstate. Ann.
Folia nunc glabra, nunc hirsuta. Flosculorum alius sessilis, alter pedicellatus: calyces sæpius fere omnes bivalves, raro unus aliusve trivalvis, valvula una minima, ovato-acuta.

2. PASPALUM *dactylon*.
P. Spicis digitatis, patentibus, basi interiore villosis: floribus solitariis: sarmentis repentibus.
Lusit. *Grama das Boticas*.
Panicum-dactylon. Linn.
Hab. frequens in agris, ad vias, et alibi in tota Lusitania. Flor. æstate. Per.

3. PASPALUM *cynosuroides*.
P. Spicis linearibus, terminalibus, alternis; flosculis alternis, secundis, adpressis.
Lusit. *Morraça*.
Dactylis-cynosuroides. Linn.
Hab. in lutosis maritimis trans Tagum, ad *Seixal*, *Sacavem*, et in Algarbiis. Flor. Sept. Oct. Per.

Optimum pecori pabulum præstat. Spicæ duæ ad quatuor, breviter pedunculatæ, bi, triuncialesve.

52. ROTTBOLIA.

Rachis teretiuscula, articulata: flosculi spicati, rachis sinubus cavis appressi: cal. gluma univalvis, simplex aut bipartita, uniflora: cor. bivalvis.

1. ROTTBOLIA *incurvata.*
R. Spicâ tereti, subulata: glumâ calycina subulata, adpressa, bipartita.
Ægilops-incurvata Linn. Syst. N. Ed. XII.
Hab. prope Conimbricam, et *Figueira* in arenosis maritimis. Flor. vere. Ann.

2. ROTTBOLIA *adscendens.*
R. Spica tereti, subulata, compressiuscula: gluma calycina univalvi, indivisa; suprema bivalvi: culmo adscendente. *Broter.*
Hab. circa Conimbricam in subumbrosis calcareis. Flor. Maj. et Jun. Ann.
Obs. Culmus sex ad octo uncias longus, glaber, ut tota planta, ad basin ramosus, ex procumbenti adscendens: flosculi inferiores et superiores alterni, in media rachi oppositi; glumæ calycinæ omnes univalves, integerrimæ; ovato-acuminatæ; unicus flosculus terminalis habet calycem bivalvem, valvulis valde longioribus et angustioribus.

53. HORDEUM.

Cal. glumæ duæ tresve in singulo rachis dente, bivalves, involucriformes, unifloræ: cor. bivalvis, valvula exteriore aristata.

1. HORDEUM *hexastichon.*
   H. Fosculis omnibus hermaphroditicis, aristatis: seminibus sexfariam æqualiter positis. *Linn.*
   Lusit. *Cevada.*

* Colitur freq. in omni Lusitania. Flor. vere. Ann.

2. HORDEUM *distichon.*
   H. Flosculis lateralibus masculis, muticis: seminibus angularibus, imbricatis, nudis. *Linn.*
   Lusit. *Cevada santa.*

* Colitur rarius pinguiori solo, maxime in agris Conimbricensibus. Flor. vere. Ann.

3. HORDEUM *murinum.*
   H. Fosculis lateralibus masculis, aristatis, dorso glabris: involucris intermediis ciliatis. *Linn.*
   Lusit. *Cevada dos ratos.*
   Hab. frequens in ruderatis, ad muros, vias et alibi. Flor. Maj. ad Jun. Ann.

4. HORDEUM *secalinum.*
   H. Flosculis lateralibus aristatis; calycibus setaceis, scabris.
   Hord.-murin. var. β Linn.
   Hab. in pratis, pascuis, ad vias circa Conimbricam et alibi. Fl. Maj. Jul. Ann.

54. STIPA.

Cal. gluma bivalvis, laxa: cor. bivalvis, valvulæ exterioris arista terminali longissima, tortili, basi articulata.

1. STIPA *tenacissima.*
S. Aristis basi pilosis: panicula spicata: foliis filiformibus. *Linn.*
Lusit. *Esparto.*
Hab. in Algarbiis. Flor. vere. Per.

2. STIPA *humilis.*
S. Aristis e medio ad basin villosis contortisque: panicula spicata, subramosa: caule decumbente, demum ascendente: foliis convolutis, subulatis, intus pubescentibus. *Broter.*
Phyt. Lusit. Fasc. 1. *n.* 5.
Hab. in solo macro, sabuloso ad Conimbricam, Olisipon., et alibi in Beira et Extremadura. Fl. Jun. et Jul. Ann.

3. STIPA *arenaria.*
S. Panicula laxa; floribus pendulis; nectario tripartito; aristis nudis, rectis; calycibus semine paulo longioribus. *Broter.*
Phyt. Lusit. Fasc. 1. *n.* 6.
Lusit. *Baracejo.*
Hab. in aridis et arenosis Lusitaniæ meridionalis: occurrit passim in pinetis et dumetis ab *Almada* ad Promontorium barbaricum, vulgo *Cabo de Espichel.* Flor. Maj. Peren.

55. CALAMAGROSTIS.

Cal. gluma glabra, bivalvis, non carinato-alata: cor. bivalvis, basi pilosa, semini adnata.

1. CALAMAGROSTIS *arenaria.*
C. Panicula spicata: foliis involutis, mucronato-pungentibus.
Arundo-arenaria. Linn.
Hab. in arenosis maritimis. Flor. Maj. et Jul. Per.

56. SACCHARUM.

Cal. gluma bivalvis, basi lanugine longa cincta: cor. bivalvis, glabra, semini adnata.

1. SACCHARUM *cylindricum.*
S. Panicula spicata, cylindrica; pedunculis unifloris, flosculis muticis: foliis planis: geniculis barbatis.
Lagurus-cylindricus. Linn.
Hab. ad ripas Durii prope *Pezo da Regoa*, et alibi in Transmontana et Beira boreali. Flor. Jun. et Jul. Peren.
Variat floribus diandris.
Obs. Sacharum-officinale *vix in viridariis a diligentibus naturæ colitur.*

57. LAGURUS.

Cal. gluma bivalvis, valvulis apice aristatis, arista villosa: cor. bivalvis, valvula exteriore triaristata, aristis duabus apice, tertia dorso.

1. LAGURUS *ovatus.*
L. Spica ovata. *Linn.*
Hab. circa Olisiponem, et trans Tagum in pinetis de *Almada* et *Caparica* et alibi. Fl. Jun. Jul. Ann.

58. ANDROPOGON.

Cal. gluma bivalvis: cor. bivalvis, valvula exteriore ad basin aristata, arista tortili.

Masc. Flos sæpius muticus.

Hermaph. Flos aristatus, approximatus in eadem panicula aut spica.

1. ANDROPOGON *Sorghum.*
A. Panicula ovata, erecta; glumis turgidis, pubescentibus, aristatis.
Lusit. *Milho zaburro vermelho*, *ou Milho da India.*
Holcus-Sorghum. La Marck. Dict. Enc.
An Holcus-sacharatus Linn.?
* Colitur in agris humentibus. Flor. æstate. Ann.

2. ANDROPOGON *compactum.*
A. Panicula ovata, compacta, ante maturescentiam

tiam cernua ; glumis turgidis , villosis, aristatis: seminibus compressiusculis.

Lusit. *Milho zaburro branco.*

Holcus-Sorghum Linn.

* Colitur in agris humentibus. Flor. æstate. Ann.

3. ANDROPOGON *Halepensis.*

A. Panicula laxa; glumis oblongis, glabris, partim muticis, partim aristatis.

Lusit. *Zaburro de Alépo.*

Holcus-Halepensis Linn.

* Colitur in agris humidis prope *Thomar.* Flor. æstate. Peren.

Panicula subpurpurascens, acuta, laxior et longior, quam in præcedentibus; ramis nutantibus. Flosculi hermaphroditici sæpius aristati; masculi mutici, interdum omnes mutici.

4. ANDROPOGON *Ischæmum.*

A. Spicis digitatis plurimis : flosculis approximatis, aristatis muticisque; pedicellis lanatis. *Linn.*

Hab. in siccis montosis prope *Porto* et *Pezo da Regoa*, et alibi in Beira et Transmontana. Flor. Jun. Aug.

Flosculus hermaphroditicus sessilis, aristatus; masculus subpedicellatus, muticus. Calyx hirsutus.

5. ANDROPOGON *hirtus.* Linn.

A. Spicis conjugatis : calycibus hirsutis: flosculo hermaphroditico longissime aristato.

Hab. in collibus, frequens circa Conimbricam, Olisiponem, et in omnibus Lusitaniæ Provinciis. Flor. æstate et autumno. Peren.

59. AIRA.

Cal. gluma bivalvis, valvulis acutis, æqualibus: cor. bivalvis, valvulis calyci simillimis: nullum corpusculum, sive floris rudimentum, inter duos flosculos.

* *Muticæ.*

1. AIRA *minuta.*
A. Panicula laxa, subfastigiata, ramosissima. *Linn. Schreb. gram. t.* 21. *f.* 2.
Hab. in Transtagana, prope *Arrayólos* et alibi. Fl. vere. Ann.

2. AIRA *involucrata.*
A. Panicula patente, basi setis involucrata: foliis convolutis.
Cl. Cavan. Icon. 1. *p.* 33. *n.* 48. *tab.* 44. *f.* 1.
Hab. in *Gerez.* Flor. Jun. Jul. Ann.
Communicata primùm á Cl. P. Link.

** *Aristatæ.*

3. AIRA *lævis.*
A. Foliis planis: panicula laxa, ramosa; pedunculis lævibus; calyce valvis corollinis paulo breviori; flosculis basi vix pubescentibus, sub apice breviter aristatis. *Broter.*
Hab. in montibus aridis frigidis, circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. vere. Ann.
Radix fibrosa, annua. Culmi solitarii, aut sæpius plures ex una radice, quatuor ad septem uncias alti, erecti, glabri, ut fere tota planta, striati,

ti, binodes. Folia plana, supra et marginibus scabriuscula, subtus lævia, subcarinata; vaginæ inferiores folio breviores, superiores illo nimium longiores, striatæ; ligula membranacea, longa, fissa. Panicula biuncialis, ovata, divaricata, ramosa: pedunculi omnes lævissimi, vix flexuosi, duo tres aut quatuor ex singulo rachis nodulo; pedicelli immediati spiculis duas ad quatuor lineas longi. Receptaculum singulæ spiculæ tuberculato-turbinatum. Spiculæ glaberrimæ, obtusæ, sublanceolatæ, unam lineam, vix ultra, longæ. Calycis valvulæ subæquales, lanceolatæ, obtusiusculæ, vix marginatæ, dorso virides lævesque, ad apicem marginibus membranaceis sordide albidis, corollis paulo breviores. Flosculi subæquales, laxiusculi, inferior subsessilis, tuberculo subglabro insidens, superior pedicello minimo, leviter ad lentem villoso, impositus. Corollæ valvula exterior glabra, ad lentem inferne vix pubescens, apice obtuso, denticulato, membranaceo, carinâ ad lentem superne scabriuscula, paulo infra apicem aristata; arista scabra, ipsa valvula dimidio breviori, erecta, vix semilineam supra ipsam protensa, demum obliqua, nec tortili neque geniculata; valvula interna vix minor, membranacea, glabra, apice denticulata. Antheræ atropurpureæ.

4. AIRA *cespitosa.*

A. Foliis planis: panicula patente: corollæ valvulis basi villosis, aristatisque; arista recta, brevi. *Linn.*

Hab. in Beiræ borealis montosis, prope *Campéa*, *Viseu*, *Sabugueiro*, &c. Flor. Maj. Jul. Peren.

5. AIRA *glabrata.*

A. Foliis planis: panicula laxe patenti; pedunculis glabris; flosculis infra apicem aristatis, arista reflexa, laxa. *Broter.*

Hab. in montosis glareosis, frigidis circa Conimbricam, et alibi in Beira boreali. Flor. primo vere. Ann.

Radix fibrosa. Culmi plurimi (ad 50) ex eadem radice, obliqui, aut erectiusculi, biunciales, triunciales aut paulo altiores, læves et glaberrimi, binodes trinodesve, teretes, foliis usque ad paniculam vaginati. Folia plana, subtus glabra et lævia, supra et ad margines scabriuscula, sæpius tria in culmo, infimum sesquilineam latum, unciam aut paulo ultra longum, sensim versus paniculam decrescentia ita, ut supremum subnullum, et ligulæ longitudine sit; vaginæ longæ, glabræ, striatæ, folii summi longissima, sulcata, ventricosa; ligula ultra lineam longa, obtusa, albido-membranacea, sæpius integerrima. Panicula ovata, laxe patens, uncialis aut sesquiuncialis, ante et post florescentiam contracta; pedunculi glabri, rubelli. Gluma calycina ex viridi-purpurascens, valvulis subæqualibus, lævibus, glabris, lanceolatis, obtusiusculis. Flosculi duo, calyci æquales aut sæpius paulo longiores, sordide albidi, inferior sessilis, superior breviter pedicellatus, pedicello glabro; corollæ valvulæ usque ad basin glaberrimæ, exterior laxior, apice crenulato-subtruncato, dorso paulo infra apicem aristata, arista laxa, primum recta, dein inflexa, nec tortili, valvulis calycinis paulo altiori; valvula interior angustior, subtruncata, exteriori longitudine æqualis. Antheræ purpurascentes.

*Affinis A-*spicatæ; *sed panicula non dense spicata, sed laxe patens: pedunculi non villosi, sed glaberrimi: arista paulo infra apicem corollæ sita, nec tortilis.*

6. AIRA *flexuosa.*

A. Foliis setaceis: culmis subnudis: panicula divaricata: pedunculis flexuosis. *Linn.*

Hab.

Hab. in erectioribus *Gerez*. Flor. Jun. Jul. Peren.

7. AIRA *montana*.

A. Foliis setaceis : panicula angustata : flosculis basi pilosis; arista tortili, longiori. *Linn.*

Hab. cum præcedenti. Flor. Jun. Jul. Peren.

Varietas videtur præcedentis, et si quædam differentia ab illa locum habet, consistet secundum Cl. Roth. 1. *in spiculis purpureis, albidis, nitentibus*: 2. *pedicellis sæpe rufescentibus*; *arista nigra, breviore*: 3. *panicula oblonga, ramis rectis, et ex Cel. Gerard, glumis basi pilosis.*

8. AIRA *canescens*.

A. Foliis setaceis: vaginis scabris: aristis calycem non excedentibus. *Linn.*

Hab. in ericetis et arvis sabulosis, prope Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Ann.

Arista medio coronâ denticulari instructa, ad apicem clavata.

9. AIRA *præcox*.

A. Foliis setaceis: vaginis glabris, sulcato angulatis: floribus paniculato-spicatis: aristis é corollæ basi, calycem superantibus. *Linn.*

Hab. in altioribus Beiræ, et Interamniæ. Flor. vere. Ann.

10. AIRA *caryophyllea*.

A. Foliis setaceis : vaginis glabris, sulcatis: panicula divaricata : aristis calycem superantibus. *Linn.*

Hab. in arenosis et agris macris, frequens circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Maj. Jul. Ann.

Nimis adfinis præcedenti, sed differt inflorescentia multo majore divaricataque; vaginis longioribus nec angulatis; corollis subæqualibus, subdivaricatis.

Culmus triuncialis, semipedalisve. Panicula ramosa, divaricata, ante et post florescentiam contracta,

cta, pedunculis sæpius binis ex eodem nodo, dein in tres divisis, scabriusculis. Calycis valvæ corollâ longiores, subæquales, ventricosæ, acuminatæ, supra medium dorso et marginibus scabriusculæ. Flosculi duo, sessiles, subæquales, basi vix villosi. Corollæ valvula externa acuminatissima, supra medium carinâ et marginibus scaberrima, infra medium aristata, arista geniculata, incurva, extra calycem ad unam lineam protensa.

60. MELICA.

Cal. gluma bivalvis: cor. bivalvis: corpusculum pedicellatum inter duos flosculos: nectarium monophyllum, germen ambiens: filamenta basi dilatata et coalita.

1. MELICA *ciliata.*

M. Spica cylindrica: flosculi inferioris valvulâ exteriore corollæ ciliata. *Linn.*

Hab. in rupibus et collibus, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Maj. Jun. Peren.

2. MELICA *nutans.*

M. Petalis imberbibus: panicula nutante. *Linn.*

Hab. in nemorosis montosis, sepibusque Beiræ et Extremaduræ. Flor. Maj. Jun. Peren.

Flosculus unus hermaphroditicus, alter masculus, tertius neuter. Variat panicula simpliciter subramosa, foliorum demum ligula albida, oblongiuscula, subdentata.

3. MELICA *cærulea.*

M. Panicula coarctata: floribus cylindricis: culmo enodi. *Linn.*

Hab.

Hab. in montosis *Gerez*, et Herminii, maxime ad lacum rotundum. Flor. Jul. et Septembri. Peren.

An verè Melicis referenda?

Culmus unico vix nodo ad basin præditus. Gluma calycina sæpius biflora, raro flosculo tertio neutro instructa.

61. SECALE.

Cal. gluma bivalvis, opposita, biflora: cor. bivalvis, valvula exteriore ventricosa, aristata, carinâ ciliata; interiore plana, lanceolata.

1. SECALE *cereale.*
S. Glumarum ciliis scabris. *Linn.*
Lusit. *Centeio.*
* Colitur frequens terris sabulosis et montosis. Flor. vere. Ann.

62. ELYMUS.

Cal. glumæ involucriformes, bivalves, duæ vel tres, laterales, aggregatæ in singulo rachis dente; singulæ spiculis bifloris (ut in nostro) aut trifloris, raro ultra: cor. bivalvis.

1. ELYMUS *Caput Medusæ.*
E. Glumis involucriformibus, setaceis, patentissimis, longissimis: aristis corollæ erectis, longissimis. *Linn.*

Hab.

Hab. in *Tapada da Ajuda*, circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. vere. Ann.

63. CYNOSURUS.

Cal. bivalvis, triflorus: cor. bivalvis: spiculæ secundæ, bracteatæ; bracteis simplicibus aut compositis.

1. CYNOSURUS *cristatus*.
C. Bracteis pinnatis. *Linn.*
Hab. circa Conimbricam, et alibi in montosis Lusitaniæ borealis. Fl. Jun. Septemb. Peren.
Spica oblonga, secunda : bracteis tribus, convexo-planis, mucronatis: spicularum flosculis 2. s. 3.
2. CYNOSURUS *echinatus*.
C. Bracteis pinnato-paleaceis, aristatis. *Linn.*
Hab. circa Conimbricam, et fere in omnibus Lusitaniæ Provinciis ad sepes. Flor. Maj. Jul. Ann.
Panicula glomerata, ovata, secunda. Variat panicula oblongiuscula, depauperata, laxa. Rarissime bracteæ, floresque aristis destituuntur.
3. CYNOSURUS *aureus*.
C. Panicula secunda; bracteis spiciformibus, pendulis, ternatis: floribus aristatis. *Linn.*
Hab. in siccis sabulosis, rupestribus, muris, sepibus, Olisip. et Conimbric. Flor. mensibus vernis. Ann.

64. ÆGILOPS.

Cal. gluma communis bivalvis, maxima, fere cartilaginea, aristis variis: cor. bivalvis, valvula exteriore bi aut tri-aristata.

1. ÆGILOPS *ovata.*
Æ. Calycibus omnibus triaristatis. *Linn.*
Hab. calcareis in terris, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Maj. Jul. Ann.
Calycis aristæ 4. *s.* 5. *sæpius*; *corollæ* 2. *s.* 3.

2. ÆGILOPS *triuncialis.*
Æ. Calycibus inferioribus biaristatis: spica oblonga, gracili. *Linn.*
Hab. in ripis arenosis Durii, maxime prope *Porto.* Flor. Jun. Peren.

65. HOLCUS.

Cal. gluma bivalvis, biflora; flosculo altero hermaphroditico, altero masculo pedicellato.

Masc. Cor. bivalvis, valvula altera aristata, arista non spiraliter tortili.

Herm. Cor. bivalvis, mutica.

1. HOLCUS *lanatus. Linn.*
H. Glumis bifloris, villosis; flosculo hermaphrodito sessili, mutico; masculo pedunculato, arista recurva.

Hab. in pratis, pascuis, et ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. Jul. Ann.

2. HOLCUS *mollis*.

H. Glumis bifloris, nudiusculis; flosculo hermaphrodito mutico; masculo arista geniculata. *Linn.*

Hab. in siccis montosis in Beira, raro circa Conimbricam. Flor. Maj. Jun. Peren.

Calyx dorso subciliatus, muticus. Flosculi masculi arista tortilis, recta demum, subreflexa, calyce longior. Paniculæ pedicelli gemini, subvillosi.

3. HOLCUS *avenaceus*.

H. Panicula laxa; spiculis bifloris, flosculo hermaphroditico submutico, masculo aristato.

Cl. Roth. Flor. Germ.

Avena-elatior Linn.

Hab. in dumetis, arenosis apricis ad Tagum, circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura.

Radix nunc fibrosa, nunc sæpius nodosa, nodis rotundis, utrinque compressis: spiculis sæpius coloratis; flosculis duobus, æqualibus, calyce longioribus; tertio neutro pedicellato, minimo, breviori; hermaphroditico vix pedicellato; masculo sessili; arista calyce duplo brevior, tortilis, refracta.

66. DACTYLIS.

Spiculæ ante et post anthesin arcte paniculatæ, compresso-planæ: cal. bivalvis, carinatus, acuminatus, valvula altera latitudine et longitudine maior: cor. bivalvis, valvula externa, apice obtuso aut bifido, aristata, marginibus membranaceis, interna bifida, mutica.

1. DACTYLIS *glomerata.* Linn.

D. Paniculæ spiculis secundis, glomeratis: valvulâ corollæ externa dorso carinato-ciliata, apice obtuso membranaceo breviter aristata.

Hab. in locis graminosis, pratis, ruderatis, aggeribus, cultis, ad vias, fere ubique. Flor. vere, æstate. Peren.

Spiculæ sæpius triflor æ, rarius quadriflor æ. Ipsæ nimis glomeratæ atque complanatæ, necnon apex valvulæ corollinæ obtusus (etsi aristatus) eam a Festucis, quibus affinis, removent.

2. DACTYLIS *cylindracea.*

D. Panicula ovato-oblonga, coarctata, subteres: spiculæ quadrifloræ: valvula corollæ externa ad carinam pilosa; arista flosculo paulo longior. *Broter.*

Hab. in glareosis, aut solo macro, circa Conimbricam, Olisiponem, &c. Flor. vere, æstate. Ann.

Radix fibrosa, radiculis densis, villosisque. Culmi ex eadem radice plures paucioresve, (prout solum plus minusve macrius) biunciales, spithamæi, pedales et ultra, glabri, binodes, s. trinodes,

erecti, inferne incurvi, foliis toti vaginati cùm breves, aliter pedunculis terminalibus longe nudis. Folia utrinque pubescentia, vaginis maxime ad margines pilosis, ligula lacero ciliata. Panicula sesquiuncialis ad triuncialem, reliqua ut in phrasi specifica. Spiculæ congestæ, subsessiles, complanatæ, erectæ ante et post florescentiam, patulæ in anthesi, et tunc panicula laxiuscula, sæpius quadriflora, raro 3, seu 5-floræ, rarissime sexfloræ, aliquæ flosculo extremo sterili. Valvulæ calycinæ sæpissime glabræ, inæquales, acutæ; alia angusta paulo brevior, altera latior lateribus membranaceis: valvulæ corollæ subæquales, bifidæ, externa altior, latior, carina sæpius pilosa, interdum glabra, vix ad lentem scabra lateribus scariosis, apice leviter bifido, ex emarginatura aristato, arista brevi, ad semilineam lineamve, ut plurimum, extra lacinias protensa, valvula interna membranacea, bifida, subplana, paulo minor, mutica.

Hæc cum subsequenti Bromis adfines nimis sunt; attamen ob spiculas complanatas, nimis coarctatas, et subsessiles, obque valvulas valde scariosas, ab ipsis removi. Huic speciei potiùs, quàm subsequenti, Festuca-cristata *et* Bromus-rigens *Linnæi et Vandelli, referri debent.*

1. DACTYLIS *caudata.*

D. Panicula ovato-oblonga, subspicata, lobata: spiculis subquadrifloris: valvulis corollæ glabris, bifidis; arista flosculo dimidio et ultra longiori. *Broter.*

Hab. in glareosis circa Conimbricam, et alibi. Fl. mensibus vernis. Ann.

Radix fibrosa, radiculis pilosis, annua. Culmi plures ex eadem radice, semipedales, pedales, aut paulo ultra, adscendentes, glabri, simplices, aut inferne ramosi, et tunc inferne multinodes; rami

unà

unà cum culmo eadem vaginâ folii vaginati, culmo paulo breviores. Folia utrinque pubescentia, uti et vaginæ margo; ligula lacero-ciliata. Panicula bi-tri-quadriuncialis, ante et post florescentiam coarctata in formam ovato-lanceolatam, lateribus lobatam, in anthesi laxa, ramis primariis patentibus. Spiculæ obovatæ, approximatæ, subsessiles, complanatæ, erectæ, sæpius quadrifloræ, raro trifloræ, flosculis laxis: calycis valvulæ glabræ, carina scabræ (lente visæ) marginibus scariosis, acutæ, alia valde alia longior latiorque: corollæ valvulæ semper glabræ, bifidæ, subæquales, externa latior, carinata, lateribus membranaceis, ex emarginatura aristata, arista extra lacinias ad sesquilineam protensa; interna omnino membranacea, subplana, bifida, mutica.

67. BRIZA.

Spiculæ subcordato-ovatæ, flosculis distichis, muticis, scariosis: cal. bivalvis, valvulis ventricosis, obtusiusculis, æqualibus: cor. bivalvis, valvula interna minima.

1. BRIZA *maxima.* Linn.

B. Spiculis cordatis: calyce flosculis septemdecim breviore.

Lusit. *Bollebolle maior.*

Hab. freq. ad margines agrorum, in collibus, sepibus, dumetis. Flor. vere et æstate. Ann.

Variat spiculis villosis et glabris.

2.

2. BRIZA *media*.

B. Spiculis subovatis: calyce flosculis septem breviore. *Linn.*

Lusit. *Bollebolle menor.*

Hab. in pratis et vallibus subhumidis. Flor. Maj. Jul. Ann.

Caulis semipedalis, pedalisque. Panicula ramosa, multiflora, patentissima; spiculæ cordato-ovatæ, ad duas lineas latæ, et fere ad duas etiam altæ; calyx patens. Unde potius maiori jure a quibusdam recentioribus Botanicis Briza-minor *appellatur; nam* Briza-minor *Linnæi forte est* Briza-media *in juniori ætate.*

68. POA.

Spiculæ ovatæ, compressæ, muticæ: cal. bivalvis, valvulis acutis: cor. bivalvis, valvulis margine scariosis, apice rarissime mucronatis.

1. POA *decumbens*.

P. Panicula erecta: spiculis subovatis, muticis; calyce flosculis maiore: culmo decumbente.

Festuca decumbens Linn.

Hab. in arenosis trans Tagum, dumetis, pratis et pascuis in *Beira*; occurrit etiam circa Conimbricam. Flor. Maj. Jul. Peren.

Caulis obliquus; spiculæ subquadrifloræ; calyx acutus.

2. POA *fluitans*.

P. Panicula ramosa, erecta: spiculis compresso-teretiusculis: glumis corollinis ad apicem scarioso-mucronatis.

Festuca-fluitans Linn.

Hab.

Hab. in fossis, inundatis, rivulis, circa Conimbricam, et alibi. Flor. Maj. Jul. Peren.

3. POA *rigida*.

P. Panicula secunda, lanceolata, subramosa; ramulis alternis, secundis: flosculis apice subscariosis. *Linn.*

Hab. frequens muris et aliis in locis aridis et montosis, circa Conimbricam et alibi. Flor. Maj. Jun. Ann

4. POA *Eragrostis*.

P. Culmo ramoso, decumbente: spiculis oblongis, sublanceolatis, vigintifloris.

Briza-Eragrostis Linn.

Obs. Poa-Eragrostis Linn., spiculis 6-10-*floris, quæ nostræ varietas minor, non adhuc nobis occurrit in Lusitania.*

Hab. locis sabulosis, et ad ripas Mundæ, Durii &c. Flor. æstate. Ann.

5. POA *verticillata*.

P. Panicula patente, capillari, flexuosa: spiculis undecimfloris, lineari-subulatis.

Cl. Cavan. Icon. I. p. 63. *t.* 93.

Hab. ad Tagi, Durique ripas, et ad Mundam prope Conimbricam. Flor. æstate. Ann.

Culmus adscendens. Vaginarum ligulæ pilosæ. Panicula subdiffusa; pedunculi infimi verticillati, ad originem pilosi; spiculæ sublanceolatæ, 9, 10, 11-*floræ; glumæ corollinæ carinatæ, carinâ serrulatâ.*

6. POA *trivialis*.

P. Panicula subdiffusa: spiculis trifloris, basi pubescentibus: culmo erecto, tereti. *Linn.*

Sp. pl. ed. Cl. Wildenow.

Hab. in pascuis, sepibus, circa Conimbricam. Flor. vere. Peren.

Panicula ramosissima. Folia scabra, uti etiam vaginæ; ligula longissima. Spiculæ bi-trifloræ.

7.

7. POA *pratensis.*

P. Paniculà diffusâ : spiculis sub-5-floris, glabris : culmo erecto, tereti. *Linn.*

Sp. pl. ed. Cl. Wilden.

Hab. in pratis et subhumidis, inter *Obidos* et Turres Veteres, et alibi in Extremadura. Flor. vere. Peren.

8. POA *annua.*

P. Panicula diffusa, patentissima : spiculis obtusis, sub-5-floris : culmo obliquo, compresso. *Linn.*

Hab. frequens ad vias, et alibi passim. Flor. vere et æstate. Ann.

9. POA *bulbosa.*

P. Panicula secunda, patentiuscula : spiculis 4-floris. *Linn.*

Hab. in montosis circa Olisipon. et Conimbricam. Flor. vere et æstate. Peren.

Radix bulbosa. Rarissime apud nos vivipara.

69. ARUNDO.

Cal. gluma bivalvis, valvulis glabris, angustis, acuminatis, altera breviore : cor. bivalvis, inferne lana longa, uti et semen, cincta.

1. ARUNDO *Donax.*

A. Calycibus subquinquefloris : panicula diffusa : culmo fruticoso. *Linn.*

Lusit. *Canna.*

Hab. ad sepes, aggeres Lusitaniæ australioris, quasi spontanea, et sæpius culta. Flor. æstate. Peren.

2.

2. ARUNDO *phragmites.*

A. Calycibus subquinquefloris: panicula laxa. *Linn.* Lusit. *Caniço d'agua.*

Hab. in fossis, lacubus, ad ripas fluviorum, ad Tagum, et Mundam prope *Monte mór o velho*, et alibi. Flor. Jul. Aug. Peren.

70. AVENA.

Cal. bivalvis, valvulis laxis, muticis: cor. bivalvis, valvula externa dorso aristata, aristâ spiraliter tortâ.

1. AVENA *agraria.*

A. Panicula subsecunda: spiculis subtrifloris; flosculis lævibus, duobus apice bisetis, infra ipsum aristâ dorsali geniculatâ, dispermis. *Broter.* Lusit. *Avea.*

Hab. in agris fere spontanea, vel culta. Flor. vere. Ann.

Panicula semipedalis et ultra, ramosa, ante et post florescentiam contracta, in anthesi patens, subsecunda. Pedunculi ex singulo nodo inferiori 7, 6, 8; alii simplicissimi monostachyi, alii 2, 3, 4, 5-stachyi et ultra, sensim numero decrescentes, subflexuosi, scabri. Spiculæ subtrifloræ; flosculis duobus hermaphroditis, aristatis, tertio neutro, sæpius mutico; omnibus pedicellatis, pedicellis hermaphroditorum apice pilosis, neutri capillari glabro, aut vix pubescenti. Calycis glumæ subæquales, lanceolatæ, multinerves, glabræ, omnino læves, marginibus membranaceis, flosculis longiores. Corollæ valvula externa dorso et marginibus glabra lævisque, superne 6-nervis, costis nerveis scabra, bifida, biseta, setis scabris, ipsa valvula triplo brevioribus,

bus, dorso paulo infra fissuram arista geniculata, scabra, æquali aut paulo longiore, instructa; valvula interna paulo minor, lanceolata, acuta, binervis, marginibus viridibus, lævibus, apice membranaceo subbifido. Semina in singula spicula sæpius duo, rarius unum, alio abortiente in spiculis inferioribus.

An varietas Avenæ-sativæ? Sed barbata est, corolla et flosculi omnes aristati. Affinis etiam est Av. strigosæ Recentiorum; sed panicula valde longior, gluma calycina non costis elevatis scabra, nec corollarum longitudine, sed semper ipsis longior; arista longior, semina non nigricantia.

2. AVENA *agraria mutica.*

A. Panicula subsecunda: spiculis subtrifloris, dispermis; flosculis omnibus muticis; corollarum valvulis integris, obtusis, subdentatis. *Broter.* Lusit. *Avea môcha.*

Hab. in agris fere spontanea, vel culta. Flor. vere. Ann.

Similis præcedenti, et ejus varietas. Pedicelli flosculorum valde breviores, subpilosi: calyx similis: corollarum valvula exterior sublanceolata, dorso scabriusculo, glabro, ad apicem costis nerveis scabra, apice integro, vix tribus quatuorve denticulis minimis membranaceis terminata, absque ulla arista dorsali; valvula interior paulo minor, late lanceolata, binervis, membranacea, villoso-ciliata, apice (ad lentem) bidenticulata. Semina sæpius duo in singula spicula.

Avenæ-sativæ *muticæ affinis quoque est; sed denticuli corollæ obtusæ, seu subtruncatæ, plus ad Av. agrariam quàm ad Av. sativam referunt, nisi Av. agrariam Av. sativæ varietatem esse vellis.*

3. AVENA *agraria sesquialtera.*

A. Panicula subsecunda: spiculis bifloris, monosper-

permis; corollis apice bisetis, arista dorsali geniculata. *Broter.*

Lusit. *Avea ordinaria.*

Hab. in agris fere spontanea, et maxime culta. Fl. vere. Ann.

Panicula semipedalis, pedalisve, laxa, in anthesi patens, subsecunda: pedunculi inferiores 7 ad 11 ex eodem rachis nodo, alii ramosi, subramosi alii, scabri. Spiculæ subbifloræ, flosculis pedicellatis, uno hermaphrodito, altero neutro, pedicellis subglabris: calycis valvulæ novemnerves, subæquales, glabræ, læves, lanceolatæ, acutæ, apice et marginibus membranaceis, flosculis longiores: corollæ valvula exterior dorso glabra et lævis, superne nervosa, nervis scabriusculis, bifida, biseta, setis scabris; infra dorsum arista tortili, geniculata, calycis longitudine, instructa; valvula interior paulo minor, glabra, lanceolata, binervis, apice membranaceo, subbifido, marginibus supra medium villoso-subciliatis. Flosculus neuter nunc muticus, nunc sæpius aristatus; interdum rudimentum adest minimum secundi flosculi hermaphroditi, aristati bisetique, continens intra sese etiam rudimentum tertii flosculi neutri, vix conspicui. Semen sæpius unum in singula spicula, rarissime in eadem panicula duo semina in una alterave spicula occurrunt. Varietas Av. agrariæ.

4. AVENA *nuda.*

A. Paniculata; calycibus trifloris; receptaculo calycem excedente; petalis dorso aristatis, tertio flosculo mutico. *Linn.*

* Colitur in Interamnia et Transmontana, sed raro. Flor. vere. Ann.

Affinis admodum Av. sativæ, sed semina decorticata decidunt.

5. AVENA *barbata.*

A. Panicula sparsa: calycibus subquadrifloris, duobus fertilibus: corollis apice bisetis, dorso aristatis pilosisque.

Lusit. *Balanco.*

Hab. frequens inter segetes, in muris et alibi. Flor. Maj. Junio. Ann.

Panicula ramosa. Calyx corolla maior: flosculi duo inferiores hermaphroditi fertiles, tertius hermaphroditus sterilis, quartus minimus neuter: pedicelli flosculorum pilosi. Corollarum valvula externa apice glabra, bifida, duabus setis mollibus terminata; interior paulo minor, glabra, villoso-subciliata, apice acuto, integerrimo, aut subintegerrimo, vix conspicue bidenticulato; arista corollis duplo aut fere duplo longior. An varietas Av. fatuæ? Sed, flosculis 4, valvula exteriori corollæ apice biaristata, sat distare videtur.

6. AVENA *sterilis.*

A. Panicula laxa; calycibus quinquefloris; exterioribus flosculis aristisque basi pilosis; interioribus muticis. *Linn.*

Hab. frequens segetibus et hortis. Flor. vere et æstate. Ann.

Affinis nimium Av. barbatæ, sed habitu maior et semper pluriflora.

7. AVENA *setifolia.*

A. Panicula laxa: glumis calycinis subtrifloris; flosculo hermaphrodito mutico, pedicellato, longiori; hermaphrodito alio aristato, sessili: foliis convoluto-setaceis, glabris.

Hab. in collibus de *Arrabida.* Flor. vere. Peren.

Comm. primùm a Cl. P. Link.

Radix perennis, fibrosa. Culmus bipedalis et altior, erectus, bi raro trinodis, lævis, omnino etiam ad genicula glaber. Folia radicalia tria et plura

utrin-

utrinque, sesquipedalia et ultra, inferne glabra, marginibus lævibus, vix ad lentem subpubescentibus, uti pagina superior, ad lineam lata, planiuscula, citius ad formam setaceam convoluta, læte viridia; vaginis equitantibus, latioribus, glabris, nervosis, submembranaceis, duas ad tres uncias longis; ligula minima, truncata, fissa, lanugine superne vix conspicua instructa: folia culmea duo, raro tria, sensim sursum decrescentia, infimum quadriunciale, supremum unciale, paulo latiora, etiam convoluto-setacea, subtus glabra, lævia, ad lentem supra subpubescentia, vaginis longissimis, glabris, marginibus membranaceis; ligula ut in radicalibus. Panicula quadriuncialis, aut paulo altior, laxa, parum ramosa; spiculæ subtrifloræ, duobus flosculis hermaphroditis, uno sessili, aristato, altero mutico, semilineam altiori, pedicellato, pedicello villoso, unam lineam et ultra longo; tertio neutro minimo, mutico, pedicellato. Calycis valvulæ inæquales, acuminatæ, trinerves, longitudine fere flosculorum: corollæ valvulæ externæ in hermaphroditis acutæ, septinerves, infra medium villosæ, una dorso aristata, arista tortili, refracta, calycinis valvulis duplo et ultra longiori. Nectarium diphyllum, foliolis acuminatis, lineari-lanceolatis, germine villoso longioribus.

Habitus Holci-avenacei (Avenæ-elatioris Linn.) sed folia diversa; insuper flosculi duo hermaphroditi, unus altior et longiùs pedicellatus, adhuc non parvam differentiam addunt.

8. AVENA *montana.*

A. Panicula laxa: spiculis subquadrifloris: corollis acutis, integerrimis. *Broter.*

Hab. in dumetis montosis, circa Conimbricam, sed rara. Flor. vere. Peren.

Radix perennis, fibrosa. Culmus erectus, quadri-

pe-

pedalis, trinodis (nodo infimo prope basin) glaber, ad genicula villosus. Folia plana, ad duas lineas cum dimidia lata, stricta, lævia, supra subvillosa: ligula brevis, truncata, subfissa; vaginæ strictæ, longissimæ, subvillosæ, inferiores pilosæ. Panicula semipedalis et maior, laxa, subramosa, pedunculis glabris, scabris. Calyx bivalvis, triflorus cum rudimento quarti flosculi; valvulæ glabræ, muticæ, ex viridi-purpureæ, acuminatæ, inæquales, interna flosculis æqualis aut paululum altior. Flosculi tres, altitudine æquales; omnium valvula externa acuta, inferne pilosa: duo inferiores hermaphroditi; alius sessilis, dorso aristatus, arista tortili, refracta, calycis valvulis duplo longiori; alius subsessilis, muticus; tertius sæpius hermaphroditus, raro masculus, pedicellatus, pedicello glabro, muticus, minor: demum adest rudimentum quarti flosculi pedicellati. Nectaria lineari-lanceolata, acuminata, germine villoso longiora. Antheræ purpureæ.

Habitu affinis Holco-avenaceo (Avenæ-elatiori Linn.) Sed flosculorum sexu et numero differt. Neque cum Avena-pubescente confundenda; folia enim latiora, ligula parva; corollæ non apice multifidæ, neque nectaria truncata, tridentata, &c.

9. AVENA *fragilis.*

A. Spicata: calycibus quadrifloris, valvulis quocumque flosculo longioribus. *Linn.*

Hab. in pascuis montosis, et sabulosis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. Ann.

10. AVENA *pratensis.*

A. Subspicata: calycibus quinquefloris. *Linn.*

Hab. in pratis et pascuis montosis, circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Maj. et Jun. Ann.

71.

71. BROMUS.

Spicula oblonga, subteres, flosculis distichis: cal. bivalvis, muticus: cor. bivalvis, valvula externa bifida, infra apicem aristata, arista non spiraliter tortili.

1. BROMUS *secalinus*.

B. Panicula patente: spiculis ovatis, compressis; glumis glabris; aristis flexuoso-rectis. *Linn.*

Hab. maxime in Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Ann.

Culmus bi-tri-quadripedalis. Folia rigidiuscula, supra retrorsum scabriuscula, margine versus basin pilis raris brevibus instructa; vaginæ glabræ; ligulæ dentatæ, ovatæ. Panicula quatuor ad sex uncias longa, patens; pedunculi sex ad octo, simul ex eodem rachis dente prodeuntes, subsimplices, retrorsum scabri: spiculæ ovatæ, seu potius ovato-oblongæ, compressæ, 9. s. 10-floræ: corollæ, maturo semine, paulo remotæ: aristæ corollæ valvulis plerunque breviores, primùm flexuosæ, dein rectæ, vix retro scabræ.

2. BROMUS *mollis*.

B. Panicula erectiuscula: spiculis ovatis, pubescentibus; aristis rectis: foliis mollissime villosis. *Linn.*

Hab. ad muros, vias, et in agris siccioribus frequens. Flor. vere et æstate. Ann.

Culmus pedalis et altior; genicula crassa, cylindracea, subtus præsertim villosa. Folia ex albido

do villosa , retrorsum scabra ; vaginæ nullatenus villosæ. Panicula ovata , erecta , contracta , utrinque mollisima , subcanescens ; pedunculi breviter ramosi. Corollæ imbricatæ ; arista recta , scabra , corollæ longitudine. Varietas præcedentis , secundum D. La Marck. et nonnullos alios recentiores Botanicos.

3. BROMUS *squarrosus.*

B. Panicula nutante : spiculis ovatis ; aristis divaricatis. *Linn.*

Hab. in collibus siccis , maxime calcareis in Beira et Extremadura. Flor. vere. Ann.

Variat panicula erecta aut subnutante , s. vere nutante ; laxa , patula , aut contracta ; depauperata , simplicissimis pedunculis solitariis , aut conferta pedunculis brevibus , 2-6 in singulo dente , nunc indivisis simplicissimisque , nunc subdivisis , bi-tri-stachyis ; spiculis glabris aut lanuginosis , 10-14-floris , macris aut crassis , ovato-oblongis , sive ovato-lanceolatis , compressis , rarissime subteretibus. Aristas semper observavi erectas in anthesi , reflexo-patentes in maturitate fructûs , vix spira una , nec multis (ut in Avena) contortas , sæpius spicula dimidio et ultra breviores. Folia et vaginæ in omnibus , quæ observavi , individuis , semper pubescebant. Bromus-alopecuros (D. Vahl) panicula contracta , erecta , spicis teretibus , aristis divaricatis , *huic nostro valde similis ; sed tam nostrum quàm illum , varietates Bromi-squarrosi , loco et climati debitas , esse credo. Bromi-lanceolati descriptio (Cl. Roth. Catalecta Bot. p. 18.) etiam nostro optime convenit.*

4. BROMUS *sterilis.*

B. Panicula patula : spiculis oblongis , distichis ; glumis subulato-aristatis. *Linn.*

Hab. frequens ad vias , in sylvis , agrisque totius Lusitaniæ. Flor. vere. Ann.

Cul-

Culmus sesquipedalis, bi-tri-pedalis et altior, erectus. Folia pubescentia. Panicula ramosa, patens, quatuor ad septem uncias longa, spiculis patentibus, novem-duodecimfloris, viridibus aut purpurascentibus, oblongis, compressis. Corollæ valvula externa scabra, aristâ unciali et longiori terminata.

5. BROMUS *Madritensis.* Linn.

B. Pubescens, panicula patula, subsecunda; spiculis linearibus, retrorsum scaberrimis; aristis longissimis, scabris.

Hab. in siccioribus in Extremadura, Transtagana et Beira. Flor. vere. Ann.

Culmus pedalis aut sesquipedalis, simplicissimus, erectus, bi-tri-quadrinodis, pubescens, uti folia plana, vaginæ, et pedunculi. Panicula laxa, rara, simplex; pedicelli inferiores scabri, tres quatuorve, intermedio bi-trifloro. Calycis valvulæ lanceolatæ, acuminatæ, glabræ, læves, septem-novemfloræ. Corollæ valvulæ unciales et ultra; arista biuncialis, recta, nimium scabra, uti corollæ valvula externa. Variat panicula densiori et rariori; floribus confertioribus et remotioribus. An varietas præcedentis?

6. BROMUS *varius.*

B. Panicula laxiuscula, demum coarctata, subnutante; spicis oblongis, demum cuneiformibus, multifloris, longe aristatis, scabris; pedunculis brevibus, simplicibus ramulosisque. *Broter.*

Hab. in siccioribus totius fere Lusitaniæ. Flor. vere. Ann.

Radix fibrosa, annua. Culmus pedalis aut paulo altior, glaber, erectus. Folia plana, angusta, ad duas lineas lata, sæpius glabra, margine scabriuscula; vaginæ sæpius glabræ, ligula membranacea, lacera. Panicula sæpius quadriuncialis, in flores-

centia patula, demum contracta, nutans; nunc subsimplex; nunc ramosiuscula, pedunculis brevibus, scabriusculis, tribus aut quatuor ex inferioribus rachis dentibus, aliis simplicissimis, aliis di-tristachyis. Spiculæ oblongæ, compressæ, unciales, aut sesquiunciales, sex-decemfloræ, glabræ, rarius pilosæ aut villosæ, sublanceolatæ, demum ex apice dehiscentes, cuneiformes. Calycis valvulæ inæquales, acuminatæ, carinatæ, marginibus membranaceis, carinâ aut etiam nervis superne scabriusculis, aut interdum pubescentibus. Corollæ valvula externa uncialis, scabra, sub apice aristata, arista unciali aut sesquiunciali; valvula interior paulo minor, membranacea. Reliqua Generis.

Obs. Bromus-rigidus Cl. Roth., Bromus-dilatatus Cl. La Marck, et B.-tectorum Linn., huic ita nimis affines sunt, ut vix limites et notæ ad illos a nostro satis bene distinguendos inveniantur.

72. FESTUCA.

Spicula oblonga, teretiuscula, flosculis distichis: cal. bivalvis, valvulis acuminatis, inæqualibus: cor. bivalvis, apice acuto; valvulâ externâ in aristam terminatâ.

1. FESTUCA *ovina.*

F. Panicula secunda, coarctata: culmo tetragono; nudiusculo: foliis setaceis. *Linn.*

Hab. in collibus siccioribus, et apricis aridis Lusitaniæ borealis. Flor. vere et æstate. Peren.

Arista flosculo brevior: spiculæ tri-quatuor-quinqueflora: culmus interdum teretiusculus.

2.

2. FESTUCA *myurus.*

F. Panicula spicata : calycibus minutissimis, muticis; floribus scabris; aristis longis. *Linn.*

Hab. Olisip. Conimbr. et alibi in agris, ad vias, sepes. Flor. vere et æstate. Ann.

Corollæ piloso-ciliatæ, 4 ad 8 : aristæ spiculâ sæpe longiores : folii supremi vagina paniculam attingit : pedunculi inferiores bini, terni et ultra.

3. FESTUCA *hybrida.*

F. Panicula spicata, secunda; spiculis novemfloris, longe aristatis : calycibus valde inæqualibus; corollis scabris, ad basin minimo tuberculo instructis. *Broter.*

Hab. in aridis, ad vias prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Ann.

Habitus Festucæ-myuri, *sed panicula á folio extremo remota, inferne subramosa; calycis valvulæ duplo maiores; rachis spicularum flexuosa; flosculi octo ad undecim, rarissime septem, sex, aut quinque; corollæ dorso marginibusque scabræ, basi, ubi rachi inseruntur, tuberculatæ; aristæ flosculis duplo et ultra longiores. An tamen F. myuri varietas?*

4. FESTUCA *ciliata.*

F. Racemo simplicissimo, subsecundo; spiculis sexfloris : corollis hirsuto-ciliatis; calycis valvulis glabris, acuminatis, muticis, altera maxima, altera minuta. *Broter.*

Hab. ad ripas Durii prope *Porto.* Flor. vere. Ann. *Communicata primùm a Cl. P. Link.*

Radix fibrosa, annua. Culmi plures ex uno nodo radicali, quatuor ad octo uncias alti, flexuosi, adscendentes, quatuor sive quinquenodes, glabri. Folia glabra, uti etiam vaginæ, planiuscula, demum filiformi-convoluta, rigidiuscula; ligulæ minimæ, truncatæ. Racemus oligostachyus. Spiculæ flosculis

 quin-

quinque, aut sex, pedunculis incrassatis valde longiores. Calycis valvula altera acuminata, minima, vix unam lineam longa; altera lanceolata, maxima, sextuplo longior, seu longitudine infimi flosculi, mucronata. Corollæ valvula externa dorso versus apicem scabriuscula, ad margines quamplurimis albidis pilis ciliata, cæterum glabra, aristâ ipsius longitudine terminata; interior minor, bifida, ad apicem leviter subciliata.

5. FESTUCA *longiseta.*

F. Racemo subsimplici, secundo: spiculis sexfloris, longissime aristatis: calycis valvula externa corolliformi, maxima, aristata; altera minutissima, mutica. *Broter.*

Hab. in collibus siccis circa Conimbricam, et alibi in Beira meridionali usque ad Tagum. Flor. vere. Ann.

Radix fibrosa, fibris subfuscis, villosis. Culmi plures ex eodem nodo radicali, inferne parum refracti, dein erecti; pedales aut sesquipedales, quadrinodes, nodis fuscis, sursum sensim distantioribus (supremo semper supra medium culmi) simplicissimi, filiformes, striati, superne infra racemum nudi. Folia omnia glabra, ut tota planta, inferiora ad radicem plana, unam lineam lata, tres uncias longa, margine lævi, demum convoluta; vaginis striatis, submembranaceis, lamina folii brevioribus; ligula minima, truncata, crenulata: superiora similia, sensim decrescentia, vaginis valde breviora. Racemus tri-quadriuncialis, subsimplex, secundus; rachi triangulari, glabra, recta, lævi. Spiculæ inferiores laxæ, ad tertium sive quartum rachis nodum geminæ, (rarissime infimæ ternæ) pedunculatæ; pedunculo communi brevi, sive brevissimo, partialibus sursum incrassatis, angulatis, aut hinc convexis inde canaliculatis, lævibus, inæqua-

qualibus, maiori tres ad quinque lineas longo: superiores solitariæ, alternæ, pedunculatæ, laxæ. Utræque quinque-sex-aut septemfloræ, quinque lineas longæ; flosculis distichis, alternis, laxis, extremis sterilibus, in rachi oblonga, lævi, sessilibus. Gluma calycina bivalvis; valvula altera minima, vix ad unam lineam longa, acuminata, margine scariosa, dorso scabriuscula; altera longissima, ad quatuor lineas longa, fere longitudine spiculæ, corollam infimi flosculi effingens, dorso scabra, marginibus membranaceis, apice aristâ, fere tres lineas longa, terminata. Corolla bivalvis; valvula exterior acuminata, glabra, dorso superne scabra, aristâ triplo quadruploque longiore, scabra, interdum purpurascente, terminata; interna albida, membranacea, bifida, superne ciliata, externâ paulo brevior. Semen oblongum, hinc unisulcatum.

Variat, in solo macro, spiculis omnibus solitariis; racemo simplicissimo, et tota planta habitu minori.

6. FESTUCA *rubra*?

F. Panicula secunda, scabra: spiculis sexfloris, breviter aristatis; flosculo ultimo submutico: culmo semitereti.

An ad Fest.-amethystinam Linn. referenda?

Hab. in Beira boreali, maxime in Diœcesi *Aveiro*. Flor. vere. Peren.

7. FESTUCA *elatior*.

F. Panicula secunda, erecta: spiculis mucronatis, subaristatis, octofloris, subteretibus. *Linn.*

Hab. in humidis in Beira. Flor. vere. Peren.

Panicula semipedalis, pedunculis inferne geminis: spiculæ flosculis quinque ad undecim, apice membranaceis, breviter aristatis: culmus tripedalis et ultra.

8. FESTUCA *geniculata.*

F. Panicula erecta; flosculis distantibus; pedicellis incrassatis: culmo ad infimum nodum refracto.

Bromus-geniculatus. *Linn. et Vandelli.*

Bromus-stipoides. *Linn.*

Bromus-incrassatus. *D. La Marck. Dict. Bot.*

Bromus-geniculatus. *Schreb. Gram. 2. p. 60. t. 31.*

Omnes hujus speciei varietates minores, aut maiores, solo, climate, aut alia causa provenientes, mihi esse videntur.

Hab. in siccioribus et ad vias, frequens circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Ann.

Radix fibrosa. Culmus solitarius, aut plures ex eodem nodo radicali, semipedalis, pedalis, bipedalisve, tri-quadrinodis, genubus fuscis, inferne ad primum nodum refractus, dein erectus, simplicissimus, aut interdum ad singulos nodos unirameus, glaber. Folia plana, superne ad lentem subvillosa, subtus glabra; vaginæ etiam glabræ, culmum fere ad apicem vestientes; ligulæ breves, truncato-laceræ. Panicula quatuor ad octo uncias longa, ramosa, in florescentia erecta, ramis et spiculis distantibus, patentissimis, dein nutans, contracta. Pedicelli sursum sensim incrassati, rhomboideo-ancipites, angulis scabriusculis. Spiculæ tri-quadri-quinque-aut sexfloræ, sæpius trifloræ aut quadrifloræ; rachi flexuosa, planiuscula. Calycis valvulæ muticæ, acuminatæ, dorso scabræ, inæquales, alia aliâ dimidio brevior, marginibus scariosis: corollæ valvula externa dorso scabra, infra basin subtuberculata, marginibus membranaceis, interdum, in flosculis infimis, uno aliove pilo ciliatis, superne indivisa, acuminata, aristaque recta, ejus longitudine, terminata; interna paulo minor, leviter bifida, albido-membranacea.

73.

73. TRITICUM.

Cal. bivalvis: cor. bivalvis, semen arcte aut laxe cingens: spiculæ discus rachi oppositus.

* *Annua.*

1. TRITICUM *æstivum.*
T. Calycibus quadrifloris, ventricosis, glabris, imbricatis, aristatis. *Linn.*
Lusit. *Trigo tremez.*
* Colitur freq. maxime in Provinciis borealibus Lusitaniæ. Flor. vere.
2. TRITICUM *compositum.*
T. Spica recomposita; spiculis confertis, aristatis. *Linn.*
Lusit. *Trigo mourisco maior.*
* Colitur rarius in Provinciis meridionalibus.
Varietas Tr. æstivi *mihi esse videtur; in illud enim solo macro degenerat.*
3. TRITICUM *hybernum.*
T. Calycibus quadrifloris, ventricosis, lævibus, imbricatis, submuticis. *Linn.*
Lusit. *Trigo branco, ou candial, preto, mourisco, durazio, gallego, &c.*
* Colitur frequens maxime in Transtagana, Extremadura, Beira. Flor. vere.
Variat valvulis calycinis submuticis et aristatis; ideo cum Tr. æstivo *conjungendum.*
4. TRITICUM *distachyon.*
T. Spicis subbinis, compressis.
Bromus-distachyos *Linn.*

Hab.

Hab. in montosis calcareis, circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate.

Obs. Spiculæ duæ ad quinque.

5. TRITICUM *patens.*

T. Spiculis in anthesi patentissimis, sublanceolatis, compressiusculis, sexfloris, muticis: calycis valvula minori acuta, altera, uti corolla, obtusa, ambabus muticis. *Broter.*

Hab. in sabulosis montosis, circa Conimbricam, *Lousãa*, *Miranda*, et alibi in Beira. Flor. vere et æstate.

Radix fibrosa. Culmus sæpe solitarius, erectus, pedalis, bipedalis et altior, simplicissimus, tri-sive quadrinodis, teres. Folia plana, glabra, ut tota planta, lævia; vaginis substriatis, lævibus, folio brevioribus. Spica quadriuncialis, semipedalis, et longior: spiculæ plurimæ, alternæ, distichæ, in rachi communi scabriusculâ, inferne quadrangulari, superne triangulari, sessiles, quatuor-octofloræ, sæpius sexfloræ, ovato-lanceolatæ, subcompressæ, quatuor ad sex lineas longæ, in anthesi patentissimæ, postea adpressæ; flosculis in rachi propria sessilibus, distichis. Calycis valvulæ inæquales, flosculis etiam inferioribus breviores; maior sesquilineam longa, obtusa, minor acuta, ambæ muticæ, striatæ, sæpius tricostatæ, marginibus submembranaceis. Corollæ valvula externa glabra, mutica, obtusa, marginibus et dorso lævis, ad lentem scabriuscula; valvula interna æqualis, concava, obtusa, ad margines (lente visa) inferne scabriuscula. Semen glabrum, oblongiusculum, hinc convexum, inde unisulcatum, corolla arcte tectum. Variat, sed rarissime, spica prolifero-ramosa.

Pe-

** *Perennia.*

6. TRITICUM *junceum.*

T. Calycibus quinquefloris, truncatis: foliis convolutis. *Linn.*

Hab. in arenosis, ad littora maritima, præsertim prope oppida *Figueira*, *Boarcos*. Flor. Jun. Jul.

7. TRITICUM *pinnatum.*

T. Culmo indiviso: spiculis alternis, teretibus, mucronatis.

Bromus-pinnatus. *Linn.*

Hab. frequens in sylvis montosis, collibus, dumetis, in tota fere Lusitania. Flor. æstate.

Calyces multiflori: spiculæ demum subarcuatæ.

8. TRITICUM *phœnicoides.*

T. Culmo ramosissimo: spiculis alternis, teretibus: foliis involutis, mucronato-pungentibus.

Bromus-ramosus. *Linn.* } *Ex Cl. Vahl.*
Festuca-phœnicoides. *Linn.* }

Hab. in arenosis, saxosis maritimis, inter promontorium barbaricum (vulgò *Cabo de Espichel*) et *Cezimbra.*

Affinis præcedenti.

9. TRITICUM *gracile.*

T. Spica nutante; spiculis alternis, remotis, teretibus, subulatis, glabris, aristatis.

Bromus-sylvaticus. *Cl. La Marck. Dict. Bot.*

Bromus-gracilis. *Linn. Spec. pl. ed. Cl. Wildenow.*

Hab. in sylvis et sepibus, præsertim in Lusitania boreali. Flor. æstate.

Variat foliis et spiculis plus minusve villosis.

10. TRITICUM *repens.*

T. Calycibus quadrifloris, subulatis, acuminatis: foliis planis. *Linn.*

Lusit. *Grama das Boticas de França.*
Hab. in Beira boreali, Interamnia, et Transmontana. Flor. æstate.
Variat calycibus multifloris; corollis muticis et aristatis.

74. LOLIUM.

Cal. univalvis: cor. bivalvis: spiculæ latus marginale rachi oppositum.

1. LOLIUM *perenne.* Linn.
L. Gluma calycina spiculis compressis breviori.
Lusit. *Raigraz dos Inglezes; herva da semente; Azevém.*
Hab. in pratis, agris, ad vias, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania, tam indigena, quam culta. Flor. Maj. usque ad Jul. Sæpius annua, nonnunquam in humidis et montosis frigidis Lusitaniæ borealis perennis.
Obs. Rachis sæpe simplicissima; rarissimè ramosa.

2. LOLIUM *temulentum.* Linn.
L. Gluma calycina spiculis compressis longiore, aut æquante.
Lusit. *Joio.*
Hab. inter segetes in tota Lusitania. Flor. Maj. Jul. Ann.
Variat, uti præcedens, spiculis aristatis, muticis, et submuticis.

OR-

ORDO III.

TRISTYLIA.

75. QUERIA.

Cal. pentaphyllus: cor. nulla: caps. unilocularis, trivalvis, monosperma.

1. QUÉRIA *Hispanica.*
Q. Floribus confertis: bracteis setaceis, patulis, hamatis. *Linn.*
Hab. ad muros, circa *Portalegre* et *Marvão.* Fl. vere. Ann.
Ex Cl. C. Hoffmansegg.
Capitulum obsolete tetragonum, á caule facile discedens: semen compressum, subrotundum: color plantæ albidus.

76. POLYCARPON.

Cal. pentaphyllus: cor. pentapetala, petalis minimis, ovatis, emarginatis, persistentibus: caps. 1-locularis, 3-valvis, polysperma.

1. POLYCARPON *tetraphyllum.*
P. Caule prostrato, ramoso: foliis quaternis. *Linn.*
Hab. in agris præsertim Beiræ et Extremaduræ. Flor. vere et æstate. Ann.

77. MONTIA.

Cal. diphyllus, persistens: cor. monopetala, irregularis, laciniis tribus minoribus staminiferis: caps. 1-locularis, 3-valvis, trisperma.

1. MONTIA *fontana*.
   M. Foliis oblongo-ovatis, subcarnosis: pedunculis unifloris, deflexis. *Linn.*
   Hab. in pratis udis, et ad rivulorum ripas, circa Conimbricam, *Lousãa*, *Miranda do Corvo*, et alibi in Beira, et aliis Provinciis borealibus. Fl. æstate. Ann.
   Variat calyce triphyllo; et staminibus quinque.

78. TILLAEA.

Cal. tri-quadripartitus: cor. tri-tetrapetala, æqualis: capsulæ 3-4, polyspermæ.

1. TILLAEA *muscosa*.
   T. Procumbens; floribus trifidis, axillaribus. *Linn.*
   Hab. in ericetis glareosis, muscosis, circa Conimbricam, et alibi. Flor. vere et æstate. Ann.
   Obs. Rarissime variat floribus quadrifidis.
2. TILLAEA *aquatica*. Linn.
   T. Foliis sublanceolatis; floribus axillaribus, pedunculatis, quadrifidis; caule dichotomo.
   Hab. in fossis locisque hyeme inundatis. Flor. vere et æstate. Ann.
   Obs. Flores tetrantheri, tetrastylique.

79.

79. HOLOSTEUM.

Cal. pentaphyllus: cor. pentapetala, petalis bipartitis: caps. 1-locularis, subcylindrica, apice dehiscens.

1. HOLOSTEUM *umbellatum.*
H. Floribus umbellatis; petalis apice tridentatis. *Linn.*
Hab. in arvis prope Bragantiam, et alibi in Transmontana. Flor. Mart. et Apr. Ann.
Habitus Cerastii. Communicata primùm a Cl. C. Hoffmansegg. Variat petalis bidentatis; staminibus 4 *et* 5; *stylis* 4.

80. AMARANTHUS.

Flores monoici: calyce nullo: cor. tri-pentapetala.
Masc. Stamina 3-5.
Fœm. Caps. trirostris, circumscissa, monosperma.

1. AMARANTHUS *tricolor.*
A. Glomerulis axillaribus, subrotundis, amplexicaulibus: foliis lanceolato-ovatis, coloratis. *Linn.*
Lusit. *Papagayos*, ou *Aráras.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Ann.
2. AMARANTHUS *albus*?
A. Glomerulis axillaribus, bipartitis: bracteis subulatis: foliis ovatis, emarginatis, lineatis, strictis. *Linn. et Cl. La Marck.*
Lusit. *Bredos brancos.*

Hab.

Hab. in agris prope *Santarem*. Flor. æstate. Ann.

3. AMARANTHUS *Blitum*.

A. Glomerulis lateralibus : floribus trifidis : foliis ovatis, emarginatis : caule diffuso. *Linn.*

Lusit. *Bredos ordinarios*.

Hab. in oleraceis, vallibus humidiusculis, circa Conimbricam, et alibi in Beira, et Extremadura. Flor. æstate. Ann. *Caulis procumbens*.

An A. viridis Linn. caule erecto, cætera huic similis, specie distinguendus?

4. AMARANTHUS *caudatus*.

A. Floribus pentandris : racemis decompositis, cylindricis, longissimis, pendulis. *Linn.*

Lusit. *Chorões dos Jardins*.

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann.

81. JUNIPERUS.

Flores dioici, interdum monoici.

Masc. Cor. nulla : filamenta tria, basi coalita ; antheræ distinctæ.

Fœm. Cal. tripartitus : cor. tripetala, aut nulla ; strobilus bacciformis.

1. JUNIPERUS *communis*.

J. Foliis ternis, patentibus, mucronatis, bacca longioribus. *Linn.*

Lusit. *Zimbro*.

Hab. in summis jugis Herminii, et *Gerez*. Flor. Apr. Maj. Frutex ; cultus tamen arboris staturam attingit.

2. JUNIPERUS *Oxycedrus*.

J. Foliis ternis, patentibus, mucronatis, bacca brevioribus. *Linn.*

Hab.

Hab. in arenosis trans Tagum, præsertim circa *Setubal.* Arbusc.

3. JUNIPERUS *phænicea.*

J. Foliis ternis, imbricatis, obtusis, dorso fovea oblonga notatis: amentis masculis terminalibus. *La Marck. Dict. Bot.*

Hab. in arenosis trans Tagum, in Algarbiis inter *Lagos* et Promontorium sacrum, et circa vicum de Nazareth in Extremadura. Flor. Mart. Arbusculum.

Obs. Juniperus-Sabina *nullibi provenit in Lusitania; etsi pharmacopœi Lusitani pro vera* Sabina *ramulos hujus venditent.*

CLAS-

CLASSIS IV.

TETRANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Staminibus non didynamicis.*

(A) *Floribus aggregatis in perianthio communi polyphyllo : corollulis superis.*

82. SCABIOSA. . . . Perianthium commune patens : receptaculum multiflorum, convexum, paleaceum aut nudum : calyx proprius duplex ; alius inferus (in anthesi) postea semen involvens coronansque ; alius superus, demum pappiformis.

83. DIPSACUS. . . . Perianthium commune patentissimum, foliolis nonnullis longissimis : receptaculum commune valde oblongo-conicum, paleaceum, paleis rigidis, acuminatis : semen oblongum, quadrangu-

gulare, calyce proprio integro coronatum.

(B) *Floribus aggregatis in perianthio communi polyphyllo: corolla infera.*

84. GLOBULARIA. . Perianthium commune foliolis imbricatis; proprium tubulosum, inferum: corollæ labio superiore bipartito, inferiore tripartito: receptaculum paleaceum: semen nudum.

(C) *Floribus Compositis.*
* *Erigeron Canadense: Senecio subexsquameus.*
(D) *Floribus non aggregatis: calyce et corolla superis.*

85. CORNUS. . . . . Involucrum tetraphyllum aut nullum: perianthium quadridentatum, deciduum: petala quatuor: drupa nucleo biloculari.

86. GALIUM. . . . . Calyx quadridentatus, minimus: corolla plana, quadripartita, rotata: semina duo, subrotunda.

87. ASPERULA. . . . Calyx dentatus, minimus: corolla infundibuliformis: semina duo, subglobosa, non coronata.

88. SCHERARDIA. . Calyx acute dentatus: corolla infundibuliformis: semina duo, oblonga, hinc plana,

na, inde convexa, apice tridentata.

(E) *Floribus non aggregatis: calyce infero; corolla supera.*

89. RUBIA. . . . . . . Calyx quadridentatus, minimus: corolla ſubcampanulata, quadri-seu quinquepartita, tubo nullo: semina duo, baccata.

90. CRUCIANELLA. Calyx diphyllus aut triphyllus, rigidus: corolla infundibuliformis, limbo quadrifido, rariùs quinquefido, tubo longo, filiformi: semina duo, oblonga, non coronata.

(F) *Floribus non aggregatis: calyce et corolla inferis.*

91. PLANTAGO. . . Calyx quadripartitus: corolla tubulata, quadrifida, limbo reflexo, persistens: stamina longissima: capsula bilocularis, circumscissa.

92. CENTUNCULUS. Calyx quadripartitus: corolla quadrifida, patens, rotata; stamina brevia: capsula unilocularis, circumscissa.

* *Cardamine hirsuta. Lepidium nudicaule. Holosteum umbellatum. Gentiana. Rhamnus.*

(G) *Floribus non aggregatis: calyce infero; corolla nulla.*

93. ALCHEMILLA.. Calyx octofidus, laciniis alternis minoribus: semen unicum, calyce inclusum.

94. ISNARDIA. . . . Calyx campanulatus, quadrifidus: capsula calyce cincta, quadrilocularis, tetragona, polysperma.

Thesium linophyllum.

** *Staminibus didynamicis: seminibus nudis.*

(A) *Calycibus quinquefidis, aut subquinquefidis.*

95. VERBENA. . . . Calyx quinquedentatus; denticulo superiore intermedio truncato: corolla subinfundibuliformis, quinquefida, subæqualis, incurva: stamina duo sive quatuor, brevissima, incurva, intra tubum: stigma obtusum, inferne denticulo præditum.

96. SIDERITIS. . . . Corollæ limbo subæquali, supra bilobo, infra trilobo, lobo medio latiori, crenulato: stamina intra tubum (a).

97. GLECOMA. . . . Calyx cylindricus, quinquefidus, striatus: corolla caly-

 ce

(a) Stigmata duo; inferius membranaceum, brevius, vaginans superius, truncato-concavum.

ce duplo longior, cujus labium superius bifidum, inferius laciniâ media maiore, emarginata: antheræ per paria in crucem conniventes.

98. TEUCRIUM. . . Calyx subcampanulatus, basi gibbus: corolla unilabiata, labii superioris loco fissura profunda, lacinulis distantibus, ubi stamina.

99. STACHIS. . . . . Calyx dentatus: corolla labio superiori concavo, inferiori lateribus reflexis, lacinia intermedia maiore, emarginata: stamina post anthesim ad latus extùs deflexa.

100. LAMIUM. . . . Calyx quinquearistatus: corollæ fauce inflata, utrinque que dente setaceo; labio superiore integro, concavo; inferiori bilobo.

101. PHLOMIS. . . . Calyx angulatus, dentatus: corollæ labio superiori concavo, subemarginato, villoso, incumbente; inferiori lacinia media majore, biloba: antheræ non punctatæ.

102. BETONICA. . . Calyx quinquearistatus: corollæ tubo incurvo; labio superiori adscendente, plano, integro: stamina longitudine faucis.

103. BALLOTA. . . . Calyx dentatus, decemstriatus, hypocrateriformis: corollæ labio superiore conca-

vo, crenato: bracteæ multisetæ, involucriformes.

104. MARRUBIUM. Calyx dentatus, rigidus, decemstriatus, hypocrateriformis: corollæ labio superiore lineari, erecto, bifido.

105. ORIGANUM. . Flores dense et tetragonospicati, bracteis ovatis, subcoloratis, imbricatis, unifloris, suffulti.

106. LAVANDULA. Calyx dentatus, bracteâ suffultus: corolla resupinata, limbo quinquelobo, subæquali: filamenta inclusa intra tubum corollæ.

107. MENTHA. . . . Calyx dentatus: corolla quadriloba, subæqualis, fere non labiata, lobo superiore latiore, emarginato: stamina distantia, erecta.

108. NEPETA. . . . . Calyx dentatus: corollæ tubo cylindraceo, incurvo; fauce in lacinias duas brevissimas, reflexas, terminata; labio superiori erecto, emarginato; inferiori laciniis lateralibus minutissimis, media maxima, crenulata.

109. SATUREJA. . . Calyx dentatus, striatus: corollæ limbo quinquefido, subæquali: stamina interdum distantia.

(B) *Calycibus bilabiatis.*

110. THYMUS. . . . Calyx fauce villis clausa; labio superiori tridentato, inferiori biseto aut bifido.

111. MELISSA. . . . Calyx aridus, supra planus, tridentatus, infra bifidus: corollæ labium superius subconcavum, bifidum; inferius lobo medio cordato.

112. MELITTIS. . . Calyx campanulatus, tubo corollæ amplior, trifidus, lacinia superiori emarginata: corolla duplo longior; labio inferiori crenato; superiori integro, plano: antheræ cruciatæ.

113. CLINOPODIUM. Calyx collo contractus; labio superiori bifido; inferiori bipartito: staminum filamenta arcuata; antheræ transversim bipartitæ: bracteæ multisetæ, verticillos involventes.

114. OCIMUM. . . . Calyx labio superiori plano, orbiculato, latiori; inferiori quadrifido, conniventi: corolla resupinata, tubo brevi: filamenta breviora basi processu reflexo.

115. PRUNELLA. . . Calyx labio superiore lato, plano, truncato, leviter tridentato; inferiori semibifido: filamenta apice bifurca, den-

dente altero antherifero: stigmata duo.

116. CLEONIA. . . . Calyx labio superiori planiusculo, tridentato; inferiori bipartito: filamenta apice bifurca, dente altero antherifero: stigmata quatuor.

117. SCUTELLARIA. Calyx labiis subintegris, post florescentiam operculo clausus.

*** *Staminibus didynamicis: fructu capsulari.*

118. ACANTHUS. . Calyx foliolis inæqualibus, quorum unum loco labii superioris corollæ: tubus corollæ brevis, villis clausus; labium superius nullum; inferius magnum, trilobum: antheræ antice villosæ: capsula bilocularis.

119. OROBANCHE. Calyx diphyllus, aut monophyllus, bracteatus: corollæ labio superiori emarginato aut crenato; glandula sæpius basi germinis: stigma leviter bilobum: capsula unilocularis, bivalvis, polysperma.

120. LATHRAEA. . Calyx quadrifidus: corollæ labio superiori galeato, integro, adunco: glandula depressa ad basin suturæ germinis: stigma truncatum: capsula unilocularis, elastice bivalvis; semina globosa.

121. EUPHRASIA. . Calyx quadrifidus, cylindricus: corolla, tubo longitudine calycis; labio superiore concavo, emarginato, inferiori tripartito, laciniis æqualibus: antheræ bilobæ, quarum inferiores in spinam acuminatæ: capsula bilocularis, ovato-oblonga.

122. RHINANTHUS. Calyx quadrifidus, ventricosus: corolla, tubo longitudine calycis; labio superiori galeato, angustiori, compresso, emarginato; inferiori patulo, semibifido, lacinia media latiori: antheræ hinc bifidæ, hirsutæ: capsula bilocularis, compressa, obtusa.

123. MELAMPYRUM. Calyx quadrifidus: corolla, tubo oblongo, recurvo; labio superiori compresso, emarginato, lateribus reflexis; inferiori plano, eminentiis duabus medio notato: capsula bilocularis, oblique acuminata: semina duo basi gibba.

124. PEDICULARIS. Calyx quinquefidus: corolla personata; labio superiori compresso; inferiori trifido, lacinia media angustiori: capsula obliqua, acuminata mucronata, bilocularis, dissepimento contrario: semina

hi-

hilo membranaceo, receptaculo affixa.

125. ANTIRRHINUM. Calyx pentaphyllus: corolla sæpissime personata, basi gibba aut calcarata: capsula ovato-obtusa, aut subrotunda, bilocularis.

126. DIGITALIS. . . Calyx quinquepartitus, inæqualis: corolla deorsum ventricosa, subcampanulata, basi in tubum brevissimum arcta; limbo quadrifido, lacinia superiori emarginata: stamina declinata: capsula ovata, longitudine calycis, bilocularis.

127. SCROPHULARIA. Calyx quinquefidus, laciniis rotundatis: corolla resupinata, tubo subgloboso; limbo quinquepartito, minimo, lacinia media ad tubum reflexa: capsula bilocularis.

128. SIBTHORPIA. . Calyx quinquepartitus, turbinatus: corolla quinquepartita, æqualis, patens, tubo brevissimo: staminum paria remota: stigma capitatum: capsula orbicularis, compressa, bivalvis, bilocularis, apice dehiscens: semina pauca.

129. VITEX. . . . . . Calyx brevis, quinquedentatus; corollæ limbus planus, subbilabiatus; stigmata duo; drupa baccata, tenuis; putamen

men quadriloculare; semina in singulo loculo solitaria.

SECTIO II. DICLINA.

130. PARIETARIA.. Polygama monoica. Involucrum polyphyllum, pauciflorum; flosculo uno fœmineo, cæteris hermaphroditicis: perianthium monophyllum, quadrifidum: corolla nulla.

Hermaph. filamenta, in anthesi, perianthio longiora: stylus unicus: semen unum, superum, ovatum, perianthio elongato, campanulato, connivente, clausum.

Fœm. perianthium involvens semen tenuius: stylus unicus.

131. URTICA.. . . . Monoica aut Dioica: calyx tetraphyllus: corolla nulla.

Masc. perianthium foliolis æqualibus, subrotundis: nectarium in centro floris cyathiforme.

Fœm. perianthium foliolis duobus oppositis, minutissimis: stigma villosum: semen unum, nitidum, calyce tectum.

132. VALANTIA. . . Polygama monoica : calyx vix ullus : corolla tri-quadripartita.

Hermaph. corolla quadripartita : stylus bifidus : semen unicum.

Masc. corolla tri-quadripartita : stamina interdum tria.

ORDO II.

DISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

133. CUSCUTA. . . Calyx quadri-quinquefidus : corolla monopetala, quadri-quinquefida : nectarium é squamis quatuor ad basin staminum corollæ adnatis : capsula bilocularis, circumscissa : semina solitaria.

134. HYPECOUM. . Calyx minimus, diphyllus : corolla tetrapetala, petalis duobus latioribus, trifidis : siliqua articulata, articulis monospermis.

SECTIO II. DICLINA.

135. MORUS. . . . Monoica : flores masculi et fœminei, in amentis distinctis, ovatis, dense spicati, ses-

siles : perianthium quadripartitum : corolla nulla.

Masc. filamenta calyce longiora.

Fœm. germen unum : styli duo : semen unum, calyce baccato tectum.

136. ALNUS. . . . . Monoica : flores masculi et fœminei in distinctis amentis cylindraceis ; squamis imbricatis.

Masc. calycis communis squama subpeltata, quinata, squamula media maiori : corollæ tres, profunde quadripartitæ, laciniis ovatis.

Fœm. calyx trisquamosus, squamula media maiori : corolla nulla : germina duo.

137. MYRICA. . . . Dioica : flores masculi et fœminei in distinctis amentis ovato-oblongis, mediocribus ; squamis imbricatis, unifloris, lunatis, in fœmineis minoribus : corolla nulla.

Masc. antheræ plerumque quatuor, didymæ, lobis bifidis.

Fœm.

Fœm. bacca ovalis aut globosa, unilocularis: semen unum.

Celtis australis.

ORDO III.

TRISTYLIA.

138. BUXUS. . . . . . Monoic. : flores masculi et fœminei ex eadem gemma prodeuntes.

Masc. perianthium triphyllum: corolla dipetala.

Fœm. perianthium tetraphyllum: corolla tripetala: capsula subrotunda, trirostris, trilocularis, hexasperma.

ORDO IV.

TETRASTYLIA.

139. ILEX. . . . . . Calyx quadridentatus, minimus, persistens: corolla rotata, quadripartita: stylus nullus; stigmata quatuor: bacca subrotunda, quadrilocularis, tetrasperma. Interdum flores polygami monoici, aut dioici

140. SAGINA. . . . . Calyx tetraphyllus: corolla tetrapetala: capsula unilocularis, quadrivalvis, polysperma.

141. RUPPIA. . . . . Perianthium nullum: corolla nulla: semina quatuor stipitata, et stigmate plano orbiculato terminata.

142. POTAMOGETON. Calyx nullus: corolla tetrapetala: stigmata quatuor, sessilia: semina quatuor, sessilia, acuminata.

* *Linum Radiola.*
* *Tillæa aquatica et muscosa.*
* *Holosteum umbellatum.*

ORDO V.

POLYSTYLIA.

143. CUPRESSUS. . . Monoica: flores masculi et fœminei in distinctis amentis: corolla nulla.

Masc. amentum ovatum; squamis plurimis in singulo, subrotundis, oppositis, apice peltatis: antheræ quatuor in superficie squamarum interna, sessiles.

Fœm. amentum subglobosum; squamis oppositis, angulatis, peltatis, superne convexiusculis, oblique mucronatis, inferne ad pedicellum multifloris: stigma simplex, sessile.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

82. SCABIOSA.

Perianthium commune patens: receptaculum multiflorum, convexum, paleaceum aut nudum: calyx proprius duplex; alius inferus (in anthesi) postea semen involvens coronansque; alius superus, demum pappiformis.

Corollulis quadrifidis.

1. SCABIOSA *leucantha.*
S. Corollulis subæqualibus, squamis calycinis ovatis, imbricatis: foliis lanceolato-ovatis. *Linn.*
Lusit. *Saudades, ou Suspiros brancos do monte.*
Hab. in *Serra da Arrabida.* Flor. æstate. Peren.

2. SCABIOSA *arvensis.*
S. Corollulis radiantibus: foliis pinnatifidis, incisis: caule hispido. *Linn.*
Hab. inter *Fundão* et *Covilhãa.* Flor. Maj. Jun. Jul. Peren.

3. SCABIOSA *sylvatica.*
S. Corollulis radiantibus: foliis omnibus indivisis, ovato-oblongis, serratis: caule hispido. *Linn.*
Hab. in Interamnia ad *Rio Caldo*, et alibi. Flor. æstate. Peren.

Re-

Receptaculum pilosum aut glabriusculum.

4. SCABIOSA *succisa*. Linn.

S. Corollulis æqualibus: caule simplici; ramis oppositis, solitariis: foliis oblanceolatis, integerrimis: receptaculo paleaceo.

Lusit. *Escabiosa*, *ou Morso diabolico.*

Hab. in Beira boreali. Flor. æstate. Peren.

Variat foliis hirtis et glabris, *serratis*, *crenatis*, *incisisve.*

Corollulis quinquefidis.

5. SCABIOSA *gramuntia.*

S. Calycibus brevissimis: foliis caulinis bipinnatis, filiformibus. *Linn.*

Hab. inter *Abrantes* et *Casa nova.* Fl. autum. Per.

6. SCABIOSA *Columbaria.* Linn.

S. Corollulis radiantibus: foliis radicalibus simplicibus, obovatis, crenatis; caulinis pinnatifidis aut compositis.

Hab. in collibus frequentissime circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. vere et æstate. Peren.

Planta foliis valde polymorpha. Folia radicalia sæpe obovata, *attenuata in petiolum*, *crenata*; *caulina infima pinnatifida*, *extima lobulo maiori crenato*; *superiora pinnata aut bipinnata*, *laciniæ*, *s. foliola*, *in utrisque variant*, *sunt enim lineares*, *setaceæ*, *lanceolatæ*, *integerrimæ*, *denticulatæ aut incisæ*: *calyx proprius interdum margine plumosus.*

7. SCABIOSA *stellata.*

S. Corollulis radiantibus: foliolis dissectis: receptaculis florum subrotundis. *Linn.*

Hab. in Algarbiis. Flor. æstate. Ann.

Flos albus; *corona seminis explanata*, *membranacea*, *in centro stellula quinqueradiata.*

8. SCABIOSA *atropurpurea.*

S. Corollulis radiantibus: foliis dissectis: receptaculis florum subulatis. *Linn.*

Lusit. *Saudades, ou Suspiros rôxos dos Jardins.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. vere et æstate. Peren.

9. SCABIOSA *rutæfolia.*

S. Corollulis quinquefidis; foliis pinnatis, summis simplicibus, linearibus, indivisis: calycibus monophyllis, profunde dentatis.

S. rutæfolia. *Celeb. Vahl Symb. Bot.* 2. *p.* 26.

Hab. in maritimis ex *Faro* usque ad ostia *Anæ* in Algarbiis. Flor. æstate. Peren.

Corollæ albæ. Variat foliis inferioribus bipinnatis; calycibus quinque-octofidis; corollis plurimis quadridentatis, uti in varietate á Cl. Comite de Hoffmansegg. detecta prope Taviram.

83. DIPSACUS.

Perianthium commune patentissimum, foliolis nonnullis longissimis: receptaculum commune valde oblongo-conicum, paleaceum, paleis rigidis, acuminatis: semen oblongum, quadrangulare, calyce proprio integro coronatum.

1. DIPSACUS *sylvestris.*

D. Foliis ovato-lanceolatis, serratis, subacuminatis: paleis setaceis, flexibilibus, corolla longioribus.

Lusit. *Cardo penteador bravo.*

Dips.-

Dips.-fullonum sylvestris *Linn.*
Hab. in collibus calcareis, ad vias, sepes totius fere Lusitaniæ. Flor. æstate. Ann. aut bienn.

2. DIPSACUS *fullonum.*
D. Foliis oblongis, obtusis: paleis lanceolatis, rigidis, acutis, uncinatis, corolla brevioribus.
Lusit. *Cardo penteador.*
Dips.-fullonum sativus *Linn.*
* Colitur circa Conimbricam et alibi, ad rudes laneos pannos ejus capitulis pectendos, expoliendos, detractisque floccis concinnandos. Flor. æstate. Ann. aut bienn.

3. DIPSACUS *laciniatus.*
D. Foliis coalitis, sinuatis. *Linn.*
Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. æstate. Ann. aut bienn.
Folia radicalia et caulina interdum pinnatifida aut runcinata: paleæ receptaculi ciliatæ, floribus paulo longiores. An varietas Dips.-sylvestris?

84. GLOBULARIA.

Perianthium commune foliolis imbricatis; proprium tubulosum, inferum: corollæ labio superiore bipartito, inferiore tripartito: receptaculum paleaceum: semen nudum.

1. GLOBULARIA *vulgaris.*
G. Caule herbaceo: foliis radicalibus tridentatis, caulinis lanceolatis. *Linn.*
Hab. in montosis saxosis prope *Miranda do Douro.* Flor. Maj. et Jun. Ann.

85. CORNUS.

Involucrum tetraphyllum aut nullum: perianthium quadridentatum, deciduum: petala quatuor: drupa nucleo biloculari.

1. CORNUS *sanguinea.*
C. Ramis rectis; foliis ovatis: cymis nudis. *Linn.* Lusit. *Sanguinho legitimo.*
Hab. ad sepes, maxime prope Conimbricam. Flor. æstate. Arb. mediocris.

86. GALIUM.

Calyx quadridentatus, minimus: corolla plana, quadripartita, rotata: semina duo, subrotunda.

* *Fructu glabro.*

1. GALIUM *rubioides.*
G. Foliis quaternis, lanceolato-ovatis, æqualibus; subtus scabris: caule erecto. *Linn.*
Hab. in dumetis umbrosis *Gerez* et Herminii freq. rarius ad Mundam, et Durium. Flor. æstate. Peren.
Caulis glaber, nec scaber; folia ad oras et subtus ad nervos scabriuscula; panicula trichotoma, laxiuscula; flores pauci fertiles, plurimi abortientes defectu styli aut stigmatis. Fructus glaberrimus, subrugosus, vix scaber tuberculis obsoletis. Ad Valantias potius referenda, sed facilitatis ergo

go hîc apposui, cum germina in hermaphreditis masculis sint germinibus verorum hermaphroditorum similia; uti et corollæ.

2. GALIUM *chloranthum.*

G. Foliis quaternis, ovali-oblongis, acutis, ciliatis, hispide pilosis : pedunculis quaternis, subbifurcatis : corollis quadrifidis.

Hab. prope *Miranda do Douro.* Flor. æstate.

Ex Cl. Com. Hoffmansegg.

3. GALIUM *palustre.*

G. Foliis quaternis, obovatis, inæqualibus : caulibus diffusis. *Linn.*

Hab. in uliginosis, pratis, fossis aquosis, rivulis circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. æstate. Peren.

Corymbi terminales, trifidi. Variat caule erecto, cubitali et altiori; foliisque inferioribus quinis, sive senis.

4. GALIUM *harcynicum.*

G. Foliis subsenis, obovatis, acutis : caule procumbente; ramis confertis, elongatis : pedunculis multifloris.

Cl. Roth. Fl. Germ. I. *p.* 64.

Hab. circa *Porto* ad muros, et alibi in ericetis montosis. Flor. æstate.

Ex Cl. Prof. Linck.

5. GALIUM *Parisiense.*

G. Foliis subsenis, lineari-lanceolatis, margine scabris : caulibus retrorsum aculeatis : paniculis terminalibus.

Cl. La Marck. Dict. Bot.

Hab. ad sepes in circumvicinis *de Almada* ultra Tagum. Flor. vere. Peren.

Caules ramosi : flores minimi, ex purpureo-virides.

6.

6. GALIUM *uliginosum.*

G. Foliis senis, lanceolatis, retrorsum serrato-aculeatis, mucronatis, rigidis: corollis fructu majoribus. *Linn.*

Hab. in humidis, sylvis, circa dumeta, maxime prope *Torres Vedras*, et alibi in Lusitania meridionali. Flor. æstate. Peren.

Caulis quatuor sive quinque uncias altus, angulis quatuor scabris: folia glabra, revoluta, tres sive quatuor lineas longa: corymbi terminales trifidi: flores albi, parvi, unam lineam lati.

7. GALIUM *spurium.*

G. Foliis senis, lanceolatis, carinatis, scabris, retrorsum aculeatis; geniculis simplicibus: fructibus scabris, recurvatis.

Linn. Syst. Veg. ed. Gmel.

Hab. inter segetes, sed raro; interdum circa Conimbricam in colle prope fontem *Agnetis* lacrymis celeberrimum, et circa *Bordallo.* Flor. vere. Ann.

Caulis quadrangulus, retrorsum muricatus, interdum bipedalis et ultra; folia sæpe octona: pedunculi oppositi, longitudine foliorum; flores laterales, etsi hermaphroditici, interdum abortiunt: semina nigricantia, punctis fuscis elevatis scabra.

8. GALIUM *glaucum.* Linn.

G. Foliis verticillatis, subsenis, linearibus, subtus glaucis: pedunculis dichotomis: caule lævi.

Hab. in apricis ad ripas Durii, præsertim prope *Pezo da Regoa.* Flor. æstate. Peren. *Flores albi.*

9. GALIUM *verum.*

G. Foliis octonis, linearibus, sulcatis: ramis floriferis brevibus. *Linn.*

Hab. in collibus, et agris prope *Porto*, *Coja*, et alibi in Beira boreali. Flor. æstate. Peren.

Flo-

Flores lutei: verticilli interdum foliis 6-7, et tunc latioribus.

10. GALIUM *Mollugo.*

G. Foliis octonis, ovato-linearibus, subserratis, patentissimis, mucronatis: caule flaccido; ramis patentibus. *Linn.*

Lusit. *Solda branca.*

Hab. in pratis, sepibus et dumetis; frequens circa Conimbricam et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Peren.

** *Fructu hispido.*

11. GALIUM *Aparine.*

G. Foliis octonis, lanceolatis; carinis scabris, retrorsum aculeatis: geniculis villosis. *Linn.*

Lusit. *Amor de Hortelão.*

Hab. in ruderatis, cultis, sepibus frequens. Flor. æstate. Peren.

12. GALIUM *minutiflorum.*

G. Foliis suboctonis, sublanceolatis, margine scabris: caulibus ramosis, scabriusculis: floribus paniculatis. *Broter.*

Hab. ad sepes et in dumetis circa Conimbricam. Flor. æstate. Ann.

Corolla minima, vix conspicua, ex flavicanti-viridis: folia inferiora tres ad quatuor lineas longa, internodiis longiora. An varietas Gal.-Parisiensis Linn.?

13. GALIUM *rotundifolium.*

G. Foliis quaternis, ellipticis, trinerviis, subciliatis: panicula laxa.

Clar. La Marck. Dict. Bot.

Hab. in montosis *Gerez.* Flor. Jul. Aug. Peren.

87. ASPERULA.

Calyx dentatus, minimus: corolla infundibuliformis: semina duo, subglobosa, non coronata.

1. ASPERULA *arvensis*.
A. Foliis senis: floribus sessilibus, terminalibus, aggregatis. *Linn.*
Hab. inter segetes in Transtagana, etiam circa Conimbricam. Flor. vere. Ann.

2. ASPERULA *repens*.
A. Foliis lineari-lanceolatis, omnibus senis, rarissimis quinis: floribus terminalibus, subcapitatis: corollis omnibus quadrifidis: fructu suborbiculari. *Broter.*
Phyt. Lusit. Fasc. 1. *n.* 7.
Hab. in solo calcareo subarenato, inter Lacobrigam et Promontorium Sacrum in Algarbiis. Flor. vere. Peren.

88. SCHERARDIA.

Calyx acute dentatus: corolla infundibuliformis: semina duo, oblonga, hinc plana, inde convexa, apice tridentata.

1. SCHERARDIA *arvensis*.
S. Foliis omnibus verticillatis: floribus terminalibus. *Linn.*
Hab. inter segetes, freq. Flor. vere. Ann.

2.

2. SCHERARDIA *muralis.*

S. Foliis ovato-lanceolatis, inferioribus senis, summis binis oppositis: floribus binis. *Linn.*

Hab. in aridis, muris vetustis, circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Flor. vere. Ann.

89. RUBIA.

Calyx quadridentatus, minimus: corolla subcampanulata, quadri-seu quinquepartita, tubo nullo: semina duo, baccata.

1. RUBIA *tinctorum.*

R. Foliis annuis, quinis senisque, lanceolatis, margine et carina asperrimis: caule aculeato, annuo, ad radicem supraque quadrangulo.

Lusit. *Granza, ou Ruiva dos tintureiros.*

Rub.-tinctorum sativa *Linn.*

Ex Asia minori aliisque callidis regionibus indigena planta, olim a Græcis Romanisque, uti nunc etiam ab omnibus Europæ nationibus, culta, maxime ad lanas colore rubro inficiendas; a Lusitanis quoque, etsi minus, colitur.

Radix in Lusitania annos per multos perennat; folia vero cum caule quotannis pereunt. Variat foliis in eodem caule senis, quinis, quaternisque. Flores nonnulli etiam pentantheri: corolla quinquepartita. Flor. vere.

2. RUBIA *sylvestris.*

R. Foliis perennantibus, lanceolatis, senis quaternisque, margine et carina asperrimis, sursum lucidis, costa longitudinali sublævi: caule trienni et ultra, aculeato, ad radicem tereti.

Lusit. *Granza brava.*

Rub.-tinctorum sylvestris *Linn.*

Hab. freq. ad sepes totius fere Lusitaniæ, etiam in collibus. Flor. vere. Suffrutex, interdum ad octo pedes altus.

Variat eodem modo, quo præcedens, numero foliorum in verticillis, numeroque staminum, et corollæ laciniarum. Habitus equidem, flores, fructus sunt Rub.-tinctorum; sed in Horto Conimbricensi cum ista simul sata et culta semper folia caulemque virentem, dum R.-tinctorum solum radices, servat. Idem illi, quæ circa Monspelium provenit, accidit, teste J. Bauh. Hist. Pl. v. 3. p. 715 „ fructum fert æstate et autumno, qui per hyemem durat, sed nec ipsa herba inarescit; inter sepes minor est et asperior sativâ „. *Magnitudo foliorum aliquando ad duas uncias protenditur; color eorum saturate viridis, nec ex pallido-viridis, pagina superior plus lucida: caulis inferne demum teres evadit. Hæc omnia ad illas in species separandas valere posse credidi; ni forte tum istam cum sequentem, lucidam, et peregrinam, in unam solam speciem sub Rub.-tinctorum, utpote ipsius varietates, conjungere velis.*

3. RUBIA *angustifolia.* Linn.

R. Foliis perennantibus, linearibus, quaternis quinisque, supra in nervo longitudinali, margine et carina scabris.

Hab. inter *Cabo de Espichel* et *Cezimbra*, atque in Algarbiis. Flor. vere. Suffrut.

Caules quadranguli, scabri, diffusi, perennantes. Folia linearia, acuta, angusta, lineam unam et paulo ultra lata, marginibus costaque supra et infra scabra; rarissime sex in verticillis, sæpius quaterna quinaque: corolla sæpius quinquepartita, et stamina quinque.

90. CRUCIANELLA.

Calyx diphyllus aut triphyllus, rigidus: corolla infundibuliformis, limbo quadrifido, rariùs quinquefido, tubo longo, filiformi: semina duo, oblonga, non coronata.

1. CRUCIANELLA *angustifolia*.
C. Foliis senis, linearibus: floribus spicatis: caule erecto. *Linn.*
Hab. circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Fl. æstate. Peren.

2. CRUCIANELLA *maritima*.
C. Foliis quaternis, mucronatis: floribus oppositis, quinquefidis: caule procumbente, suffruticoso. *Linn.*
Hab. ad littora maritima frequens. Flor. æstate. Suffrut.

91. PLANTAGO.

Calyx quadripartitus: corolla tubulata, quadrifida, limbo reflexo, persistens: stamina longissima: capsula bilocularis, circumscissa.

* *Scapo simplici.*

1. PLANTAGO *maior*.
P. Foliis ovatis, glabris: scapo tereti: spica flosculis imbricatis. *Linn.*
Lusit. *Tanchagem maior.*

 Hab.

Hab. ad margines agrorum, ad vias, et in humidiusculis. Flor. æstate. Ann.

2. PLANTAGO *Lusitanica.* Linn.

P. Foliis lato-lanceolatis, trinerviis, subdentatis, subpilosis: spica oblonga, hirsuta: scapo quinquesulcato.

Lusit. *Tanchagem do Reino*: al. *Lingua de ovelha.*

Hab. frequens circa Olisiponem et Conimbricam. Flor. vere et æstate. Peren.

Variat foliis valde hirsutis aut sublanatis.

3. PLANTAGO *Lagopus.*

P. Foliis lanceolatis, subdentatis: spica ovata, hirsuta: scapo tereti, lævi. *Linn.*

Hab. in ruderatis, pascuis, sed raró. Flor. æstate. Peren.

4. PLANTAGO *lanceolata.*

P. Foliis lanceolatis: spica subovata, nuda: scapo angulato. *Linn.*

Lusit. *Tanchagem menor, ou ordinaria das boticas.*

Hab. in vallibus humidiusculis. Flor. vere. Peren.

5. PLANTAGO *altissima.*

P. Foliis lanceolatis, quinquenerviis, dentatis, glabris: spica oblonga, cylindrica: scapo subangulato.

Jacq. Obs. Bot. 4. *t.* 83.

Hab. in humidis in Beira. Flor. vere. Peren.

Varietas fertè præcedentis.

6. PLANTAGO *argentea.*

P. Foliis lineari-lanceolatis, pubescentibus: spica subrotunda, nuda: scapo subangulato, foliis longiore.

Ger. Fl. Prov. p. 333. *t.* 12.

Hab. in montibus aridis, in Beira. Flor. vere. Peren.

Est

Varietas forte P.-lanceolatæ, hirsutis seu lanatis foliis.

7. PLANTAGO *albicans.*

P. Foliis lanceolatis, obliquis, villosis: spica cylindrica, erecta: scapo tereti. *Linn.*

Hab. in aridis prope *Alcacer do Sal*, et alibi in Transtagana occidentali. Flor. vere. Peren.

8. PLANTAGO *Bellardi.*

P. Foliis sublinearibus, planis, petiolatis, pubescentibus: scapo tereti, æquali; spicis cylindricis. *Allion. Flor. Pedemont.*

Hab. in arenosis siccis, circa Conimbricam, et alibi in Beira, Extremadura, et Transtagana. Fl. vere. Ann.

9. PLANTAGO *serraria.*

P. Foliis lanceolatis, quinquenerviis, dentato-serratis: scapo tereti. *Linn.*

Hab. in ruderatis et collibus calcareis, circa Conimbricam. Flor. æstate. Peren.

10. PLANTAGO *coronopifolia.*

P. Foliis pinnatifidis, laciniis linearibus: scapo tereti. *Linn.*

Lusit. *Guiabelha.*

Hab. frequens in ruderatis, maritimis. Flor. vere et æstate. Ann.

Variat foliis glabris, et hirsutis, ac bipinnatifidis: spicis quoque polygamis.

11. PLANTAGO *subulata.*

P. Foliis subulatis, triquetris, striatis, scabris: scapo tereti. *Linn.*

Hab. in altioribus arenosis, herbidis Herminii. Fl. æstate. Peren.

Bractea cordata, calyce duplo brevior: capsula disperma, altero semine sæpe imperfecto.

12.

12. PLANTAGO *maritima.*

P. Foliis semicylindraceis, integerrimis, basi lanatis: scapo tereti: spica cylindrica. *Linn.*

Hab. in ora maritima ex *Faro* usque ad *Villa Real* in Algarbiis. Flor. vere. Peren.

Folia carnosa, glabra, basi canaliculata: scapi pilosi, basi incurvi, plures ex eadem radice: spica uncialis biuncialisve, densa: calyx basi villis longis: bractea longitudine calycis aut longior, basi ventricosa, concava, acutiuscula. Capsula sæpius trisperma.

** *Scapo ramoso.*

13. PLANTAGO *Psyllium.*

P. Foliis linearibus, subdentatis, recurvis: capitulis aphyllis. *Linn.*

Lusit. *Zaragatôa.*

Hab. in solo arenoso, inter segetes freq. Fl. vere et æstate. Ann.

92. CENTUNCULUS.

Calyx quadripartitus: corolla quadrifida, patens, rotata; stamina brevia: capsula unilocularis, circumscissa.

1. CENTUNCULUS *minimus.*

C. Foliis alternis, ovatis. *Linn.*

Hab. in agris arenosis humidis, circa Conimbricam, sed raro. Flor. æstate. Ann.

93. ALCHEMILLA.

Calyx octofidus, laciniis alternis minoribus: semen unicum, calyce inclusum.

1. ALCHEMILLA *vulgaris.*
A. Foliis lobatis, serratis. *Linn.*
Lusit. *Pé de Leão.*
Hab. in montosis umbrosis *Cintra*, ex fide rhizotomorum. Flor. vere et æstate. Peren.

2. ALCHEMILLA *Aphanes.*
A. Foliis trilobatis; lobis tri et bipartitis. *Linn.*
Aphanes-arvensis *Linn.*
Hab. in arvis et agris sabulosis, frequens circa Conimbricam. Flor. vere et æstate. Ann.
Calyx octofidus, sæpius lacinis alternis minutissimis; interdum quadrifidus est.

94. ISNARDIA.

Calyx campanulatus, quadrifidus: capsula calyce cincta, quadrilocularis, tetragona, polysperma.

1. ISNARDIA *palustris.*
I. Foliis obovatis: floribus axillaribus, sessilibus. *Linn.*
Hab. in fossis, stagnisque, frequens ad Mundam. Flor. Junio et Jul. Ann.

L A B I A T AE.

95. VERBENA.

Calyx quinquedentatus; denticulo superiore intermedio truncato: corolla subinfundibuliformis, quinquefida, subæqualis, incurva: stamina duo sive quatuor, brevissima, incurva, intra tubum: stigma obtusum, inferne denticulo præditum.

1. VERBENA *officinalis.*

V. Spicis filiformibus, paniculatis: foliis multifido-laciniatis: caule solitario. *Linn.*

Lusit. *Urgebão, ou Verbena.*

Hab. ad vias, et in subhumidis circa Conimbricam et alibi frequens. Flor. æstate. Ann.

Variat foliis latis, inciso-dentatis, aut subpinnatifidis.

2. VERBENA *supina.*

V. Spicis filiformibus, solitariis: foliis bipinnatifidis. *Linn.*

Hab. cum præced. in Beira meridionali et boreali. Flor. æstate. Ann.

Caulis teretiusculus, subcompressus, subpubescens, procumbens; folia tenuiora, minora, quam in præcedenti. Flores cærulescentes.

96. SIDERITIS.

Corollæ limbo subæquali, supra bilobo, infra trilobo, lobo medio latiori, crenulato: stamina intra tubum.

1. SIDERITIS *hirsuta*. Linn.
S. Foliis lanceolatis, obtusis, dentatis, pilosis: bracteis dentato-spinosis: caulibus hirtis, decumbentibus: spicis interruptis, subspinosis.
Hab. prope *Miranda do Douro*, et alibi in Transmontana. Flor. vere. Peren.
Interdum caulis inferne suffrutescens est.

2. SIDERITIS *hirtula*.
S. Caule basi decumbente; foliis lanceolatis, dentatis, hirtis: bracteis cordatis, dentato-spinosis: spicis elongatis. *Broter.*
S. hirta D. Roth. Catal. Bot. p. 67.
Hab. in dumetis ex *Arrabida* usque *Setuval*, et ex *Montejunto* usque *Aveiro*. Flor. vere et æstate. Peren.
Media quasi planta inter S.-scordioidem et hirsutam. Flores flavi: caulis basi suffrutescens.

3. SIDERITIS *linearifolia*.
S. Caule pubescenti; foliis linearibus, acutis, subintegerrimis: dentibus bractearum calycumque spinulosis.
La Marck. Dict. Bot.
Hab. in *Moncarapaxo*, in calcareis inter *Taviram* et *Fáro*, prope *Loulé*, et alibi in Algarbiis et Transtagana meridionali. Flor. vere et æstate. Suffrutex.
Bracteæ calyce non breviores sunt, uti in S.-incana, cui affinis.

4. SIDERITIS *Romana.* Linn.
S. Herbacea, ebracteata; foliis subspathulatis, apice dentatis: calycibus spinosis; labio superiore ovato.
Hab. in agris aggeribusque aridis in Algarbiis. Fl. vere et æstate. Bienn.

97. GLECOMA.

Calyx cylindricus, quinquefidus, striatus: corolla calyce duplo longior, cujus labium superius bifidum, inferius lacinià media maiore, emarginata: antheræ per paria in crucem conniventes.

1. GLECOMA *hederacea.*
G. Foliis reniformibus, crenatis. *Linn.*
Lusit. *Héra terrestre.*
Hab. in uliginosis, umbrosisque Beiræ, Extremaduræ, et alibi. Flor. vere. Peren.

98. TEUCRIUM.

Calyx subcampanulatus, basi gibbus: corolla unilabiata, labii superioris loco fissura profunda, lacinulis distantibus, ubi stamina.

1. TEUCRIUM *Nissolianum.* Linn.
T. Foliis trifidis quinquefidisve, linearibus, muticis: pedunculis solitariis, brevissimis, oppositis:

tis : calycibus aristato-spinulosis : caule decumbente.

Hab. in ora maritima in Algarbiis, *Tavira*, *Villa nova*, *Lagos*. Flor. vere. Ann.

Obs. Ex fide rhizotomorum in Algarbiis etiam crescit Teucr.-pseudo-chamæpytis, *foliis trifidis, linearibus: floribus racemosis, bracteis longioribus: caule hirto; radice perenni.*

2. TEUCRIUM *Lusitanicum.*

T. Foliis lanceolatis, crenatis, rugosis; floribus racemosis, secundis; calyce bilabiato.

D. La Marck. Dict. Bot.

Hab. circa *Lagôa do Penhão*, et in jugis Herminii. Flor. æstate. Ann.

An varietas T.-Massiliensis Linn. ?

3. TEUCRIUM *Iva.*

T. Foliis subtricuspidatis, linearibus: floribus sessilibus, axillaribus, solitatiis. *Linn.*

Lusit. *Iva moschada.*

Hab. in montosis calcareis, circa Olisiponem, Conimbricam maxime in collibus aridis, et alibi. Fl. vere, æstate, et autumno. Peren.

Florescentia hujus speciei est omnino singularis; nam sexus sunt, vel minimi approximati, simul cum corolla sub forma veli membranacei, calyce inclusi et nunquam ex illo exeuntes, vel exserti sicut etiam corolla lutea, solito fœcundationis modo aliarum specierum.

4. TEUCRIUM *fruticans.*

T. Foliis lanceolatis, integerrimis, subtus niveis: floribus solitariis. *Linn.*

Hab. ad sepes prope *Vidigueira*, etiam inter *Bellas* et *Cintra*. Flor. æstate. Frutex.

5. TEUCRIUM *Scorodonia.*

T. Foliis cordatis, serratis, petiolatis: racemis lateralibus, secundis: caule erecto. *Linn.*

Hab. ad aquas frequens. Flor. aestate. Peren.

6. TEUCRIUM *Scordium.*

T. Foliis oblongis, sessilibus, dentato-serratis: floribus geminis, axillaribus, pedunculatis: caule diffuso. *Linn.*

Hab. in uliginosis, dumetis humidis, inter *Tojalvas* et *Cuito*, et inter Conimbricam et *Soure.* Flor. aestate. Peren.

Lac animalium sapore allii inficit.

7. TEUCRIUM *Polium.*

T. Foliis lanceolatis, crenatis, tomentosis, incanis: capitulis subrotundis, breviter pedunculatis: caule decumbente. *Linn.*

Lusit. *Polio montano.*

Hab. in collibus calcareis, circa Olisiponem, *Villa Franca*, et Conimbricam. Flor. aestate. Peren.

8. TEUCRIUM *spinosum.*

T. Pedunculis geminis: calycum labio superiore ovato: corollis resupinatis: caule spinoso. *Linn.*

Hab. in agris Transtaganae, et circa *Thomar.* Fl. aestate. Ann.

99. STACHYS.

Calyx dentatus: corolla labio superiori concavo, inferiori lateribus reflexis, lacinia intermedia maiore, emarginata: stamina post anthesin ad latus extùs deflexa.

1. STACHYS *palustris.*

S. Verticillis subsexfloris: foliis lineari-lanceolatis, semiamplexicaulibus, sessilibus. *Linn.*

Hab. ad ripas, fossasque prope *Mourão* non longe a Conimbrica. Flor. aestate. Peren.

2. STACHYS *hirta*.

S. Verticillis sexfloris: caulibus prostratis: corollæ labio superiore bifido, divaricato, reflexo. *Linn.*

Hab. in agris, et ad vias circa Olisiponem et Conimbricam. Flor. vere. Ann., raro bienn.

Caulis fistulosus, interdum erectus, ramis inferioribus adscendentibus. Folia cordata, obtusa, crenata. Bracteæ nullæ. Corolla flava.

3. STACHYS *arvensis*.

S. Verticillis sexfloris: foliis obtusis, nudiusculis: corollis longitudine calycis: caule debili. *Linn.*

Hab. freq. in agris, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. ex Februario usque ad Maj. Ann.

4. STACHYS *Germanica*.

S. Verticillis multifloris: foliorum serraturis imbricatis: caule lanato. *Linn.*

Hab. circa Conimbricam et Olisiponem in collibus calcareis. Flor. vere et æstate. Peren.

100. LAMIUM.

Calyx quinquearistatus: corollæ fauce inflata, utrinque dente setaceo: labio superiore integro, concavo: inferiore bilobo.

1. LAMIUM *maculatum*. Linn.

L. Foliis cordatis, acuminatis: verticillis decemfloris: corollæ fauce utrinque dentibus duobus, superiore setaceo.

Hab. in umbrosis humidis et ad sepes circa Conimbricam et alibi. Flor. vere. Peren.

Ma-

Macula longitudinalis albida, in medio folii sita, vere evanescit.

2. LAMIUM *purpureum.* Linn.
   L. Foliis cordatis, obtusis, petiolatis, in summo caule congestis.
   Hab. in agris et ad sepes Provinciarum borealium. Flor. ex Febr. usque ad Maj. Ann.

3. LAMIUM *amplexicaule.* Linn.
   L. Foliis radicalibus petiolatis, cordato-lobatis; in summo caule congestis, sessilibus, rotundatis, inciso-crenulatis.
   Hab. in ruderatis, agrisque, circa Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Ann.

In Lam.-amplexicauli *nostro faux verè utrinque margine unidentata; ideoque non ad Pollichiam Cl. Roth. referendum.*

101. PHLOMIS.

Calyx angulatus, dentatus: corollæ labio superiori concavo, subemarginato, villoso, incumbente; inferioris lacinia media majore, biloba: antheræ non punctatæ.

1. PHLOMIS *Lychnitis.*
   P. Foliis lanceolatis, tomentosis; floralibus ovatis: involucris setaceis, lanatis. *Linn.*
   Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem et alibi. Flor. vere. Peren.

2. PHLOMIS *purpurea.*
   P. Foliis cordatis, oblongis, tomentosis: involucris linearibus, obtusis, calyce brevioribus: caule fruticoso. *Linn.*
   Hab. prope *Setubal* et alibi in Transtagana. Flor. vere. Suffrutex.

3. PHLOMIS *herba venti.*

P. Foliis ovato-oblongis, scabris: involucris setaceis, hispidis: caule herbaceo. *Linn.*

Hab. in agris in Transtagana, prope *Béja*, *Redondo*, et alibi. Flor. æstate. Peren.

102. BETONICA.

Calyx quinquearistatus: corollæ tubo incurvo; labio superiori adscendente, plano, integro: stamina longitudine faucis.

1. BETONICA *officinalis.*

B. Spica interrupta: corollarum laciniâ media labii inferioris emarginata: foliis cordato-oblongis, crenatis. *Linn.*

Lusit. *Betonica.*

Hab. in dumetis prope Conimbricam in *Marrocos*, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere et æstate. Peren.

103. BALLOTA.

Calyx dentatus, decemstriatus, hypocrateriformis: corollæ labio superiore concavo, crenato: bracteæ multisetæ, involucriformes.

1. BALLOTA *nigra.*

B. Foliis cordatis, indivisis, serratis: calycibus acuminatis. *Linn.*

Lusit. *Marroio negro.*

Hab. in umbrosis humidis et sepibus circa Eboram

ram et Conimbricam, alibique in Transtagana et Beira. Flor. æstate. Peren.

Variat foliis cordato-subrotundis, et cordato-acutiusculis. Calyx decemstriatus, vix plicatus, siccitate leviter supra medium coarctatus.

104. MARRUBIUM.

Calyx dentatus, rigidus, decemstriatus, hypocrateriformis: corollæ labio superiore lineari, erecto, bifido.

* *Calycibus decemdentatis.*

1. MARRUBIUM *vulgare.*
M. Dentibus calycinis setaceis, uncinatis. *Linn.*
Lusit. *Marroio branco.*
Hab. in ruderatis, ad vias, sepes. Flor. æstate. Peren.

2. MARRUBIUM *cinereum.*
M. Foliis cordatis, subrotundis, crenatis; calycum limbis patentibus, inciso-dentatis, mucronatis.
D. La Marck. Dict. Bot.
Hab. in aridis prope *Anam*, inter *Alcoutim* et *Mertola.* Flor. Jun. Jul. Peren.

Marrub.-Hispanicum *Linn.*, *et* incanum *La Marck. etiam in Lusitania habitare verisimile est.*

105. ORIGANUM.

Flores densè et tetragono-spicati, bracteis ovatis, subcoloratis, imbricatis, unifloris, suffulti.

1. ORIGANUM *creticum.*
O. Spicis aggregatis, longis, prismaticis, rectis: bracteis membranaceis, calyce duplo longioribus. *Linn.*
Lusit. *Ouregão menor.*
Hab. circa Olisiponem, et alibi in Provinciis meridionalibus Lusitaniæ. Flor. vere et æstate. Peren.
Corolla alba constanter: spicæ longiores et laxiores, quàm in O-vulgari, *nec sic rotundato-glomeratæ uti in illo: an tamen ejus solum varietas?*

2. ORIGANUM *vulgare.*
O. Spicis subrotundis, paniculatis, glomeratis; bracteis calyce longioribus, ovatis. *Linn.*
Lusit. *Ouregão ordinario.*
Hab. in collibus et ad sepes, circa Conimbricam et alibi in Lusitania boreali. Flor. æstate. Peren.

3. ORIGANUM *Majorana.*
O. Foliis ovatis, obtusis: spicis subquadrangulis, compactis; bracteis crassiusculis, pubescentibus. *Linn.*
Lusit. *Mangerona.*
* Colitur freq. in hortis, indigena ex Palæstina, nullibi in Lusitania spontanea. Flor. æstate. Suffrutex.

106. LAVANDULA.

Calyx dentatus, bracteâ suffultus: corolla resupinata, limbo quinquelobo, subæquali: filamenta intra tubum corollæ inclusa.

1. LAVANDULA *spica*. Linn.
L. Foliis sessilibus, lanceolato-linearibus, margine revolutis: spicis interruptis, nudis.
Lusit. *Alfazema*.
* Colitur in hortis tùm *angustifolia*, cùm *latifolia*. Flor. vere et æstate. Peren. aut Suffrutex.
2. LAVANDULA *Stoechas*. Linn.
L. Foliis sessilibus, linearibus, margine revolutis: spicis subquadrangulis, coarctatis, comosis.
Lusit. *Rosmaninho*.
Hab. in sylvaticis, dumetis, freq. in tota Lusitania. Flor. vere. Peren. aut Suffrutex.
Variat floribus et bracteis albis, et pedunculis longissimis.
3. LAVANDULA *multifida*. Linn.
L. Foliis petiolatis, pinnatis; foliolis decursive pinnatifidis: spicis quadrangularibus, angulis spiralibus.
Hab. prope *Setubal* et alibi in Transtagana. Flor. æstate. Peren.

107. MENTHA.

Calyx dentatus: corolla quadriloba, subæqualis, fere non labiata, lobo superiore latiore, emarginato: stamina distantia, erecta.

* *Floribus spicatis.*

1. MENTHA *rotundifolia.*
M. Spicis oblongis: foliis subrotundis, rugosis, crenatis, sessilibus. *Linn.*
Varietas *glabra.* Lusit. *Ortelãa das Cozinhas.*
Var. *hirsuta.* Lusit. *Menthastro.*
Hab. in humidis circa Conimbricam, et in tota fere Lusitania freq. Flor. vere et æstate. Peren.

2. MENTHA *viridis.*
M. Spicis oblongis: foliis ovato-lanceolatis, nudis, serratis, sessilibus: staminibus corolla longioribus. *Linn.*
* Colitur in hortis. Flor. æstate. Peren.

** *Floribus capitatis.*

3. MENTHA *hirsuta.*
M. Foliis ovatis, serratis, subsessilibus, pubescentibus: staminibus corolla longioribus. *Linn.*
Hab. trans Tagum, *Costa da Trafaria*, et alibi in aquosis, et ad ripas fluviorum. Flor. æstate. Peren.

4. MENTHA *aquatica.* Linn.
M. Foliis ovato-oblongis, serratis, petiolatis: staminibus corolla longioribus, brevioribusve.
Hab. ad aquas Mundæ, et in locis inundatis, circa Co-

Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Fl. æstate. Peren.

Hirsuta uti præcedens, cui simillima, sed caule foliisque maioribus, petiolis duas ad quinque lineas longis. Variat capitulis ovato-oblongis, seu floribus subspicatis, extra aquas, soloque siccato.

*** *Floribus verticillatis.*

5. MENTHA *gentilis.*
M. Foliis ovatis, acutis, serratis: staminibus corolla brevioribus. *Linn.*
Lusit. *Vergamotta.*
* Colitur frequens in hortis, et in aquosis prope ipsos quasi spontanea. Flor. æstate. Peren.

6. MENTHA *Pulegium.*
M. Foliis ovatis, obtusis, subcrenatis: caulibus subteretibus, repentibus: staminibus corolla longioribus. *Linn.*
Lusit. *Poêjo.*
Hab. frequens in humidiusculis. Flor. æstate. Peren.
Variat caule hirsuto in locis siccioribus, et glabro in humidioribus et montosis Lusitaniæ borealis. Caulis demùm in anthesi erigitur.

7. MENTHA *cervina.*
M. Foliis linearibus: bracteis palmatis: staminibus corolla longioribus. *Linn.*
Hab. ad ripas Durii prope *Pezo da Regoa*, et alibi in Transmontana. Flor. æstate. Peren.

108. NEPETA.

Calyx dentatus: corolla tubo cylindraceo, incurvo; fauce in lacinias duas brevissimas, reflexas, terminata; labio superiori erecto, emarginato; inferiori laciniis lateralibus minutissimis, media maxima, crenulata.

1. NEPETA *tuberosa.* Linn.

N. Spicis terminalibus: bracteis oblongis, acuminatis, coloratis: foliis cordato-oblongis, serratis, pubescentibus: corollæ lobis lateralibus reflexis.

Hab. in montosis calcareis, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Peren.

2. NEPETA *violacea?* Linn.

N. Cymis pedunculatis, multifloris: foliis subpetiolatis, cordatis, nudiusculis: corollæ lobis lateralibus patentibus.

Hab. in Castanetis ad *Marvão.* Flor. Jun. Peren.

Dubia planta. Media inter N.-violaceam et hirsutam, *ex Cl. Com. Hoffmansegg, qui eam detexit.*

109. SATUREJA.

Calyx dentatus, striatus: corolla limbo quinquefido, subæquali: stamina interdum distantia.

1. SATUREJA *hortensis*.
S. Pedunculis bifloris. *Linn.*
Lusit. *Segurelha.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. vere et æstate. Ann.

110. THYMUS.

Calyx fauce villis clausa; labio superiori tridentato, inferiori biseto aut bifido.

1. THYMUS *Serpyllum*.
T. Floribus capitatis: caulibus repentibus: foliis planis, obtusis, basi ciliatis. *Linn.*
Lusit. *Serpão.*
Hab. in apricis subhumidis, in Lusitania boreali, ex fide P. Christophori *dos Reys*. Flor. vere. Suffrutex (1).
2. THYMUS *creticus*.
T. Capitulis imbricatis: bracteis ciliatis: foliis lanceo-

(1) Caules semipedales aut longiores, plures ex eadem radice, teretes, inferne glabri, superne ex albido subvillosi, ramis erectis. Folia ovata, integerrima, inferne ciliata, obtusiuscula, approximata et in ramis junioribus quadrifariam laxe imbricata. autumno facile decidua. Calyx decemstriatus, compressus, subcampanulatus, verè labiatus, dentibus duobus inferioribus ciliatis, fauce post florescentiam villis clausa: staminibus tamen parum distantibus. Corolla purpurascens. Colitur in hortis notabilis varietas foliis Citri odore, Lusit.

ceolatis, sessilibus, punctatis, carinatis: caule erecto, ramoso, superne tomentoso.

Lusit. *Tomilho de Creta, ou de Dioscorides.*

Satureja-*capitata.* Linn.

Hab. in collibus calcareis de *Alcantara* prope Olisiponem, et prope Sacellum S. Luciæ circa Conimbricam, et alibi in Lusitania meridionali. Fl. vere et æstate. Frutex.

3. THYMUS *cephalotus.* Linn.

T. Capitulis imbricatis: bracteis ovatis, integerrimis; foliis ovato-lanceolatis: caule erecto, ramoso.

Hab. in dumetis glareosis de *Caparica*, in maritimis inter *Alfeite* et *Seixal*, et alibi in Transtagana, Algarbiisque. Flor. vere. Frutex.

Variat capitulis bracteisque magnis et parvis: caule semipedali et pedali.

4. THYMUS *villosus.*

T. Capitulis imbricatis, magnis: bracteis dentatis: foliis setaceis, pilosis. *Linn.*

Hab. in ericetis arenosis maritimis de *Caparica* et aliis Extremaduræ et Beiræ meridionalis. Flor. æstate. Peren.

Variat foliis latioribus et tenuioribus.

5. THYMUS *vulgaris.*

T. Foliis revolutis, ovatis: floribus verticillato-spicatis. *Linn.*

Lusit. *Tomilho ordinario.*

Hab. in collibus calcareis Beiræ et Algarbiorum. Flor. vere. Suffrutex.

6.

Serpão Cidrado; quæ maior, erectiuscula, caule ramisque crassioribus, et fortasse in speciem distinguenda. Ad hanc forte referendus Thymus, quem Clar. Com. de Hoffmansegg detexit Junio Julioque florentem circa *Montalegre*, *Montezinho*; et *Serra do Rebordão*, caule repente, diffuso, ramis adscendentibus; foliorum lamina oblonga, obtusa, punctata, basi rariter ciliata, in petiolum brevissimum attenuata: verticillis multifloris, densis, apice subcapitatis: calyce hirsuto: corolla parva, purpureo-lilacinâ.

6. THYMUS *Zygis.*

T. Floribus verticillato-spicatis : caule suffruticoso, erecto : foliis linearibus, basi ciliatis. *Linn.*

Lusit. *Serpão do monte.*

Hab. circa *Azeitão*, et alibi in Extremaduræ ericetis montosis. Flor. vere et æstate. Suffrutex.

Thym.-*vulgari facie nimis similis, et interdum vix foliis distinctus.*

7. THYMUS *Acinos.*

T. Floribus verticillatis : pedunculis unifloris : caulibus erectis, subramosis : foliis acutis serratis. *Linn.*

Hab. in collibus siccis, circa *Covilhãa* et *Fundão.* Flor. æstate. Ann.

8. THYMUS *cespititius.*

T. Floribus verticillato-terminalibus : foliis lineari-lanceolatis, revolutis, utrinque subglabris; petiolis brevibus, ciliato-pilosis : caulibus ramosis, longe repentibus. *Broter.*

Lusit. *Tormentello.*

Hab. in dumetis glareosis montosis, in Beira boreali, Interamnia et Transmontana. Flor. vere. Suffrutex.

Non ad varietates Th.-Serpylli *hucusque cognitas referri posse videtur.*

9. THYMUS *Mastichina.*

T. Floribus verticillatis : calycibus lanuginosis; dentibus setaceis, villosis. *Linn.*

Hab. in Transtagana et Beira ad collium altiora. Flor. æstate. Suffrutex.

10. THYMUS *micranthus.*

T. Pedunculis solitariis, ramosis, axillaribus, trifloris, folio dimidio brevioribus : caule erecto : foliis ovatis, acutis, integerrimis, subtus hirtis, nervosis : corolla calycis dentibus subæquali. *Broter.*

Hab.

Hab. in collibus calcareis, præsertim in *Alcantara* prope Olisiponem. Flor. vere. Suffrutex.

Thymo-*Tragorigano affinis: facile etiam ad* Saturejam-*vimineam accedit.*

Radix perennis, ramosa, extus fusca. Caules plures, raro solitarii, ex eadem radice, suffruticosi, erecti, subramosi, purpurascentes, semipedales, sæpius pedales, sesquipedalesve, ad lentem lanuginosi, inferne teretes, fere ex medio ad apicem floriferi, quadranguli, uti rami, qui omnes erecti sunt. Folia inferiora et media ovata, suprema ad flores ovato-lanceolata, omnia tres ad quatuor lineas lata, quatuor ad septem longa, brevissime petiolata, integerrima, multinervia, vix revoluta, superne glabriuscula, subtus ad nervos et oras marginales leviter pilosa, patentia, aut nonnulla patula, aliqua internodiis longiora, alia ipsis paulo breviora. Verticilli plurimi usque ad apicem foliati. Pedunculi axillares, laterifolii; utrinque unus, lanuginosus, apice tribus pedicellis unifloris, calyce brevioribus, terminatus; omnes folio dimidio breviores; rarissime simplicissimi aut uniflori ad apicem caulis. Involucrum hexaphyllum; foliolis æqualibus, sublanceolatis, subsetaceis, lanuginosis, calyce brevioribus. Calyx tubulosus, subpubescens, decemstriatus, bilabiatus, fauce villosa, dentibus altitudine subæqualibus, ciliatis. Corolla minuta, calycis dentibus æqualis aut vix longior, ex albido purpurea; labio superiore obtuso, leviter emarginato; inferiori laciniis obtusis, subæqualibus, extus ad lentem pubescentibus. Stylus albidus, stigma purpureum, bifidum, lacinia una uncinata. Folia et rami leviter odori, sapore vix acri.

11. THYMUS *Calamintha*.

T. Pedunculis axillaribus, dichotomis, longitudine foliorum.

Lusit. *Calamintha*, *ou Neveda maior*.

Melissa-*Calamintha*. Linn.

Hab. circa Olisiponem in montosis. Flor. vere et æstate. Peren.

12. THYMUS *Nepeta*.

T. Pedunculis axillaribus, dichotomis, folio longioribus: caule adscendente, hirsuto.

Lusit. *Neveda menör*.

Melissa-*Nepeta*. Linn.

Hab. freq. in ruderatis montosis, ad vias, muros, sepes, et in aggeribus glareosis. Flor. vere, æstate et autumno. Peren.

An varietas præcedentis?

III. MELISSA.

Calyx aridus, supra planus, tridentatus, infra bifidus: corollæ labium superius subconcavum, bifidum; inferius lobo medio cordato.

1. MELISSA *officinalis*.

M. Racemis axillaribus verticillatis; pedicellis simplicibus. *Linn.*

Lusit. *Herva Cidreira*.

Hab. in umbrosis humidis, ad sepes, circa *Conraria*, ad Mundam, et alibi in Beira. Colitur quoque in hortis. Flor. vere. Peren.

112. MELITTIS.

Calyx campanulatus, tubo corollæ amplior, trifidus, lacinia superiori emarginata: corolla duplo longior; labio inferiori crenato; superiori integro, plano: antheræ cruciatæ.

1. MELITTIS *Melissophyllum.* Linn.
M. Foliis cordato-dentatis: floribus secundis; glandulis rubellis ad basin pedunculi.
Hab. prope *Caldas do Gerez*, in umbrosis humidiusculis prope Conimbricam, *Lousãa*, et alibi in Beira. Flor. Majo usque ad Julium. Peren.
Variat corollis totis niveis.

113. CLINOPODIUM.

Calyx collo contractus; labio superiori bifido, inferiori bipartito: staminum filamenta arcuata; antheræ transversim bipartitæ: bracteæ multisetæ, verticillos involventes.

1. CLINOPODIUM *vulgare.*
C. Capitulis subrotundis, hispidis. *Linn.*
Hab. in nemorosis, dumetis et ad sepes circa Conimbricam. Flor. Majo usque ad Julium. Peren.

114. OCIMUM.

Calyx labio superiori plano, orbiculato, latiori; inferiori quadrifido, conniventi: corolla resupinata, tubo brevi: filamenta breviora basi processu reflexo.

1. OCIMUM *minimum.*
O. Foliis ovatis, integerrimis. *Linn.*
Lusit. *Mangericão ordinario.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. vere et æstate. Ann. Coluntur etiam O-*Basilicum* (Lusit. *Alfavaca, ou Mangericão maior*) et aliæ species; sed rarius.

115. PRUNELLA.

Calyx labio superiore lato, plano, truncato, leviter tridentato; inferiori semibifido: filamenta apice bifurca, dente altero antherifero: stigmata duo.

1. PRUNELLA *vulgaris.* Linn.
P. Foliis omnibus ovato-oblongis, subserratis, petiolatis: calycis labio superiore truncato, subtridentato.
Lusit. *Herva Ferrea, ou Prunella.*
Hab. in pratis, pascuis et subhumidis in tota fere Lusitania; circa Conimbricam frequens. Flor. æstate. Peren.

2. PRUNELLA *intermedia.*
P. Foliis partim integris, partim sinuato-dentatis, ru-

rugosis, hirtis: calycis labio superiore truncato, leviter tridentato. *Cl. Prof. Link.*

Hab. cum subsequenti. Flor. vere et æstate. Peren.

Intermedia quasi inter P.-vulgarem *et* grandifloram: *flores cærulei, maiores quàm in P.*-vulgari, *sed minores quàm in P.*-grandiflora. *Folia inferiora plurima profunde sinuato-dentata, magna, atro-viridia, valde rugosa; superiora integra, tantùm dentata, nec laciniata, et quasi pinnatifida, ut in P.*-laciniata, *cum qua sæpius confunditur. Calyces summi interdum cærulescentes.*

3. PRUNELLA *hastæfolia.*

P. Foliis subhastato-oblongis, serratis, obtusis, pubescentibus: caule adscendente, basi repente: calycis labio inferiori profunde trilobo. *Broter.*

Hab. in humidis montium *Lousãa*, *Miranda*, Herminii, *Gerez*, et alibi in Beira boreali, Interamnia et Transmontana. Flor. vere et æstate. Peren.

Flores P.-grandifloræ; *sed folia diversa, basi nunc subhastata, nunc subcordata, ibique dentibus maioribus. Caulis hirsutus, quadriuncialis, aut paulo altior.*

116. CLEONIA.

Calyx labio superiori planiusculo, tridentato; inferiori bipartito: filamenta apice bifurca, dente altero antherifero: stigmata quatuor.

1. CLEONIA *Lusitanica.*

C. Bracteis pinnato-dentatis, ciliatis. *Linn.*

Hab. in montosis calcareis, circa Conimbricam, in Extremadura et Transtagana. Flor. æstate. Ann.

117. SCUTELLARIA.

Calyx labiis subintegris, post florescentiam operculo clausus.

1. SCUTELLARIA *minor.*
S. Foliis cordato-ovatis, subintegerrimis: floribus axillaribus. *Linn.*
Hab. in nemorosis et paludosis in Beira boreali; circa Conimbricam frequens ad Mundam, et in rivulis ac uliginosis *de S. Romão.* Flor. æstate. Peren.

118. ACANTHUS.

Calyx foliolis inæqualibus, quorum unum loco labii superioris corollæ: tubus corollæ brevis, villis clausus; labium superius nullum; inferius magnum, trilobum: antheræ antice villosæ: capsula bilocularis.

1. ACANTHUS *mollis.*
A. Foliis sinuatis, inermibus. *Linn.*
Lusit. *Branca Ursina dos Italianos, Herva Gigante.*
Acanth.-mollis splendens. *Aiton.*
Hab. frequens in humentibus umbrosis circa Conimbricam et Olisiponem. Flor. vere. Peren.

119. OROBANCHE.

Calyx diphyllus, aut monophyllus, bracteatus: corollæ labio superiori emarginato aut crenato; glandula sæpius basi germinis: stigma leviter bilobum: capsula unilocularis, bivalvis, polysperma.

1. OROBANCHE *barbata.*

O. Caule simplici, pubescente; calyce diphyllo, foliolis bidentatis, dente uno longe aristato; bractea corollæ longitudine.

La Marck Dict. Enc.

Lusit. *Herva toira.*

Hab. ad sepes et in solo raro, parasitica inprimis radicum plantarum leguminosarum. Fl. vere. Ann.

Corolla flava vel ex flavescenti carnea. Variat scapo, squamis, corollaque atro-purpureis ita, ut tota planta quasi fusca videatur. Setæ calycis corolla paulo breviores.

Nimis affinis O.-maiori.

2. OROBANCHE *ramosa.* Linn.

O. Caule ramoso, simplicive: corollis quinquefidis: calyce quadridentato.

Hab. ad sepes et in solo macro, parasitica radicum plantarum annuarum prope Conimbricam et Olisiponem. Flor. vere. Ann.

Variat caule simplicissimo, simplici aut ramoso. Flores purpurei: glandula ad basin germinis nulla.

120. LATHRAEA.

Calyx quadrifidus: corollæ labio superiori galeato, integro, adunco: glandula depressa ad basin suturæ germinis: stigma truncatum: capsula unilocularis, elastice bivalvis; semina globosa.

1. LATHRAEA *Phelipaea*. Linn.

L. Scapo simplicissimo, multifloro: corollarum fauce inflata; limbo parvo, patente, quinquepartito.

Hab. inter *Cacilhas* et *Arrabida*, præsertim ex *Alfeite* ad *Seixal*, in arenosis. Flor. vere. Ann.

Flores lutei.

121. EUPHRASIA.

Calyx quadrifidus cylindricus: corolla tubo longitudine calycis; labio superiore concavo, emarginato, inferiori tripartito, laciniis æqualibus: antheræ bilobæ, quarum inferiores in spinam acuminatæ: capsula bilocularis, ovato-oblonga.

1. EUPHRASIA *latifolia*. Linn.?

E. Foliis ovatis, profunde dentatis: floribus subcapitatis: calycibus quadrifidis: corollæ labio superiori integerrimo.

Hab. in pascuis siccis, et prope Conimbricam in

so-

solo arenoso collis non longe a Cœnobio Theresiarum. Flor. Apr. usque ad Maj. Ann.

Varietas forte Euphr. officinalis.

2. EUPHRASIA *linifolia.* (an Linn. ?)

E. Foliis sublinearibus, omnibus integerrimis: calycibus subglabris: caule ramoso, virgato, subnudo, tereti; ramis oppositis, gracilissimis.

Hab. in dumetis glareosis siccis *de Caparica*, et non longe a Conimbrica circa *Catanhede*, *Montemór* et alibi in Beira et Extr. Flor. æstate. Ann.

Folia opposita, subsetacea, caduca, remota, pauca. Flores lutei, secundi, alterni: corolla calyce fere duplo longior; bractea calyce paulo minor. Calyx tubulosus, 4-dentatus, dentibus duobus paulo brevioribus. Antheræ lanatæ, non extra corollæ labia exertæ. Capsula apice compressa, obtusa, vix calyce minor.

3. EUPHRASIA *aspera.*

E. Foliis ovatis, obtuse serratis, scabris, rugoso-lineatis: floribus spicatis: caule tereti, lævi. *Brot.*

Hab. ad radices *Monte-Junto*, *Serra d'Arrabida*, et in dumetis *de Catanhede* in Beira. Flor. æstate. Suffrutex.

Folia sicca illico decidunt, et vix ulla in herbariis conservantur.

122. RHINANTHUS.

Calyx quadrifidus, ventricosus: corolla tubo longitudine calycis; labio superiori galeato, angustiori, compresso, emarginato; inferiori patulo, semibifido, lacinia media latiori: antheræ hinc bifidæ, hirsutæ: capsula bilocularis, compressa, obtusa.

1. RHINANTHUS *Crista galli.*
R. Corollis labio superiori compresso, breviori: calycibus glabris. *Linn.*
Hab. in pratis circa Bragantiam. Flor. Maj. et Jun. Ann.
Ex Cl. C. Hoffmansegg.

2. RHINANTHUS *Trixago.*
R. Calycibus hirsuto-tomentosis: foliis oppositis, obtuse serratis: caule simplicissimo. *Linn.*
Hab. in maritimis prope *Cabo de Espichel.* Flor. vere. Ann.

3. RHINANTHUS *versicolor.*
R. Foliis subcompositis, lanceolato-linearibus, serratis, serraturis distantibus: calycibus brevibus, oppositis.
La Marck. Dict. Bot. n. 11.
Hab. frequens circa Olisiponem, *Rio Maior*, et alibi in Extremadura, etiam circa Conimbricam in calcareis montosis. Flor. æstate. Ann.
Adfinis præcedenti: an ejus varietas? Corolla alba, galea rubra.

4.

4. RHINANTHUS *viscosus.*
R. Foliis superioribus alternis, serratis : floribus distantibus, lateralibus.
Bartsia-*viscosa.* Linn.
Hab. in uliginosis circa Conimbricam. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann. *Corollæ luteæ.*

123. MELAMPYRUM.

Calyx quadrifidus : corolla tubo oblongo, recurvo; labio superiori compresso, emarginato, lateribus reflexis ; inferiori plano, eminentiis duabus medio notato : capsula bilocularis, oblique acuminata : semina duo, basi gibba.

1. MELAMPYRUM *pratense.*
M. Floribus secundis, lateralibus : foliorum conjugationibus remotis : corollis clausis. *Linn.*
Hab. in nemorosis prope *Campéa*, *Serra do Marão*, *Covide*, *Serra do Gerez* et *da Estrella.* Flor. Maj. usque ad Aug. Ann.

124. PEDICULARIS.

Calyx quinquefidus: corolla personata; labio superiori compresso; inferiori trifido, lacinia media angustiori: capsula obliqua, acuminata, mucronata, bilocularis, dissepimento contrario: semina hilo membranaceo, receptaculo affixa.

1. PEDICULARIS *sylvatica.*
P. Caule ramoso: calycibus oblongis, angulatis, lævibus: corollæ labio cordato. *Linn.*
Variet. maior et minor.
Hab. var. minor in collibus circa Conimbricam, prope *Porto*, et alibi in Beira boreali; *var. maior* circa *Cintra* in paludosis sylvaticis. Flor. Maj. et Jun. Ann.

125. ANTIRRHINUM.

Calyx pentaphyllus: corolla sæpissime personata, basi gibba aut calcarata: capsula ovato-obtusa, aut subrotunda, bilocularis.

* *Corollis calcaratis, clausis: nullis foliis verticillatis.*

1. ANTIRRHINUM *spurium.* Linn.
A. Foliis ovatis, villosis, integerrimis: caulibus procumbentibus.

Lu-

Lusit. *Falsa Veronica de Allemanha.*

Hab. in calcareis, inter segetes, in arvis et vineis, freq. circa Conimbricam. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

2. ANTIRRHINUM *lanigerum.*

A. Foliis villosissimis, ovatis, subcordatisve, subsessilibus; inferioribus dentatis, superioribus integerrimis: caulibus ramosissimis, procumbentibus, lanatis. *Broter.*

Hab. in Transtagana, et Algarbiis, raro in Beira meridionali ad Tagum. Flor. æstate. Ann.

Caules ramosissimi, quadripedales et ultra, ramis patentissimis. Folia omnia alterna: pedunculi ad inferiora caulis folio breviores, ad superiora ipso longiores. Perianthium pilosum, laciniis lanceolatis, subæqualibus, vix lineam longis. Corolla albida, ante anthesin flava, subglabra: labium superius bifidum, inferiori brevius, laciniis replicatis, interne cæruleis; labium inferius ad gibbum palati punctis cæruleis adspersum, interne pubescens ad faucem: calcar recurvum, tres fere lineas longum, et corollæ longitudine. Staminum filamenta cærulescentia, hinc pilosa: antheræ bipartitæ, cordatæ, fuscæ, polline albido, viscosè adhærentes. Germen subrotundum, viride, subglabrum: stylus pallidus, pubescens: stigma refracto-uncinatum. Capsula cernua, subrotunda, fere longitudine calycis, bilocularis, emarginata, bisulca, vix pubescens. Affin. A. spurio. *Linn.*

3. ANTIRRHINUM *Elatine.*

A. Foliis hastatis: caulibus procumbentibus. *Linn.*

Hab. ad rivulum fontis prope *Quinta branca* ultra vicum *Fornos*, non longe a Conimbrica. Fl. æstate. Ann.

Varietas minor, foliis hastatis sagittatisque.

4.

4. ANTIRRHINUM *minus*. Linn.

A. Foliis inferioribus oppositis, lanceolatis, obtusis: caule ramosissimo, diffuso, villoso: floribus solitariis: calcare brevi.

Hab. ad ripas Durii prope *Porto*. Flor. vere et æstate. Ann.

Folia superiora pleraque alterna: corollæ tubus labiumque superius violaceum, inferius uti et palatum albidum.

5. ANTIRRHINUM *origanifolium*. Linn.

A. Foliis ovatis, plerisque oppositis: floribus alternis; corollis subcampanulatis; calcare brevi.

Hab. in *Serra d'Arrabida*, et ad vicum *dos Carvalhos* usque ad *Rio Maior*. Flor. vere. Ann.

Folia fere Serpylli, inferiora opposita, suprema ad pedunculos alterna, ovata seu ovato-lanceolata, fere glabra. Caules adscendentes, rigidiusculi, pubescentes. Flores racemosi, distantes. Calyx villosus. Corolla pubescens, pallide violacea, labiis subhiantibus. Capsula subvillosa, calyce tecta. Folia amariuscula, acria.

** *Corollis calcaratis, clausis: foliis nonnullis verticillatis.*

6. ANTIRRHINUM *hirtum*.

A. Foliis lanceolatis, hirtis: floribus spicatis: foliolo calycino supremo maximo. *Linn.*

Hab. in Transtagana, præsertim prope *Vidigueira*, *Moura*, et *Serpa*, in agris. Flor. vere. Ann.

Folia in caulibus sterilibus, et interdum ad ima fertilium, quaterna, ovata, acuta. Corolla Ant.-Linariæ *striata.*

Ant.-hirtum *Jacquin*, *an Linnæi? caule ad basin, et foliis inferioribus glabris.*

7. ANTIRRHINUM *saxatile.*

A. Foliis lanceolato-linearibus, sparsis, villosis; inferioribus quaternis: caule piloso, viscido, subramoso: floribus spicatis.

An Ant.-*saxatile* Linn.?

Hab. in solo macro, in Lusitania boreali; etiam in Transtagana. Flor. vere et æstate. Peren.

Caulis vix procumbens : corollæ luteæ, mediocres (1).

8. ANTIRRHINUM *supinum.*

A. Foliis lineari-lanceolatis, imis quaternis, superioribus alterno-confertis : caule ad apicem ramosiusculo : floribus spicato-capitatis; calcare recurvo.

An A.-*supinum* Linn.?

Hab. in solo macro in Beira altiore, Transmontana, etiam prope Conimbricam, ad vias et in muris non longe a Monasterio vulgò *de S. Clara.* Flor. vere et æstate. Ann. aut. bienn.

Ra-

(1) Radix ramosiuscula, cortice albo, superne ad collum fere digiti minimi crassitudine, et ut videtur perennis. Caules numerosi ex apice radicis, externi adscendentes, interiores erecti, septem ad decem uncias alti, teretes, pubescenti-viscidi, ramosi, ramis alternis, erectis; ad apicem sub floribus aphylli. Folia lineari-lanceolata, sessilia, integerrima, utrinque pubescenti-viscida; inferiora caulis verticillato-quina, interdum quaterna, in verticillis approximatis valde maiora; media caulis alterna, sparsa, inferioribus et superioribus maiora, octo lineas longa, sesquilineam lata. Flores caules et ramos terminant, capitato-spicati, octo ad quindecim, subsessiles, erecti: bractea lineari-setacea, pilosa, calyci incurvo appressa, illoque paulo brevior, aut æqualis. Calyx pilosus, laciniis lineari-setaceis, quatuor subæqualibus, quinta paulo longiori. Corolla mediocris, semiuncialis, supputato calcare, omnino flava; labium superius bifidum, reflexum, extus subpubescens; labium inferius laciniis æqualibus, obtusis: palatum punctis duobus saturate fulvis, intus villosum: faux etiam villosa punctisque duobus dilute fulvis picta. Stigma obtusum. Germen villosum.

Caulis interdum subpedalis, ramis nonnullis patentissimis : folia superiora interdum lanceolata, remotiuscula, subglabra: Spica demum biuncialis, floribus valde laxis, pedunculis sesquilinearibus : corolla sæpius solum bipunctata, punctis ovalibus rufis ad faucem, seu intus in labio inferiori. Reperitur in arenosis etiam ad Mundam et alibi in Beira boreali. An satis distinctum ab. A.-*bipunctato Linn.*?

Radix ramosiuscula, cortice fibrisque multis albis instructa, annua, rarius biennis. Caules cespitosi, interdum numerosissimi, ex procumbenti erectiusculi, teretes, filiformes, simplicissimi, nonnulli simplices, duobus tribusve ramis ad apicem instructi; foliati, ad basin et apicem aphylli, glabri, sub floribus pubescentes, ad radicem purpurascentes, omnes floriferi, semipedales ad pedales. Folia lineari-lanceolata, acutiuscula, subcarnosa, glabra, subglauca, convexiuscula, subtus concava, marginibus subrevolutis, costâ obliterata; infima minora, quaterna, saltem in juniori caule; superiora sparsa, subsecunda, longiora et latiora. Flores terminales, spicati, subcapitati, pauci (quatuor ad septem) erecti, post anthesin sensim remotiores; pedicelli lineam ad sesquilineam longi, pubescentes, pilis apice glanduliferis. Bracteæ reflexæ, lanceolatæ, margine præsertim pubescentes, pedicellis longiores. Calyx quinquepartitus, laciniis patulis, lineari-lanceolatis, ad apicem paulo latioribus, margine præsertim pubescentibus, inæqualibus, supremâ tertiam partem aliis longiori. Corolla sulphurei coloris, decem lineas longa, supputato calcare; labium superius bifidum, erectum, laciniis reflexis, obtusiusculis; labium inferius saturate luteum, trifidum, laciniis obtusis, plicatis, vix emarginatis; palatum pilis sulphureis præditum; tubus latus, inferne striis multis purpureis notatus: calcar colore et longitudine corollæ, recurvum, striatum, striis purpurascentibus, in angulos sensim ad apicem acutiores convergentibus. Filamenta filiformia, basi pubescenti crassiuscula; antheræ luteæ, bipartiæ. Germen ovatum; subglabrum, receptaculo glanduliformi insidens; stylus longitudine staminum breviorum, marcescens: stigma simplex, obtusum. Capsula calyce paulo longior, obcorda-

data, ad latera unisulcata, glabra, sex sive septem semivalvulis dehiscens. Semina complanata, orbiculata, nigra, marginibus membranaceis.

Tota planta amara, sapore demum Rhabarbari. Ant.-triste *et*-supinum *Linn.*, Lusitanicum *La Marck et*-marginatum *La Fontaines, cum hoc nostro plantas hybridas unius ejusdem speciei esse facile crederem. Etsi in nostro folia non filiformia sint, nec caulis hirsutus, sicut in suo A*-supino *Linnæus esse dicit; attamen illud esse Linariam Hispanicam, quintam Clusii, Salmaticensem, non dubito.*

9. ANTIRRHINUM *Lusitanicum.*

A. Caulibus procumbentibus, subsimplicibus, glabris: foliis infimis ternis, subovalibus, glaucis: floribus racemosis, confertis, terminalibus. *Brot. Phyt. Lusit. Fasc.* 1. *n.* 8.

Hab. in maritimis prope *Boarcos*, *Figueira*, et alibi. Flor. vere et æstate. Ann.

An varietas hybrida A.-supini *nostri*?

Planta tota glauca: caules procumbentes: folia caulina semper valde majora, quàm ramea; omnia fere alterna; in rarissimis verticillis, ad inferiora caulis, quaterna, aut terna, aut opposita. Corolla lutea, striata, magna. Nimis affinis Ant.-supino, *et forte ipsius proles hybrida.*

10. ANTIRRHINUM *virgatulum.*

A. Foliis caulium sterilium lanceolatis, ternis; fertilium linearibus, canaliculatis, alternis: ramis virgatis: floribus racemosis; palato villoso; stigmate bifido. *Broter.*

Hab. in aridis sabulosis prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Ann.

Radix ramosiuscula, alba, annua. Caulis semipedalis, pedalis, raro altior, teres, glaberrimus, ut tota planta, rarissime solitarius, sæpius duobus tribus pluribusve sterilibus, procumbentibus, tri-

pollicaribus ad ortum é nodo radicali, stipatus, erectus, ad suprema nudus, ad medium foliatus; nunc in solo arido simplex, ramis paucis, brevissimis, sterilibus; nunc, in solo arenoso subhumido, ramosus paniculatusque, ramis virgatis, numerosis, ramosissimis, erectis. Folia in caulibus sterilibus lanceolata, terna (rarissime in imis verticillis quaterna), crassiuscula, reflexiuscula; in caulibus fertilibus linearia, unam fere lineam lata, ad unciam longa, canaliculata, subtus hebetata, alterna, ad ima caulis fere terna, seu fere opposita. Racemus terminalis unicus in caule simplici, aut plures in ramoso, ramos terminantes: flores remotiusculi, quatuor ad duodecim in singulo racemo; pedunculi setiformes, erecto-patuli, infimi unciam ferè longi, sursum versus sensim decrescentes, bractea lineari, parva, duas lineas longa, indies sursum minori, instructi. Calyx glaber, profunde quinquepartitus, laciniis sublinearibus, subæqualibus, dorso viridibus, margine pallide membranaceis, duas fere lineas longis, erectis. Corolla omnino dilute lutea, fere uncialis, calcari supputato; palatum villosum, interdum in fundo tubi puncta duo saturate fulva sita sunt. Antheræ flavæ, bilobæ; stigma bifidum. Capsula ovato-subrotunda, utrinque unisulcata, calyce vix brevior. Semina subreniformia.

An varietas A.-juncei *Linn.? caulis tamen non subangulatus, nec sesquipedalis; folia caulina non supra plana, sed canaliculata; palatum non glabrum, sed villosum.*

11. ANTIRRHINUM *sparteum.*

A. Foliis subulatis, canaliculatis, carnosis; inferioribus ternis: caule paniculato, corollisque glaberrimis. *Linn.*

Ex Cl. P. Link.

Hab.

Hab. in arenosis trans Tagum. Flor. vere. Bienn.

Corollæ flavæ, duplo maiores, quàm in præcedenti, palato glabro cum tinctura rubicanda in retuso gibbo palati, secundum Linnæum. Varietas præcedentis esse videtur, et forte ambæ in unam solam speciem conjungendæ.

12. ANTIRRHINUM *multipunctatum.*

A. Foliis omnibus planis, lanceolatis; inferne quaternis, superne alternis: caulibus adscendentibus, simplicissimis, glabris: floribus subsessilibus, subcapitatis. *Broter.*

Hab. in solo macro, circa Olisiponem et Conimbricam. Flor. vere. Ann.

Radix fibrosa, annua. Caules plures, quinque ad viginti quatuor ex eadem radice, adscendentes, fere omnes fertiles, tri-quadri-quinqueunciales, teretes, glabri, simplicissimi. Folia lanceolata, glabra, dilute viridia, quaterna, superne alterna, ad caulium apicem nulla. Spica subcapitata, terminalis, pauciflora; floribus tribus ad quinque; pedicellis minimis, subpubescentibus, subtriquetris, bracteæ et calyce brevioribus. Calyx quinquepartitus, laciniis lineari-lanceolatis, leviter ad margines lanuginosis, inæqualibus, suprema aliquantulum longiori. Corolla uncialis, calcare supputato, nunc saturate lutea, nunc pallido-sulphurea; calcare longo, acuto, purpureo, introrsum uniangulato: labium superius erectum, bifidum, laciniis obtusis, reflexis; labium inferius trifidum, laciniis obtusis, subæqualibus, palati gibbo quamplurimis nigris punctis adsperso, intus villoso, villis nunc saturatius luteis, nunc purpureis, tubo etiam luteo aut interdum extus purpurascenti, intus quoque lineis purpureis, maculisque nonnullis nigris notato. Antheræ luteæ. Stylus filiformis, marcescens: stigma obtusum. Capsula obovato-subrotunda, calyci æqua-

 lis,

lis, semisexvalvis. Semina suborbicularia, complanata, marginata.

13. ANTIRRHINUM *subalpinum.*

A. Caulibus adscendentibus, glabris, ramosis: foliis lineari-lanceolatis, inferne quaternis, ternisve: floribus laxe racemosis: corollis albo-purpureis, rictu fulvo. *Broter.*

Hab. in solo macro, sabuloso vallium, et ad radices montium *Lousão*, *Miranda do Corvo*, et alibi in Beira boreali. Flor. Maj. Ann.

Radix alba, subfusiformis, inferne ramulosa, annua. Caules plurimi ex eadem radice, in orbem positi, adscendentes, teretes, glabri, ut tota planta, é medio (interdum ex imo) ad apicem ramosi, paniculati, semipedales dodrantalesve; ramis alternis, erecto-patulis, subdivisis. Folia inferiora verticillata, verticillis proximis, sæpius quaterna, pauca terna, superiora alterna, omnia lineari-lanceolata, sessilia, glabra, patentia, subrecurva; in umbrosis plurima quasi secunda. Flores caulem et ramos terminantes, pedunculati, axillares, alterni, remotiusculi, et quasi in racemos laxos digesti; pedicelli quinque ad octo in singulo racemo, teretes, folio seu bracteâ setaceâ longiores; inferiores semiunciales, alii sursum sensim decrescentes. Perianthium quinquepartitum, glabrum, laciniis linearibus, acutis, viridibus, subæqualibus, superiori paulo longiori, tubo corollæ vix brevioribus, patulis, persistentibus. Corolla albo-purpurea; labium superius erectum, sublineare, bifidum, obtusiusculum, conduplicatum, albidum, striis subpurpureis; labium inferius etiam album, venis purpureis obsoletis maculatum, trifidum, laciniis tribus æqualibus, obtusis; palato interne versus labium superius villoso, villo fulvo, linea intermedia longitudinali calva pallidaque exarato: tubus pur-

pu-

pureus, lineam vix longus: calcar rectum, purpureum, tres seu quatuor lineas longum, et corolla vix longius. Staminum filamenta purpurea; antheræ luteæ. Germen subglobosum; stylus purpureus; stigma obtusum, inter antheras superiores et inferiores conditum. Capsula globosa, glabra, calyce persistente paulo elatior.

Nimis adfinis A.-alpino, *et forte ejus varietas minor, maculata: saltem nimis accedit ad* Linariam purpuream parvam *J. Bauh. Hist.* 3. *p.* 460. *Adfinis etiam A.*-amethysteo *D. La Marck (Encycl. Dict. Bot.); sed, caule ramoso, adscendente, foliis non linearibus, calycis laciniis non villosis, et corolla valde minori, differt.*

14. ANTIRRHINUM *amethysteum?*

A. Foliis sublanceolatis, inferioribus quaternis: floribus in summitate confertis.

La Marck. Dict. Bot.

Hab. fertur in Beira boreali. Flor. vere. Ann.

Corolla amethystea; labio punctato.

15. ANTIRRHINUM *saphirinum.*

A. Foliis planis, caulium sterilium ternis, lineari-lanceolatis, fertilium alternis, linearibus, erectis, superne pilosis: floribus racemosis: stigmate tricuspidi. *Broter.*

Hab. in sabulosis in Beira altiori, frequens circa Conimbricam. Flor. vere. Ann.

Caules floriferi dodrantales pedalesve, sæpius simplicissimi, raro uno aliove ramo instructi, superne cærulescentes, pilosi, uti pedicelli, qui quatuor ad quinque lineas longi, bracteis duplo aut fere triplo longiores. Corolla cæruleo-violacea, fere uncialis, supputato ejus calcari longo, recurvo; palato luteo, villoso, ejus gibbo albido maculisque saturate cæruleis notato. Stigma trifidum, lacinula media minima, triangulari, quod in hoc genere no-

ta-

tabile. Capsula longitudine calycis, ovato-subrotunda. Semina truncata, subturbinata.

16. ANTIRRHINUM *triornithophorum*. Linn.

A. Foliis ternis, quaternisve, lanceolatis: caule erecto, ramoso: floribus pedunculatis.

Hab. in umbrosis humidis, ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali, etiam circa *Monte-Junto*. Flor. Maj. usque ad Jul. Peren.

Folia omnia verticillata, plerumque terna aut quaterna, rarissime quina: pedunculi simili modo positi: flores magni, erecti, elegantissimi.

*** *Corollis calcaratis, hiantibus.*

17. ANTIRRHINUM *Bellidifolium*. Linn.

A. Foliis radicalibus lato-lanceolatis, trinerviis, glabris, serratis; caulinis quinquepartitis, laciniis sublinearibus, integerrimis: bracteis trifidis.

Hab. in sabulosis aridis in Lusitania boreali, raro in Extremadura, frequens prope Conimbricam. Flor. vere et æstate. Bienn. triennisve.

Caulis erectus, glaberrimus semper, ut tota planta, sesquipedalis et altior, sæpe solitarius. Rami é summitate plures, quatuor, quinque et ultra, erecti, simplices. Folia radicalia lato-lanceolata, aut interdum subcuneata; caulina quinque sive septempartita, laciniis omnibus sublinearibus, integerrimis. Spicæ terminales, multifloræ (flor. ad centum). Bracteæ lineares, trifidæ (laciniis sublinearibus) floribus longiores. Corollæ minutæ, cærulescentes, labio superiori bifido, erecto, inferiori trifido, nutante: calcar e basi corollæ minutum, sursum inflexum, calyce inclusum, breviusque.

18. ANTIRRHINUM *Duriminium*.

A. Foliis radicalibus obovato-lanceolatis, triner-

viis,

viis, serratis, hirsutis; caulinis tripartitis, media maiori, lato-lanceolata, integerrima: bracteis imis similibus, summis simplicissimis. *Broter.*

Hab. in Lusitania boreali, præsertim in terris macris, subhumidis, inter Durium et Minium. Flor. vere et æstate. Bienn. triennisve.

Linaria Lusitanica Bellidis folio ampliore et villoso. Tournefort. *I. R. H.* 169.

Ab Ill. Gouan et aliis Botanicis tanquam varietas præcedentis existimatur; sed nostrum satis differt ab illo, et uti species distinguendum. Semper enim tota planta hirsuta est; folia caulina tripartita, lobulo medio lato-lanceolato, acutissimo, uti etiam bracteæ inferiores, superiores autem sunt simplicissimæ, non sublineares, sed lato-lanceolatæ; corollæ non cærulescentes, sed albido-sulphureæ, calyce valde longiores.

**** *Corollis person.; ecalcaratis, sed basi gibbis.*

19. ANTIRRHINUM *majus.*

A. Floribus spicatis; calycibus rotundatis. *Linn.*
Lusit. *Herva Bezerra.*

Hab. freq. in tota Lusitan. ad muros, turres, sepes, et nonnunquam inter segetes. Flor. æstate. Peren.

Variat corollis pallide luteis, circa Herminium, Valhelhas, Covilhãa, Pinhel, *&c.*

20. ANTIRRHINUM *molle.*

A. Caule procumbente: foliis oppositis, ovatis, tomentosis: pedunculis caule longioribus. *Linn.*

Hab. ad ripas Durii, prope *Porto.* Flor. vere. Peren.

Caulis superne hirsutissimus, flores A.-majoris, sed duplo minores; ejus varietas mollis *esse videtur.*

21.

21. ANTIRRHINUM *calycinum.*

A. Caule erecto; foliis ovato-lanceolatis, oppositis: calycibus longitudine corollæ.

La Marck. Dict. Bot.

Hab. in arvis, circa Conimbricam et alibi in Beira frequens. Flor. vere. Ann.

Affinis A-Orontio; *sed flores majores (interdum albi) ad apicem confertiores, nec sparsi: foliis ovato-lanceolatis, nec lineari-lanceolatis, fere omnibus oppositis. An ipsius tamen varietas?*

126. DIGITALIS.

Calyx quinquepartitus, inæqualis: corolla deorsum ventricosa, subcampanulata, basi in tubum brevissimum arcta; limbo quadrifido, lacinia superiori emarginata: stamina declinata: capsula ovata, longitudine calycis, bilocularis.

1. DIGITALIS *purpurea.*

D. Calycis foliolis ovatis, acutis: corollis obtusis; labio superiori integro. *Linn.*

Lusit. *Herva dedál*, *Dedaleira*, ou *Digital.*

Hab. ad sepes, in subhumidis et umbrosis; frequens in Lusitania boreali. Flor. Maj. usque ad Jul. Bien.

2. DIGITALIS *Thapsi.*

D. Calycis foliolis ovatis, acutis: foliis decurrentibus. *Linn.*

Hab. ad ripas arenosas Mundæ, prope *Lamego*, et alibi in Beira. Flor. Maj. usque ad Jun. Peren.

127. SCROPHULARIA.

Calyx quinquefidus, laciniis rotundatis: corolla resupinata, tubo subgloboso; limbo quinquepartito, minimo, lacinia media ad tubum reflexa: capsula bilocularis.

1. SCROPHULARIA *Scorodonia*.

S. Foliis cordatis, duplicato-serratis: racemo composito, foliis interstincto. *Linn.*

Hab. ad sepes, et in umbrosis frequens circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Fl. æstate. Peren.

Scroph-betonicæfolia *Linn. hujus varietas esse videtur.*

2. SCROPHULARIA *auriculata*.

S. Foliis cordatis, subtus tomentosis, basi appendiculatis: racemis terminalibus. *Linn.*

Hab. ad rivos. Flor. æstate. Peren.

Caule glabro, et foliorum auriculis differt á subsequenti; an solum varietas? Folia sunt duplicato-crenata, et subtus glabra in nostra.

3. SCROPHULARIA *aquatica*.

S. Foliis cordatis, petiolatis, decurrentibus, obtusis: caule membranis angulato: racemis terminalibus. *Linn.*

Lusit. *Herva das escaldadellas*, ou *Escrofularia*,

Hab. ad rivulos et in locis humidis, circa Conimbricam et alibi in Beira et Extremadura. Fl. æstate. Peren.

4. SCROPHULARIA *frutescens*. Linn.

S. Foliis obovatis, lanceolatisve, subcarnosis, glabris,

bris, serratis, basi attenuata subdecursiva, apice leviter reflexo.

Hab. in arenosis maritimis prope *Setubal*; trans Tagum in *Trafaria*; ad *Boarcos*, *Porto*, &c. Flor. vere. Suffrutex.

Caulis tetragonus, angulis ex basi foliorum subdecurrente efformatis, superne ramulosus, inferne interdum ramosior, parum tamen in varietate maritima. Folia sessilia, obovato-cuneata, serrata, glabra, lucida, subcarnosa, inferne opposita, superne aliqua alterna, et sublanceolata in varietate maritima. Racemi plures, axillares, ad apicem caulis et ramorum subpaniculati, bracteati, bracteis lanceolatis, integerrimis. Pedunculus communis, semel, rarius bis, bipartitus; partiales bracteis et flore minores; flores nutantes, primi in bifurcatione, alii alterni. Calyx quinquepartitus, laciniis rotundatis, albido-scariosis. Corolla parva, atropurpurea, laciniis lateralibus albidis, lacinia infima minuta, sub suprema intus ligula minima, linearis, obtusa. Antheræ atro-purpureæ, polline fulvo.

Longe ab arenis maritimis variat foliis lanceolatis, duplicato-serratis, interdum incisis, aut lacinulatis; quasi media inter sequentem.

5. SCROPHULARIA *pinnatifida.*

S. Foliis pinnatifidis, aut multipartitis, supremis lanceolatis, omnibus inæqualiter serratis, glabris: caule remisque quadrangulis, apice racemiferis. *Broter.*

Hab. in arenosis soloque macro, ad Mundam et alibi in Beira. Flor. vere. Suffrutex.

Nimis affinis Scr..caninæ; *sed folia non verè pinnata, nec flores sessiles: varietatem præcedentis esse facile crederem; cum semina S.*-frutescentis maitimæ, *in Horto Conimbricensi cultæ, in eodem hor-*

horto sata, individua intermedia foliis subpinnatifidis, omnique reliquo habitu eidem Scr.-frutescenti *similia, produxerint.*

128. SIBTHORPIA.

Calyx quinquepartitus, turbinatus: corolla quinquepartita, æqualis, patens, tubo brevissimo: staminum paria remota: stigma capitatum: capsula orbicularis, compressa, bivalvis, bilocularis, apice dehiscens: semina pauca.

1. SIBTHORPIA *Europæa.*
S. Foliis reniformibus, subpeltatis, crenatis. *Linn.*
Hab. in umbrosis humidis uliginosisque, *Cintra*, circa Conimbricam, et alibi in Beira, Interamnia, et Transmontana. Flor. æstate. Peren.

129. VITEX.

Calyx brevis, quinquedentatus; corollæ limbus planus, subbilabiatus; stigmata duo; drupa baccata, tenuis; putamen quadriloculare; semina in singulo loculo solitaria.

1. VITEX *Agnus-Castus.*
V. Foliis digitatis, serratis; spicis verticillatis. *Linn.*
Lusit. *Agno-Casto, Arvore da castidade, ou Pimenteiro sylvestre.*

* Colitur in hortis, et crescit quasi spontanea in paludosis nonnullis Transmontanæ. Fl. vere. Arbor. *Flores purpurei aut albi. Folia lata aut angusta.*

SECTIO II. DICLINA.

130. PARIETARIA.

Polygama Monoica. Involucrum polyphyllum, pauciflorum; flosculo uno fœmineo, cæteris hermaphroditicis: perianthium monophyllum, quadrifidum: corolla nulla.

Hermaph. filamenta, in anthesi, perianthio longiora: semen unum, superum, ovatum, perianthio elongato, campanulato, connivente, clausum.

Fœm. perianthium involvens semen tenuius.

1. PARIETARIA *officinalis.*
P. Foliis lanceolato-ovatis: pedunculis dichotomis: calycibus diphyllis. *Linn.*
Lusit. *Parietaria, ou Alfavaca de cobra.*
Hab. ad sepes, in muris, ruderatis, frequens in tota Lusitania. Flor. vere et æstate. Peren.
Variat foliis latioribus, glabrioribus; caulibus inferne purpurascentibus, aut omnino virentibus.

2. PARIETARIA *Lusitanica.*
P. Foliis ovatis, obtusis: caulibus filiformibus, striatis, lævibus, procumbentibus. *Linn.*
Hab. in umbrosis erectioribus Interamniæ et Transmon-

montanæ ; etiam in mœnibus *Lamego*, et alibi in Beira boreali. Flor. vere. Ann. ?

Varietas Par.-officinalis *esse videtur.*

131. URTICA.

Monoica aut Dioica : calyx tetraphyllus : corolla nulla.

Masc. perianthium foliolis æqualibus, subrotundis : nectarium in centro floris cyathiforme.

Fœm. perianthium foliolis duobus oppositis, minutissimis : stigma villosum : semen unum, nitidum, calyce tectum.

1. URTICA *Lusitanica.*

U. Foliis ovatis, subcordatisve, oppositis : amentis utrinque geminis, simplicissimis, longis : stipulis ovatis, apice bifidis. *Broter.*

Lusit. *Urtiga menor caudata.*

Hab. ad sepes, in subumbrosis, et hortis frequens. Flor. vere. Ann.

An U.-caudata *D. Vahl. Symb. Bot. Fasc.* 2. *p.* 96. ?

Radix subramoso-fibrosa, annua. Caulis obtuse quadrangulus, quadrisulcatus, setis urentibus hispidus, pedalis, sesquipedalisque. Folia opposita, ovata, aliqua subcordata, omnia serrata, stimulis urentia, petiolis canaliculatis valde longiora. Flores amentacei dioici, rarissime monoici; amenta laterifolia, utrinque duo, petiolata, petiolis semiuncialibus, canaliculatis; mascula patentissima, simplicissima, linearia, duas ad quatuor uncias longa,

ga, inferne nuda et inermia, marginibus membranaceis, superne florifera; fœminea erecto-patula, cylindracea, apice recurva, sesquiuncialia, biuncialia et ultra. Stipulæ laterifoliæ, ovatæ, solitariæ, apice bifido. Calyx et reliqua ut in U.-urenti: *antheræ maturæ elasticè pollen jaculantes: calyx fœminarum certe tetraphyllus, duobus foliolis triplo minoribus. Forte U.*-urentis *filia, cui potius adfinis, quàm U.*-dioicæ.

2. URTICA *urens*. Linn.

U. Foliis ovatis; stipulis acutis, integerrimis, minutis, utrinque binis, reflexis: amentis simplicissimis, breviter pedunculatis.

Lusit. *Urtiga menor.*

Hab. cum præcedenti, sed rarior. Flor. vere et æstate. Ann.

Planta monoica semper est.

3. URTICA *dioica*. Linn.

U. Foliis oppositis, cordatis; stipulis lineari-lanceolatis, patentibus, utrinque binis: amentis masculis geminis, ramosis.

Lusit. *Urtiga maior*, ou *Urtigão.*

Hab. in umbrosis humidiusculis in Beira. Flor. vere et æstate. Peren.

Planta semper dioica. Folia saturate viridia, subcordata, sive interdum ovata, serrata.

132. VALANTIA.

Polygama Monoica: calyx vix ullus: corolla tri-quadripartita.

Hermaph. corolla quadripartita: stylus bifidus: semen unicum.

Masc. corolla tri-quadripartita: stamina interdum tria.

1. VALANTIA *Aparine.*
V. Flosculis masculis trifidis, pedicellatis, hermaphroditi pedunculo insidentibus. *Linn.*
Lusit. *Herva confeiteira.*
Hab. in calcareis inter segetes, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. vere. Ann.

2. VALANTIA *cruciata.*
V. Floribus masculis quadrifidis: pedunculis diphyllis. *Linn.*
Hab. in umbrosis subhumidis, circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Maj. et Jun. Peren.

3. VALANTIA *muralis.*
V. Floribus masculis trifidis; germini hermaphroditi glabro insidentibus. *Linn.*
Hab. in solo macro, ad aggeres, muros, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Fl. vere. Ann.

ORDO II.

DISTYLIA.

133. CUSCUTA.

Calyx quadri-quinquefidus: corolla monopetala, quadri-quinquefida: nectarium é squamis quatuor ad basin staminum corollæ adnatis: capsula bilocularis, circumscissa: semina solitaria.

1. CUSCUTA *Europæa.*
   C. Floribus sessilibus, quadrifidis quinquefidisque. *Linn.*
   Hab. in dumetis, agris, segetibus, parasitica *Ulicis* et aliorum vegetabilium. Flor. vere et æstate. Ann.

Corollæ plurimæ quinquefidæ; sed in glomerulo eodem fere semper nonnullæ quadrifidæ. C.-Epithymum hujus varietatem esse cum Linnæo credimus.

2. CUSCUTA *scandens.*
   C. Trunco aphyllo, filiformi, scandenti; glomerulis paucifloris, pedunculatis. *Broter.*
   Hab. in umbrosis humidis, Lupulos alte scandens, non longe a *Ponte Agoa de Mayas* prope Conimbricam. Flor. Augusto. Ann. *Vidi siccam.*

134. HYPECOUM.

Calyx minimus, diphyllus: corolla tetrapetala, petalis duobus latioribus, trifidis: siliqna articulata, articulis monospermis.

1. HYPECOUM *procumbens.*
H. Siliquis arcuatis, compressis, articulatis. *Linn.*
Hab. in Algarbiis, et ad Durium circa *Porto* inter segetes. Flor. æstate. Ann.
Variat foliorum laciniis latioribus: caule breviori, semipalmari.

135. MORUS.

Monoica: flores masculi et fœminei in amentis distinctis, ovatis, dense spicati, sessiles: perianthium quadripartitum: corolla nulla.
Masc. filamenta calyce longiora.
Fœm. germen unum: styli duo: semen unum, calyce baccato tectum.

1. MORUS *alba.*
M. Foliis oblique cordatis, lævibus. *Linn.*
Lusit. *Amoreira branca.*
* Colitur maxime in Beira boreali, et Transmontana. Flor. vere. Arb. procera.
2. MORUS *nigra.*
M. Foliis cordatis, scabris. *Linn.*
Lusit. *Amoreira negra.*

 * Co-

* Colitur in pomariis, præsertim in Lusitania australiori. Flor. vere. Arb. procera.

136. ALNUS.

Monoica: flores masculi et fœminei in distinctis amentis cylindraceis; squamis imbricatis.

Masc. calycis communis squama subpeltata, quinata, squamula media maiori: corollæ tres, profunde quadripartitæ, laciniis ovatis.

Fœm. calyx trisquamosus, squamula media maiori: corolla nulla: germina duo.

1. ALNUS *glutinosa.* Gærtner.
   A. Foliis ovato-subrotundis, serratis.
   Lusit. *Amieiro.*
   Betula-*Alnus. Linn.*
   Hab. ad fluviorum ripas, inque paludosis in Beira, Interamnia, et Transmontana. Flor. primo vere. Arb. procera.

137.

137. MYRICA.

Dioica: flores masculi et fœminei in distinctis amentis ovato-oblongis, mediocribus; squamis imbricatis, unifloris, lunatis, in fœmineis minoribus: corolla nulla.

Masc. antheræ plerumque quatuor, didymæ, lobis bifidis.

Fœm. bacca ovalis aut globosa, unilocularis: semen unum.

1. MYRICA *Faya.*

M. Foliis elliptico-lanceolatis, subserratis: amentis masculis compositis: drupæ nucleo quadriloculari: caule arborescente. *Aiton Hort. Kew.* 3. *p.* 397.

Lusit. *Samôco*, ou *Faya das Ilhas.*

Hab. quasi spontanea in pineto regio circa *Leiria*, *Cintra*, &c. ex Insula *Fayal*, et aliis Azoricis advecta. Flor. Mart. et Apr. Arb. ad viginti pedes alta in Lusitania.

2. MYRICA *Gale.* Linn.

M. Foliis lanceolatis, subserratis: caule fruticoso.

Hab. in paludosis prope *S. Martinho.* Flor. vere. Frutex.

ORDO III.

TRISTYLIA.

138. BUXUS.

Monoic. : flores masculi et fœminei ex eadem gemma prodeuntes.

Masc. perianthium triphyllum: corolla dipetala.

Fœm. perianthium tetraphyllum: corolla tripetala : capsula subrotunda, tri-rostris, trilocularis, hexasperma.

1. BUXUS *sempervirens.*

B. Floribus monoicis. *Linn.*

Lusit. *Buxo arboreo.*

Hab. ad rivulos inter *Figueiró* et *Thomar.* Flor. Jan. usque ad Mart. Arb.

Obs. Varietas arborescens, *etsi frequenter culta, re verâ Beiræ australis indigena est : at varietas* suffruticosa *seu* nana, *quam Lusitani* Buxo anão ou de Hollanda *vocant, et in viridariis suis frequentissime colunt, certè Lusitaniæ non indigena, fortèque olim ex cultura provénit. In utraque folia interdum variegata.*

OR-

ORDO IV.

TETRASTYLIA.

139. ILEX.

Calyx quadridentatus, minimus, persistens: corolla rotata, quadripartita: stylus nullus; stigmata quatuor: bacca subrotunda, quadrilocularis, tetrasperma. Interdum flores polygami monoici, aut dioici.

1. ILEX *Aquifolium.*
   I. Foliis ovatis, acutis, spinosis, petiolatis: floribus axillaribus, subumbellatis. *Linn.*
   Lusit. *Azevinho.*
   Hab. in montosis *Gerez*, Herminii, et alibi in Beira, Duriminia et Transmontana. Flor. vere. Arb.
   Varietas foliis maculatis colitur.

140. SAGINA.

Calyx tetraphyllus: corolla tetrapetala: capsula unilocularis, quadrivalvis, polysperma.

1. SAGINA *procumbens.*
   S. Ramis procumbentibus. *Linn.*
   Hab. in pascuis sterilibus, murisque frequens. Flor. æstate. Ann.

Cap-

*Capsula ad maturitatem nutat; excussis seminibus, erigitur. Variat floribus apetalis, quæ S.-*apetala *Linn. est, a S.-*procumbente, *exceptis petalis deficientibus, nil differens.*

2. SAGINA *erecta.*
   S. Caule erecto, subunifloro. *Linn.*
   Hab. in dumetis glareosis, circa Conimbricam, et alibi freq. Flor. Febr. usque ad Mart. Ann.

141. RUPPIA.

Perianthium nullum: corolla nulla: semina quatuor stipitata, et stigmate plano orbiculato terminata.

1. RUPPIA *maritima.*
   R. Foliis gramineis: floribus umbellatis.
   Hab. ad aquas salinas fontis de *Rio Maior.* Flor. æstate. Ann.

142. POTAMOGETON.

Calyx nullus: corolla tetrapetala: stigmata qnatuor, sessilia: semina quatuor, sessilia, acuminata.

1. POTAMOGETON *natans.*
   P. Foliis oblongo-ovatis, petiolatis, natantibus. *Linn.*
   Hab. in stagnis et aquis lente fluentibus, circa Conimbricam ad Mundam usque ad *Figueira*, et alibi frequens. Flor. æstate. Peren.
2. POTAMOGETON *perfoliatum.*
   P. Foliis cordatis, amplexicaulibus. *Linn.*

Hab.

Hab. in aquis stagnantibus prope *Figueira*, *Lavos*, et alibi. Flor. æstate. Peren.

3. POTAMOGETON *densum.*

P. Foliis ovatis, acuminatis, oppositis, confertis: caulibus dichotomis: spica quadriflora. *Linn.*

Hab. in stagno ad *Quinta das Lagrimas* prope Conimbricam. Flor. vere et æstate. Peren.

Pedunculi axillares, biflori, rarissimi tri-quadriflori, floribus terminalibus, oppositis: folia opposita, sessilia, basibus alterne contiguis, subamplexicaulia, approximata, exstipulata, exceptis illis, è quorum axillis pedunculi ramique exoriuntur, quæ sunt sæpius bistipulata, stipulis membranaceis, obtusis.

4. POTAMOGETON *crispum.*

P. Foliis lanceolatis, alternis, oppositisve, undulatis, serratis. *Linn.*

Hab. in fossis, aut aquis stagnantibus ad Mundam usque *Figueira*, et alibi. Flor. Maj. et Jun. Per.

5. POTAMOGETON *marinum.*

P. Foliis linearibus, alternis, distinctis, inferne vaginantibus. *Linn.*

Hab. ad maris littora prope *Setubal.* Flor. æstate. Ann.

ORDO V.
POLYSTYLIA.

143. CUPRESSUS.

Monoica: flores masculi et fœminei in distinctis amentis: corolla nulla.

Masc. amentum ovatum; squamis plurimis in singulo, subrotundis, oppositis: antheræ quatuor in superficie squamarum interna, sessiles.

Fœm. amentum subglobosum; squamis oppositis, angulatis, peltatis, superne convexiusculis, oblique mucronatis, inferne ad pedicellum multifloris: stigma simplex, sessile.

1. CUPRESSUS *sempervirens.* Linn.
 C. Foliis imbricatis, quadrangulis: ramis appressis.
 Lusit. *Cypreste.*

* Colitur frequens prope hortorum muros, et ut viarum ornamentum. Fl. Octobri ad Decembr. Arb. procera.

2. CUPRESSUS *glauca.* La Marck.
 C. Foliis quadrifariam imbricatis, acutis: ramis patentissimis, infimis subdependentibus.
 Lusit. *Cedro de Gôa.*

Cupressus-*Lusitanica. Tournefort.*

* Colitur uti præcedens, præsertim Conimbricæ, *Bussaco*, et in Beira boreali: a *Gôa* in Lusitaniam olim evecta. Flor. autumno.

Arbor procera, ad quinquaginta pedes, et ultra, alta; citius crescens, breviori vita fruens, ac ligno minus denso, quàm præcedens.

CLAS-

CLASSIS V.

PENTANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

SECTIO I.

Simpliciflora, monoclina: antheris liberis.

* *Floribus completis, monopetalis, inferis, angiospermis* (1).

(A) *Fructu capsulari.*

144. ANAGALLIS. . . Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, quinquepartita: capsula unilocularis, globosa, circumscissa.

145. LYSIMACHIA. Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, quinquepartita: capsula globosa, unilocularis, quinque-decemvalvis (2).

146. PRIMULA. . . . Calyx tubulosus, pentagonus, quinquedentatus, persistens: corolla tubo cylin-

Ee dra-

(1) His quoque associandæ Crucianellæ quædam fructu capsulari, calyce infero, corolla supera.

(2) In quibusdam Lysimachiæ speciebus filamenta sunt basi coalita, quasi monadelphica.

draceo, longitudine calycis; fauce pervia; limbo semiquinquefido: stigma globosum: capsula teres, recta, unilocularis, apice decemdentato dehiscens.

147. MENYANTHES. Calyx quinquepartitus: corolla monopetala, limbo quinquefido: squamæ nectariferæ quinque ad basin germinis: stigma bilobum: capsula trilocularis.

148. CONVOLVULUS. Calyx quinquepartitus: corolla subinfundibuliformis, plicata, magna: nectarium glandula coroniformis, germinis basin cingens: stigmata duo, latiuscula: capsula bi-trilocularis, raro quadrilocularis; loculis mono aut sæpius dispermis.

149. DATURA. . . . Calyx tubulosus, quinquangularis, quinquedentatus, caducus, basi orbiculata persistente: corolla infundibuliformis, tubo longitudine calycis, limbo quinqueplicato, quinqueangulari, angulis dente terminatis: capsula quadrivalvis, sæpe echinata.

150. VERBASCUM. Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, limbo quinquepartito, subinæquali: filamenta sæpius basi villosa: capsula bivalvis, bilocularis.

151. HYOSCIAMUS. Calyx quinquefidus, tubulosus, basi ventricosus, persistens: corolla infundibuliformis, limbo quinquefido, laciniis obtusis, inæqualibus, unica reliquis latiore: stamina inclinata: capsula utrinque sulco exarata, bilocularis, operculata.

152. PLUMBAGO. . Calyx tubulosus, quinquedentatus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido: nectarium é squamis quinque staminiferis: stigmata quinque: capsula monosperma, basi multivalvis (ex Cl. Jussiæo, etsi aliis semen unicum nudum.)

153. GENTIANA. . Calyx quinquepartitus, persistens: corolla basi tubulosa, limbo quinquefido aut quinquepartito, raro quadrifido, figura varia: stamina sæpius quinque, rarius quatuor: stylus profunde bipartitus: capsula bivalvis, unilocularis: semina ejus parietibus, aut receptaculo in valvis marginalibus, inserta.

Crucianella.

(B) *Fructu folliculari: cor. inaperta contorta.*

154. NERIUM. . . . Calyx quinquepartitus, parvus, persistens: corolla sub-

infundibuliformis, limbo quinquepartito, laciniis obliquis, fauce appendicibus laceris coronata: stigma truncatum, orbiculo insidens: folliculi duo, erecti. Semina papposa.

155. VINCA. . . . . . Calyx quinquepartitus, persistens: corolla hypocrateriformis, fauce pentagona, nuda, limbo quinquepartito, laciniis apice oblique truncatis: stigma capitatum, orbiculo insidens: folliculi duo, erecti: semina non papposa.

(C) *Fructu baccato.*

156. CAPSICUM. . . Calyx quinquefidus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ conniventes: bacca exsucca, polymorpha: semina piperita.

157. PHYSALIS. . . . Calyx ventricosus, semiquinquefidus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ erectæ, conniventes: bacca subglobosa, bilocularis, intra calycem inflatum maximum contenta.

158. SOLANUM. . . Calyx semiquinquefidus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ conniventes, sive subcoa-

coalitæ, apice poro gemino dehiscentes: bacca subrotunda, bilocularis.

159. LYCIUM. . . . . Calyx urceolatus, quinquedentatus, brevis, persistens: corolla infundibuliformis, limbo quinquepartito: filamenta basi tumida et villosa tubum claudentia: stigma leviter bifidum: bacca subrotunda, bilocularis.

** *Floribus completis, monopetalis, inferis, pseudo-angiospermis.*

160. MIRABILIS. . . Calyx quinquepartitus, persistens: corolla infundibuliformis: nectarium externum carnosum, globosum, corollæ suppositum: semen unum nectario persistente arcte obtectum.

*** *Floribus completis, monopetalis, superis, fructu abortivo aut seminibus baccatis.* Rubia.

**** *Floribus completis, monopetalis, superis: fructu angiospermo.*

161. LONICERA. . . Calyx quinquedentatus: corolla tubulosa, longa, limbo quinquepartito, laciniis revolutis, inæqualibus: stigma capitatum: bacca umbilicata, trilocularis, polysperma.

162. SAMOLUS. . . Calyx quinquefidus, persistens: corolla hypocrateriformis, limbo quinquepartito; squamulis quinque, brevissimis, setaceis, ad basin divisionum in fauce conniventibus: capsula unilocularis, semiquinquevalvis.

163. CAMPANULA. Calyx nunc quinquepartitus; nunc decemfidus, laciniis quinque reflexis: corolla campanulata, quinquefida: nectarium sæpe in fundo corollæ é quinque squamis staminiferis constructum: stigmata tria: capsula foraminibus lateralibus emittens semina (1).

***** *Floribus completis*, *monopetalis*: *fructu gymno-tetraspermo.* Asperifoliæ.

(A) *Fauce corollæ nuda.*

164. PULMONARIA. Calyx pentagonus, quinquedentatus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, tubo longitudine calycis.

165. CERINTHE. . . Calyx quinquepartitus, persistens: corolla tubo brevi, limbo paulo crassiori, subventricoso: semina duo, ex binis composita, sive per paria coalita.

166.

(1) Nectarium é squamis quinque staminiferis nec semper existit: rarissime capsula apice dehiscit, ut in C.-*Erino.*

166. ECHIUM. . . . Calyx quinquepartitus, persistens : corolla tubo brevi, limbo ampliori, quinquefido, irregulari.

167. LITHOSPERMUM. Calyx quinquepartitus, persistens : corolla subinfundibuliformis, longitudine fere calycis, limbo quinquefido.

(B) *Fauce corollæ squamis clausa.*

168. HELIOTROPIUM. Calyx quinquedentatus : corolla hypocrateriformis, quinquefida, leviter plicata, fauce dentibus quinque interjectis clausa.

169. MYOSOTIS. . . Calyx quinquefidus, persistens : corolla hypocrateriformis, tubo brevi, limbo quinquefido, laciniis emarginatis; fauce squamulis quinque convexis, conniventibus.

170. BORAGO. . . . Calyx quinquepartitus, persistens : corolla rotata, limbo quinquepartito ; fauce prominentiis quinque emarginatis coronata.

171. CYNOGLOSSUM. Calyx quinquepartitus, persistens : corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, patentiusculo ; fauce squamulis quinque conniventibus : semina latere interiore stylo persistenti affixa.

172. ANCHUSA. . . Calyx quinquepartitus, persistens : corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, patentiusculo ; fauce squamulis quinque conniventibus : semina basi perforata.

173. SYMPHYTUM. Calyx quinquepartitus, persistens : corolla tubo brevi, limbo tubulato, ventricoso, erecto, quinquedentato ; fauce radiis quinque, limbo brevioribus, subulatis, in conum conniventibus, clausa.

174. LYCOPSIS. . . . Calyx quinquepartitus, persistens : corolla infundibuliformis, tubo incurvato, limbo quinquefido ; fauce squamulis quinque, convexis, conniventibus.

****** *Floribus completis, pentapetalis.*

175. HEDERA. . . . Flores umbellati, involucro minimo, multidentato : calyx quinquedentatus, minimus, germen cingens : corollæ petala oblonga : bacca globosa, pentasperma, calyce coronata.

176. VITIS. . . . . . Calyx quinquedentatus, minimus : corollæ petala quinque, caduca : stylus nullus ; stigma capitatum : bacca rotunda, rarius ovata aut ovalis, unilocularis, polysperma.

177. RHAMNUS. . . Calyx urceolatus, quadri-quinquefidus: cor. petala quatuor, aut quinque, minima, squamiformia, ad basin laciniarum calycis: stamina quatuor aut quinque (*): bacca tri-tetrasperma.

******* *Floribus incompletis.*

178. ILLECEBRUM. Corolla pentapetala, petalis acuminatis, persistentibus: capsula unilocularis, quinquevalvis, monosperma.

179. THESIUM. . . . Corolla quinquefida, cui stamina inserta: pericarpium nullum: semen unum corollæ fundo contentum.

* *Polygonum amphibium.*

SECTIO II.

Simpliciflora monoclina: antheris aliqua sui parte coalitis.

180. LOBELIA. . . . Calyx quinquefidus, minimus: corolla monopetala, tubo cylindraceo, superne dorso longitudinaliter divisa, limbo quinquepartito, irregulari: stigma hispidum: capsula ovata, bi-trilocularis, bi-trivalvis.

(*) In speciebus nonnullis fructificationis partium numerus quinarius sæpe prævalet.

181. VIOLA. . . . . . Calyx pentaphyllus, foliolis basi productis : corolla irregularis, pentapetala, petalo supremo calcarato : stamina appendicibus duobus nectarium intrantibus : capsula unilocularis, trivalvis.

182. IMPATIENS. . . Calyx diphyllus, deciduus : corolla pentapetala, irregularis ; nectarium calcaratum : capsula unilocularis, quinquevalvis, elastice desiliens, valvis spiraliter intortis.

* *Solanum.*

SECTIO III.

Simpliciflora diclina; staminibus liberis.

183. CERATONIA. . Flores polygami : perianthium quinquefidum : corolla nulla : filamenta sæpius quinque, rarissime sex, septem : germen, disco carnoso quinquelobo, extus staminifero, cinctum : legumen compressum, coriaceum, loculis pulposis : sem. dura, nitida.

* *Rhamnus-alaternus-lycioides.*
* *Rubia.*

SECTIO IV.

Simpliciflora diclina ; staminibus per syncretismum coalitis.

184. BRYONIA. . . . Flores monoici, in nostrâ sæpe dioici. Calyx quinquedentatus, corollæ campanulatæ, quinquepartitæ, adnatus.

Masc. Stamen unum, simplex, alia per paria composita, duobus filamentis duabusque antheris per syncretismum coalitis.

Fœm. Stylus tri-quadrifidus: bacca (peponium (1)) subglobosa, polysperma.

185. MOMORDICA. Flores monoici. Calyx monophyllus, quinquefidus, corollæ quinquepartitæ, rugosæ, adnatus.

Masc. Stamen unum, simplex, monandrum ; duo composita, seu per paria syncretismo coalita, diandra.

Fœm. Stamin. filamenta tria, castrata : stylus trifidus : bacca (s. peponium) sicca, ob-

 lon-

(1) Peponium (Pepo celeb. Gærtner) est baccæ species carnosæ, cujus loculamenta ab axi remota, et semina ejus parietibus inserta sunt. Ipsi non est capsula in centro valvulis coriaceis instructa, uti veris Pomis.

longa, elastice desiliens, trilocularis, polysperma.

186. CUCUMIS. . . Flores monoici. Calyx campanulatus, quinquedentatus: corolla quinquepartita, calyci adnata.

Masc. Filamenta, ut in Momordica.

Fœm. Stylus cylindraceus, brevissimus; stigmata tria, bipartita, extrorsum versa: bacca (s. peponium) magna, succosa, polysperma, trilocularis, non elastice desiliens: semina gemino ordine, compressa, margine acuto.

187. CUCURBITA. . Flores monoici. Calyx campanulatus, quinquedentatus: corolla quinquefida, calyci adnata.

Masc. Filamenta superne coalita; antheræ lineares, sursum deorsumque repentes.

Fœm. Stylus conicus, apice trifidus; stigma unicum, trilobum: bacca (sive peponium) magna, carnosa, polysperma; semina margine tumido, obtuso.

SECTIO V.

Compositiflora vera: antheris coalitis; fructu gymno-monospermo.

Composita: et Syngenesia *Linn.*

* *Flosculis omnibus ligulatis et hermaphroditis.*

(A) *Receptaculo nudo: seminibus non papposis.*

188. LAPSANA. . . . Calyx angulatus, simplex aut calyculatus, calyculo brevi; foliolis interioribus erectis, conniventibus, canaliculatis, semina marginalia non involventibus.

189. RHAGADIOLUS. Calyx subangulatus, calyculatus, calyculo minimo, foliolis interioribus canaliculatis, semina marginalia involventibus, demum patentissimis: semina disci sæpius abortiva, quæ pauca fertilia arcuata.

(B) *Receptaculo nudo: seminibus pappo piloso aut subsetaceo.*

190. CHONDRILLA. Calyx polyphyllus, cylindricus, calyculatus, calyculi foliolis paucis, brevibus, arcte appressis: semina scabra; pappus stipitatus, pilosus.

191. LACTUCA. . . Calyx polyphyllus, oblongus, subcylindricus aut basi subventricosus, foliolis imbricatis, inæqualibus, acuminatis, margine scariosis: pappus stipitatus, pilosus.

192. SONCHUS. . . . Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis, basi ventricosus: pappus sessilis, capillaris, mollissimus.

193. HIERACIUM. . Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis, ovato-cylindraceus: pappus sessilis, sæpe rigidiusculus.

194. CREPIS. . . . . . Calyx polyphyllus, per maturitatem torulosus, ventricosus, basi auctus foliolis in anthesi patulis, demum sæpius deciduis: pappus sessilis aut stipitatus, pilosus.

195. TOLPIS. . . . . (*Gærtner*, *La Marck.*) Calyx duplici serie polyphyllus, subæqualis, squarrosus, basi circumvallatus foliolis setaceis, sparsis, per maturitatem falcato-incurvis: radii semina, corona brevi, ciliata, simpliciter instructa; disci, pari corona insimulque setis, una, duabus, aut quatuor, terminata.

196. HYOSERIS. . . Calyx polyphyllus, basi foliolis brevibus arctis calyculatus, maturitate torosus, globosus, demum patulus: semi-

mina radii calycis foliolis involuta, apice coronâ ciliatâ obsoletâ, intra quam in centralibus pappus paleaceus, terminata.

197. TARAXACUM. Calyx polyphyllus, foliolis interioribus arctis, æqualibus; exterioribus squarrosis, inæqualibus, reflexis aut patulis; utrisque demum reverse pedunculo subappressis: pappus stipitatus, pilosus, pilis denticulatis.

(C) *Receptaculo nudo: seminibus omnibus, aut saltem centralibus, pappo plumoso instructis.*

198. LEONTODON. Calyx polyphyllus, foliolis subimbricatis, aut paucis brevibus appressis calyculatus; semina radii et disci, pappo plumoso, sessili, coronata.

199. THRINCIA. . . (*Roth.*) Calyx sæpius octangulus, rarius decangulus, polyphyllus, calyculatus, foliolis calyculi brevibus, appressis: semina radii truncata, coronâ paleaceâ multidentatâ terminata, calycisque foliolis involuta; disci pappo plumoso prædita, centralia stipitata: receptaculum subalveolosum.

200. PICRIS. . . . . . Calyx polyphyllus, breviter calyculatus, calyculi foliolis interdum laxis: semina transver-

versim striata : pappus sessilis.

201. HELMINTIA. . (*Jussieu.*) Calyx polyphyllus, calyculatus, calyculi foliolis interdum latioribus, amplis obtectus: semina transversim striata: pappus stipitatus.

202. SCORZONERA. Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, inæqualibus, margine scariosis : semina oblonga, sursum attenuata: pappus sessilis.

203. TRAGOPOGON. Calyx simplex, pyramidatus, monophyllus, laciniis æqualibus, inferne coalitis: pappus stipitatus, stipite subulato, interdum curvo.

204. GEROPOGON. . Calyx simplex, pyramidatus, polyphyllus, æqualis: pappi stipitati, in radio quinquearistati, in disco plumosi.

(D) *Receptaculo paleaceo: pappo vario, aut nullo.*

205. HYPOCHÆRIS. Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis: pappus plumosus, stipitatus, in radio interdum sessilis.

206. CICHORIUM. . Calyx sæpius octophyllus, erectus, calyculatus foliolis quinque brevioribus, incumbentibus : receptaculum subpaleaceum: semina margine denticulato coronata.

207. SCOLYMUS. . . Calyx polyphyllus, ovatus; foliolis imbricatis, acutis, rigidis, pungentibus, basi foliolis spinosis circumvallatus: receptaculum aliis convexum: semina apice penitus nudo.

(E) *Receptaculo piloso: pappo piloso.*

208. ANDRYALA. . Calyx subglobosus, simplex aut subsimplex, æqualis, polyphyllus, villoso-tomentosus: pappus sessilis, calycis longitudine (1): receptaculum subalveolatum, raris pilis instructum.

** *Flosculis omnibus tubulosis ac hermaphroditis.*

(A) *Calyx communis basi ventricosus, superne angustior: corollulæ longæ: receptaculum planum.*

Capitatæ. *Linn.* (2).

209. CINARA. . . . Calyx maximus, ventricosus, laxus, squamis numerosis, basi carnosis, apice subulato-unispinosis, aut emarginatis cum spinula: receptaculum magnum, carnosum, setosum.

(1) Secundum Cel. *Roth* in nonnullis Linnæi Andryalis receptaculum disco pilosum, radio paleaceum est; et semina radii paleis involuta, pappo nullo: paleæ, quæ paucæ, minimæ interdum in radio nostrarum occurrunt, semina non involvunt, nec ista pappo destituuntur.

(2) Foliola interna calycina, in his omnibus, rigida, spinosa, ac sæpissime pungentia.

210. CARDUUS. . . . Calyx ovatus, squamis imbricatis, exterioribus apice unispinosis: receptaculum pilosum aut setosum: pappus sessilis, pilosus, aut setoso-denticulatus.

211. CNICUS. . . . Calyx ovatus, squamis imbricatis, spinosis, interdum bracteis foliisve spinosis obvallatus: receptaculum pilosum aut setosum: pappus sessilis, plumosus.

212. CARTHAMUS. Calyx ovatus, subglobosus, foliolis imbricatis, in spinulam brevem desinentibus, exterioribus laxis, interioribus coarctatis: receptaculum pilosum: semina pappo nullo.

213. CARLINA. . . . Calyx ovatus, squamis imbricatis, exterioribus laxis, dentato-spinosis, intimis inermibus, cartilagineis, nitidis, coloratis, longis, radium corollæ mentientibus: receptaculum paleaceum, paleis apice multifidis: semina subglabra, aut villosa, pappo plumoso, radiis ramosis, basi coalitis.

214. CIRSELLIUM. . (*Gærtner.*) Calyx bracteis et foliis spinosis circumvallatus, ovatus, squamis arcte imbricatis; exterioribus arachnoidibus; internis glabris, cartilagineis, omnibus apice rigido, acuminato, colorato,

to, brevibus, nec radium mentientibus: receptaculum setaceo-paleaceum, paleis apice multifidis: semina lanâ, ipsis longiore, undique tecta: pappus plumosus, radiis simplicibus aut ramosis, basi coalitis (1).

215. ONOPORDON. Calyx magnus, ventricosus, squamis imbricatis, apice unispinosis: receptaculum favosum, paleis brevibus, in latos alveolos coadunatis: semina glabra: pappus pilosus, radiis basi coalitis.

216. ARCTIUM. . . Calyx subglobosus, squamis imbricatis, subulatis, rigidis, apice hamatis: receptaculum setaceum: pappus setaceus, radiis denticulatis, semine valde brevioribus.

(B) *Calyx communis aut subcylindricus aut hemisphæricus, squamis inermibus, apice mollibus: corollæ breves: receptaculum planum, aut rarissime convexiusculum.*

Discoideæ. *Linn.*

217. SERRATULA. Calyx subcylindricus, oblongus, squamis arcte imbricatis, erectis, lanceolatis: receptaculum setosum, aut brevissime subpaleaceum: pappus pilosus.

(1) Genus affine præcedenti (*Atractylis*. Linn.)

218. EUPATORIUM. Calyx oblongus, subcylindricus, squamis inæqualibus, imbricatis, pauciflorus: stylus longissimus, ad stamina usque bifidus: receptaculum nudum: pappus subplumosus, aut capillaris.

219. BIDENS. . . . . Calyx simplici fere serie polyphyllus, foliolis erectis, subæqualibus, sæpius bracteis obvallatus: corolla interdum uno alterove flosculo radiali instructa: receptaculum paleaceum: semina aristis duabus ad quinque, rectis, scabris, terminata.

220. SANTOLINA. . Calyx hemisphæricus, squamis inæqualibus, arcte imbricatis: receptaculum paleaceum: pappus nullus.

* *Gnaphalia aliquot.*

(C) *Calyx communis vix ullus, nisi setæ reflexæ: flosculi perianthio partiali: receptaculum globosum.*

Segregatæ. *Linn.*

221. ECHINOPS. . . Perianthium commune setæ seu squamulæ minimæ, subulatæ, totaliter ad pedunculi apicem reflexæ; partiale uniflorum, inferum, basi multisetosum, polyphyllum, foliolis quinquefariam imbricatis,

tis, ciliatis, carinatis, pungentibus: semen villosum, pentagonum, ciliis brevissimis coronatum, calyce tectum: receptaculum globosum, in anthesi setosum, in maturitate scabrum, nudum, setis basi calycum adhærentibus, simulque cum illis secedentibus.

*** *Flosculis omnibus fertilibus, tubulosis, aut subtubulosis, ligulis minimis vix ullis; hermaphroditis in disco, fœmineis sæpius in radio.*

222. TANACETUM. Calyx hemisphæricus, squamis appressis, imbricatis: corollulæ radii paucæ, tridentatæ (1): receptaculum convexum, nudum: semina pappo destituta, ejusque loco margo seu coronula minima, membranacea.

223. ARTEMISIA. . Calyx subovatus, squamis appressis, imbricatis: corollulæ radii pauciores, subulatæ, edentulæ, aut fere nullæ: receptaculum planum, nudum: semina pappo destituta.

224. ABSINTHIUM. Calyx subglobosus, squamis obtusis, appressis, imbricatis:

(1) Interdum corollulæ omnes tubulosæ, quinquedentatæ, tuncque flosculi omnes hermaphroditi. Genus nimis adfine *Artemisiis*; in his tamen flores racemosi aut paniculati, in *Tanacetis* autem corymbosi.

tis : flosculi radii corollulis subulatis, edentulis : receptaculum villosum : semina pappo destituta.

225. CONYZA. . . . Calyx oblongus, ovato-cylindricus, squamis acuminatis, imbricatis : corollulæ radii filiformes, tridentatæ : receptaculum nudum : pappus pilosus.

226. ERIGERON. . . Calyx oblongus, subcylindricus, polyphyllus, foliolis imbricatis, angustis : corollulæ radii numerosæ, tubo longo, ligula lineari, bifida, angustissima, brevissima, subnulla, terminato : receptaculum planum : pappus pilosus.

227. GNAPHALIUM. Calyx squamis imbricatis, obtusis, marginalibus rotundatis, concavis, scariosis, coloratis : flosculi fœminei (1) hermaphroditis mixti, corollulis edentulis, vix manifestis aut nullis : receptaculum nudum : pappus plerumque plumosus, raro pilosus.

228. FILAGO. . . . . Calyx squamis imbricatis, acutis, exterioribus tomentosis aut lanatis : flosculi fœminei limbo bifido inter squamas calycis, alii interdum hermaphroditis immixti ; in her-

(1) Gnaphalium-*orientale* et *Stoechas* flosculis omnibus hermaphroditis interdum prædita sunt.

hermaphroditis corollulæ (1) fere omnes quadridentatæ, tetrantheræ: receptaculum planum, nudum: pappus pilosus, aut in marginalibus fæmineis nullus.

229. EVAX. . . . . . Calyx subglobosus, squamis imbricatis, oblongis, appressis, acuminatis: flosculi disci fere omnes corollulis quadridentatis, tetrantheris; radiales numerosi, brevissimi, edentuli: receptaculum subulatum, paleaceum: semina fœmineis pappo nullo.

230. ANACYCLUS. . Calyx hemisphæricus, squamis imbricatis, acutis: receptaculum conicum, paleaceum, paleis obtusis cum acumine: semina disci angustiora, compressa; radii lateribus alata, apice emarginata, hincque denticulata: pappus utrisque nullus (2).

231. XERANTHEMUM. Calyx squamis imbricatis, scariosis, interioribus disco longioribus, membranaceis, nitidis, coloratis, radium effingentibus: receptacu-

(1) In flosculis hermaphroditis germen sæpius abortit, non quia ipsum imperfectum sit, uti a plurimis recentioribus creditur, sed quia illud a larvis insectorum sæpius infestatur, quod nostra autopsia, uti in *Salicibus*, millies confirmatum est. Hoc genus tamen nimis Gnaphalio affine, et ambo conjungere non incongruum esset.

(2) Genus bifrons; nam accedente radio *Anthemis* est, sicut *Anthemis*, radio deficiente, *Anacyclus*: unde *Anacyclus-Valentinus*, *Anthemis-Valentina*, *Anacyclus-aureus*, *Anthemis-aurea*.

culum planum, paleaceum: pappus quinquesetaceus.

Senecio-vulgaris.

**** *Flosculis omnibus tubulosis; hermaphroditis fertilibus in disco, fœmineis sterilibus seu neutris maioribus in radio.*

232. CENTAUREA. Calyx ventricoso-ovatus, squamis imbricatis, varie terminatis: corollulæ radii irregulares, longiores, infundibuliformes: receptaculum setaceum: pappus sæpius plumosus, interdum capillaris.

***** *Flosculis omnibus tubulosis; hermaphroditis sterilibus in disco, fœmineis fertilibus in radio.*

233. MICROPUS. . . Calyx sæpius pentaphyllus, foliolis galeatis, dorso innocue spinosis, lanatis, marginibus compressis, conniventibus, semina involventibus; ad basin squamis minimis obsolete calyculatus: flosculi disci quinquedentati, radii apetali: receptaculum nudum: semina compressa, pappo nullo.

234. HIPPIA. . . . . Calyx fere hemisphæricus, simplex, undeca sive dodecaphyllus, foliolis subæqualibus, flosculorum longitudine:

ne : flosculi fœminei in radio et disco plurimi, fertiles; hermaphroditi pauci in disci centro, omnes lanugine arachnoidea involuti: receptaculum nudum: semina compressa, cuneata, marginata: pappus nullus.

****** *Flosculis tubulosis hermaphroditis fertilibus in disco; ligulatis fertilibus fœmineis in radio.*

Polygamia superflua *Linn.*

(A) *Receptaculo nudo.*

235. BELLIS. . . . . Calyx hemisphæricus, duplici aut subsimplici serie polyphyllus, æqualis: corollulæ fœmineæ angustæ, lanceolatæ, vix tridentatæ: receptaculum conicum: semina compressa, pappo nullo.

236. MATRICARIA. Calyx hemisphæricus, polyphyllus, foliolis subæqualibus, paucorum ordinum imbricatis, linearibus (1), acutiusculis: receptaculum conicum: pappus nullus.

237. CRYSANTHEMUM. Calyx hemisphæricus, polyphyllus, squamis plurium ordinum imbricatis; interioribus margine et apice mem-

(1) Hoc genus á præcedenti differt calyce imbricato, et a subsequenti squamis calycis non scariosis; sed differentia ista sane levis et interdum æquivoca est; unde non equidem improprium *Matricariis Chrysanthema* subjungere, uti Cl. La Marck et alii sentiunt.

membranaceis, obtusis: receptaculum convexum: pappus nullus; interdum ejus loco coronula membranacea, sæpius denticulata.

238. SOLIDAGO. . . Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, appressis: corollulæ radii lineari-lanceolatæ, paucæ, quinque ad decem raro duodecim, inter se remotiusculæ: receptaculum planum: pappus pilosus.

239. INULA. . . . . . Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, subsquarrosis, inferioribus sæpius patulis: antheræ basi interdum bisetæ (1): corollulæ radii numerosæ, constanter luteæ, receptaculum planum: pappus pilosus.

240. ASTER. . . . . . Calyx polyphyllus, squamis imbricatis, subsquarrosis, inferioribus patulis: corollulæ radii numerosæ, sublanceolatæ, violaceæ, purpurascentes aut albidæ: receptaculum planum: pappus pilosus.

241. DORONICUM. Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici aut duplici serie erectis: receptaculum planum: semina radii

(1) Nota characteristica Linneana ex antheris bisetis in nonnullis speciebus fallax est, immo etiam aliquibus aliorum generum hujus Sectionis etiam convenit. *Inula* ab *Astere* re vera non bene destinguitur, nisi solo radii colore, qui sane, cum constans, pro nota characteristica assumi debet.

dii nuda, disci pappo piloso instructa.

242. ARNICA. . . . . Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici aut duplici serie erectis: corollulæ radii filamentis quinque castratis: receptaculum planum: semina radii et disci pappo piloso instructa.

243. CINERARIA. . Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici serie erectis: receptaculum planum: pappus pilosus.

244. SENECIO. . . . Calyx subcylindricus sive conicus, polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici serie arcte erectis, basi calyculatus squamulis brevissimis, apice plerunque emortuis sive nigrescentibus: receptaculum planum: pappus capillaris.

245. TUSSILAGO. . Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, submembranaceis, simplici serie erectis, per maturitatem inferne tumidus, demum reflexus: corollulæ radii lineares, edentulæ: receptaculum planum: pappus sessilis, capillaris.

246. TAGETES. . . . Calyx monophyllus, tubulosus, torulosus, dentatus, dentibus torulorum numero respondentibus: corollulæ radii late ovatæ: receptaculum planum: semina oblonga: pappus quinquearistatus.

(B) *Receptaculo paleaceo.*

247. ANTHEMIS. . . Calyx hemisphæricus, polyphyllus, squamis imbricatis, subæqualibus, margine et apice submembranaceis: receptaculum subconvexum: pappus nullus, ejus loco interdum coronula membranacea, edentula.

248. BUPHTALMUM. Calyx polyphyllus, squamis duplici aut triplici serie imbricatis, nunc subæqualibus et radio brevioribus, nunc extimis longioribus radiumque superantibus: stigma in hermaphroditis crassiusculum, indivisum: seminum latera, præsertim radii, marginata: pappus nullus, ejus loco coronula dentata, aut profunde partita: receptaculum planiusculum.

249. ACHILLEA. . . Calyx ovatus, polyphyllus, squamis imbricatis, angustis, appressis: flosculi radii breves, pauci, quinque ad decem: receptaculum planum: pappus nullus.

******* *Flosculis tubulosis hermaphroditis fertilibus in disco; ligulatis fœmineis sive neutris sterilibus in radio.*

250. HELIANTHUS. Calyx magnus, polyphyllus, squa-

squamis imbricatis, squarrosis, apice reflexo-patulis: semina apice bipaleacea, paleis acuminatis, deciduis: receptaculum planiusculum, amplum, paleaceum.

******* *Flosculis tubulosis masculis aut hermaphroditis fere omnibus sterilibus in disco; ligulatis fœmineis fere omnibus fertilibus in radio.*

251. CALENDULA. . Calyx simplici serie polyphyllus, foliolis æqualibus: semina disci pauca, fertilia, marginata, interdum cymbiformia; radii diversa, longiora, curva, sæpius muricata aut scabra: receptaculum nudum: pappus nullus.

252. ARCTOTIS. . . Calyx hemisphæricus, polyphyllus, foliolis imbricatis, inferioribus laxioribus, intimis apice scariosis: receptaculum paleaceum aut villosum: semina, calyculo brevi, paleaceo, coronata.

SECTIO VI.

Compositifloræ spuriæ: antheris coalitis: fructu angiospermo.

253. JASIONE. . . . Perianthium commune (seu potius involucrum) polyphyllum, foliolis decem ad duode-

decim, includens, supra receptaculum nudum, flosculos plurimos pedicellatos: perianthium proprium superum, dentibus quinque subulatis: corolla profunde quinquepartita: capsula pentagona, superne amplo foramine dehiscens, calyce proprio coronata, subbilocularis, dissepimento verticaliter ad axem partito.

ORDO II.

DISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Floribus incompletis: germine supero.*

254. SALSOLA. . . . Calyx quinquepartitus: corolla nulla: semen unicum, calyce connivente tectum; integumentum molle, membranaceum; embryo cochleatus.

255. CHENOPODIUM. Calyx quinquepartitus, quinquecostatus: corolla nulla: semen unicum lenticulare, horisontale, superum, calyce connivente tectum; integumentum duriusculum, fragile; embryo annularis.

256. BETA. . . . . . . Calyx quinquepartitus, quinquecostatus, maturo semine connivens: corolla nulla: germen

men semiinferum: semen horisontale, reniforme, basi calycis capsulari involutum.

257. HERNIARIA. . Calyx quinquepartitus: corolla nulla: filamenta decem, quorum quinque sterilia; capsula monosperma, calyce tecta, vix dehiscens.

258. ULMUS. . . . . Calyx turbinatus, quinquedentatus: corolla nulla: bacca exsucca, compressa, membranaceo-alata, unilocularis, monosperma: semen sublentiforme.

Polygonum-amphibium-angustifolium;
Polygonum-Hydropiper-Persicaria.
Scleranthus-annuus.
Quercus-aliquot species; *ex* Linn.

** *Floribus completis: corolla monopetala: germine supero.*

259. CYNANCHUM. Corolla inaperta contorta: nectarium cylindricum, plicato-angulatum, denticulatum: pericarpia folliculi duo: receptaculum liberum: semina papposa.

260. ASCLEPIAS. . . Corolla inaperta contorta: nectaria quinque, ovata, cucullata, corniculum exserentia: pericarpia folliculi duo: receptaculum liberum: semina papposa.

Flo-

*** *Floribus completis: corolla pentapetala: germine supero.*

261. VELEZIA. . . . Calyx tubulosus, filiformis, quinquedentatus: petala unguiculata, parva: capsula unilocularis, cylindrica, quadridentata: semina plurima, receptaculo setaceo, libero, affixa.

Rhamnus-Zizyphus-Lotus.

**** *Floribus completis, aut subcompletis: perianthio supero, quinquedentato, aut integro obsoleto: corolla pentapetala: germine infero: fructu longitudinaliter bipartibili, dispermo.*

Umbellatæ (1).

(A) *Involucro universali et partiali.*

262. HYDROCOTYLE. Umbella simplex, pedicellata, plerunque é centro prolifera, seu floribus quasi verticillato-spicatis: involucrum di-tetraphyllum: calyx proprius obsoletus: petala integra, patentia: fructus orbiculato-compressus, glaber.

207.

(1) Etsi aliqua Umbellatarum genera floribus nonnullis abortivis, ob stigmatis defectum, seu aliarum pistilli partium pravam conformationem, prædita sint, et ideo diclina in strictiori sensu videantur; attamen cum ipsorum flores, in anthesi, nimis ambigui et cum veris hermaphroditis facile confundantur, Ordinem hunc maxime naturalem in Sectiones duas lacerare non æquum esse duxi.

263. ERYNGIUM. . Umbella simplex, multiflora, capituliformis : involucrum polyphyllum : perianthium proprium longe quinquedentatum : receptaculum commune paleaceum, conicum : fructus subovatus (1).

264. OENANTHE. . Umbella universalis pauciradiata ; partialis subglobosa, radiis brevissimis, congestis : involucrum universale oligophyllum aut subnullum ; partiale polyphyllum : calyx quinquedentatus : petala inæqualia : fructus oblongus aut subovatus, striatus, calyce stylisque coronatus.

265. CUMINUM. . . Utraque involucra sæpius tetraphylla, foliolis simplicibus et trifidis : umbellulæ quatuor : calyx obsoletus : petala inflexo-emarginata, subæqualia : fructus ellipticus, striatus, scabriusculus.

266. SISON. . . . . . Utraque involucra paucifolia : umbella pauciradiata, plana : calyx obsoletus : petala lanceolata, aut cordata, inflexa : fructus ovatus, striatus.

267. ANGELICA. . . Involucrum universale paucifolium : umbellulæ globosæ : calyx subquinquedentatus : pe-

(1) Hydrocotyle et Eryngium ob umbellas simplices ad Umbellatas imperfectas referri debent : reliqua genera umbellis gaudent universalibus partialibusque, ideo Umbellatæ perfectæ.

petala lanceolata, incurva, æqualia: styli reflexi: fructus subrotundus, angulatus: semina alis marginalibus duris.

268. LASERPITIUM. Involucra utraque polyphylla: umbellæ utræque multiradiatæ: calyx obsolete denticulatus: petala inflexo-emarginata, patentia: fructus oblongus; angulis octo membranaceis.

269. LIGUSTICUM. Umbellæ utræque multiradiatæ: calyx vix quinquedentatus: corollæ æquales; petalis involutis, integris: fructus oblongus, seminibus quinquecostatis, quadrisulcis.

270. HERACLEUM. Involucrum caducum: petala inflexo-emarginata, in disco æqualia, in radio inæqualia, externa bifida: fructus ellipticus, compressus, apice emarginatus: semina dorso quadristriata, marginibus alato-membranacea.

271. FERULA. . . . Umbellæ utræque multiradiatæ, subglobosæ: involucrum caducum; partiale polyphyllum, breve: calyx obsoletus: petala oblonga, subæqualia, lutea: fructus ovalis, compresso-planiusculus; seminibus dorso trilineatis.

272. PEUCEDANUM. Involucrum utrunque polyphyllum, breve: calyx minimus, quinquedentatus: petala oblon-

oblonga, incurva, æqualia, lutea: fructus ovalis, compressus, ala brevi cinctus, utrinque striatus.

273. CACHRYS. . . . Involucrum utrunque polyphyllum: umbella utraque multiradiata: petala lanceolata, æqualia, incurva, lutea, aut alba: fructus magnus, subovalis, cortice suberoso.

274. ATHAMANTHA. Involucrum universale polyphyllum, aut rarius monophyllum: umbella et umbellulæ multiradiatæ: calyx obsoletus: petala ovata, inflexa, emarginata, subæqualia: fructus subovali-oblongus, striatus, lanuginosus.

275. CRITHMUM. . Involucrum utrunque polyphyllum: umbellæ et umbellulæ hemisphæricæ, multiradiatæ: calyx obsoletus: petala ovata, inflexa, subæqualia, alba: fructus ovalis, striatus, utrinque tricostatus, glaber.

276. CONIUM. . . . Involucrum universale tri-s.-pentaphyllum, reflexum; partiale triphyllum, dimidiatum: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, inæqualia: fructus ovatus, subglobosus, seminibus quinquecostatis, costis ante maturitatem undulatis.

277. BUNIUM. . . . Involucrum universale paucifolium, aut polyphyllum; partiale paucifolium: umbellæ multiradiatæ: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, æqualia, alba: fructus oblongiusculus, subovalis, obsolete striatus.

278. SELINUM. . . . Involucrum universale polyphyllum, aut monophyllum, reflexum, sæpius cito evanidum; partiale polyphyllum: calyx obsoletus: petala cordata, æqualia: fructus parvus, ovato-subrotundus, seminibus dorso argute tricostatis, ad margines alato-membranaceis, ala brevi.

279. AMMI. . . . . . Involucra polyphylla; universalis foliola pinnatifida, partialis integra: umbella multiradiata: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, in disco æqualia, in radio inæqualia: fructus parvus, ovato-globosus, glaber, striatus.

280. DAUCUS. . . . Involucri universalis foliola pinnatifida: umbella multiradiata: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, exteriora maiora: fructus ovatus, hispidus aut aculeolis rigidis muricatus.

281. CAUCALIS. . . Involucri universalis foliola integra: umbella pauciradia-

dia-

diata : flosculi disci sæpius abortivi : petala inflexo-emarginata : fructus setis hispidus, aut muricatus, ut in *Dauco*.

282. TORDYLIUM. Involucrum utrunque polyphyllum, foliolis indivisis: umbellulæ brevissimæ : flosculi omnes hermaphroditi, fertiles : calyx quinquedentatus : petala radii inæqualia, extimo maiori : fructus orbiculatus, planus, margine incrassato cinctus.

283. BUPLEURUM. Involucelli foliola iis involucri maiora, patentia, sæpius quinque : umbellæ pauciradiatæ : calyx obsoletus : petala lutescentia, involuta, integra, brevia : fructus subrotundus, subcompressus, striatus.

284. SANICULA. . . Involucrum universale dimidiatum, partiale polyphyllum, breve : umbella universalis pauciradiata, partialis multiradiata, conferta, subcapitata : flosculi disci abortivi : calyx obsoletus : petala inflexa : fructus ovato-subrotundus.

Coriandri-species.

(B) *Involucro partiali, universali nullo.*

285. SESELI. . . . . Involucellum sæpius pauci-

fo-

folium : umbellulæ breves, subglobosæ : calyx obsoletus : petala inflexo-cordata : fructus ovatus, parvus, striatus.

286. CHÆROPHYLLUM. Involucellum sæpius pentaphyllum : flosculi centrales abortivi : calyx obsoletus : petala emarginata, seu inflexo-cordata, exteriora maiora : fructus glaber, aut scaber, aut villosus, oblongus, ad apicem attenuatus, subulatus, aut rostratus.

287. PHELLANDRIUM. Involucellum polyphyllum, septem-decem-foliolis linearibus : umbella multiradiata ; umbellulæ confertæ, multifloræ : flosculi omnes fertiles : calyx quinquedentatus : petala cordato-inflexa, alba, centralia minora : fructus ovato-oblongus, calyce stylisque coronatus ; seminibus quinquecostatis.

288. CORIANDRUM. Involucellum dimidiatum, sæpius triphyllum : flosculi centrales abortivi : calyx quinquedentatus : petala inflexo-cordata, in radio inæqualia, extimis minoribus : fructus globosus, aut didymus (1).

Bu-

(1) Involucrum universale interdum monophyllum.

Bupleurum-rotundifolium.
Sison-nodiflorum.
Selinum-Carvifolia.
Pimpinella Anisum.
Apium-Petroselinum.
Smyrnium-Olusatrum.

(C) *Involucro nec universali; nec partiali.*

289. PIMPINELLA. . Umbellæ ante florescentiam nutantes: flosculi sæpe fertiles omnes: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, alba, subæqualia: stigmata subglobosa: fructus striatus, ovatus, oblongiusculus, aut subrotundus, glaber, aut subvillosus (1).

290. APIUM. . . . . . Calyx obsoletus: petala æqualia, inflexa, subrotunda, lutescentia: fructus parvus, ovatus, sulcatus (2).

291. ANETHUM. . . Calyx obsoletus: petala involuta, integra, lutea: fructus ovalis, aut subovalis, compressus, striatus.

292. SMYRNIUM. . Calyx obsoletus: petala lutea, acuminata, carinata, subinflexa: fructus ovato-globosus, angulato-costatus (3).

207.

(1) In Pimpinella-Aniso sæpius involucellum triphyllum, dimidiatum.

(2) Interdum involucrum monophyllum, et in *Petroselino* involucellum triphyllum, dimidiatum.

(3) Interdum involucellum foliolis paucis, brevibus.

293. PASTINACA. . Calyx obsoletus : petala lutea, involuta, integra: fructus ovalis, compressus, subplanus.

294. THAPSIA. . . . Calyx obsoletus: petala lutea, lanceolata, incurva: fructus oblongus, utrinque emarginatus; semina alis membranaceis marginalibus, maximis.

SECTIO II. DICLINA.

295. HUMULUS. . . Flores dioici; corollis nullis.

Masc. Calyx pentaphyllus.

Fœm. Calyx squama amenti ovata, acuta, uniflora: nectarium (quasi ut in Carice) folliculus minimus, germen involvens, persistens: germen unicum, ovatum: semen unicum, in basi singulæ squamæ amplificatæ conniventisque, nectario membranaceo arilliformi obtectum.

296. CANNABIS. . . Flores dioici; corollis nullis.

Masc. Calyx quinquedentatus.

Fœm. Calyx monophyllus, integer, acuminatus, latere longitudinaliter dehiscens : nu-

nucula bivalvis, calyce arcte vestita.

297. CELTIS. . . . . . Flores polygami, hermaphroditi et masculi in eadem planta; corolla nulla.

Masc. In axillis inferioribus: calyx pentaphyllus: stamina quinque.

Hermaph. Calyx tetra aut pentaphyllus: stamina quinque, nec raro quatuor: drupa globosa, monosperma.

298. ATRIPLEX. . . Flores polygami, hermaphroditi et fœminei in eâdem planta: corolla nulla.

Hermaph. Calyx pentaphyllus: semen unicum erectum, calyce clauso tectum.

Fœm. Calyx diphyllus: semen unicum, compressum, calyce inclusum.

ORDO III.

TRISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Germine infero.*

299. VIBURNUM. . .	Calyx quinquedentatus : corolla quinquefida : bacca monosperma : semen compressum.
300. SAMBUCUS. . .	Calyx quinquedentatus : corolla quinquefida : bacca trisperma.

** *Germine supero.*

301. RHUS.	Calyx quinquepartitus : corolla pentapetala : drupa parva, sicca; semine subrotundo.
302. TAMARIX. . .	Calyx quinquepartitus, persistens : corolla pentapetala : stamina quinque, rarius decem : capsula oblonga, triquetra, trivalvis, unilocularis, polysperma ; seminibus papposis.
303. ALSINE.	Calyx pentaphyllus : corolla pentapetala, petalis æqualibus : capsula unilocularis, trivalvis, ovata.
304. CORRIGIOLA.	Calyx pentaphyllus : corolla pentapetala, calyci subæqualis :

lis : semen unicum , triquetrum , calyce connivente tectum.

305. PASSIFLORA. . Calyx pentaphyllus : corolla pentapetala : nectarium multiradiatum , coroniforme , radiis filiformibus : filamenta ad germinis basin pedicello annexa : germen pedicellatum, uti et bacca, quæ unilocularis.

* *Rhamnus-Zizyphus-Lotus.*
* *Salsola. Chenopodium.*

SECTIO II. DICLINA.

306. PISTACIA. . . . Flores dioici ; corolla nulla.

Masc. Amentum laxum, sparsum , constans squamulis unifloris : calyx quinquefidus , minimus.

Fœm. Amentum laxius : calyx trifidus , minimus : drupa sicca , ovata.

ORDO IV.

TETRASTYLIA.

307. SPINACIA. . . . Flores dioici: corolla nulla.

Masc. Calyx quinquepartitus.

Fœm. Calyx quadrifidus: semen unicum intra calycem induratum.

308. XANTHIUM. . Flores monoici.

Masc. Calyx communis polyphyllus, imbricatus, patens: flosculi multi in eodem receptaculo paleaceo aggregati: corollulæ infundibuliformes, dentatæ: stamina quinque monadelpha.

Fœm. Infra masculos: calyx polyphyllus, aut nullus: corolla nulla: germen ovale, hispidum, apice bicorne: styli duo breves, intra germinis cornua, apicemque tecti; singulo stigmata duo ad latera cornuum exserta, capillaria, revoluta: bacca sicca, dura, ovalis, bicornis, hamis muricata, bilocularis, disperma.

ORDO V.

PENTASTYLIA.

309. LINUM. . . . . Calyx pentaphyllus: corolla pentapetala: stamina basi monadelpha: capsula subglobosa, acuminata, quinquevalvis, decemlocularis, loculis monospermis.

310. STATICE. . . . Calyx monophyllus, integer, plicatus, scariosus, persistens: corolla pentapetala, rarissime monopetala: semen unicum, superum, oblongum, é funiculo longo pendens.

311. DROSERA. . . Calyx quinquepartitus: corolla pentapetala: capsula unilocularis, quinquevalvis: semina plurima.

* *Spergula-pentandra. Quercus aliquot species.*
* *Gerania-pentandra.*

ORDO VI.

POLISTYLIA.

* *Ranunculus-hederaceus.*

OR-

ORDO I.

MONOSTYLIA.

124. ANAGALLIS.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, quinquepartita: capsula unilocularis, globosa, circumscissa.

1. ANAGALLIS *phœnicea*.

A. Caule procumbente: foliis ovato-lanceolatis, pedunculo brevioribus: calycis segmentis lanceolatis.

Lusit. *Murrião vermelho.*

A.-arvensis *var.* β Linn.

Corollæ petala coccinea. Variat foliis terno sive quaterno-verticillatis. Interdum vix aliter, nisi corollæ colore, a sequenti differt.

Hab. freq. in agris, arvis, cultis, pascuis totius fere Lusitaniæ. Flor. vere et æstate. Ann.

2. ANAGALLIS *cærulea*.

A. Caule procumbente: foliis ovato-lanceolatis, nervosis, longitudine pedunculorum: calycis segmentis subulatis.

Lusit. *Murrião azul.*

A.-arvensis *Linn. var.* α Linn.

Variat foliis terno quaternove verticillatis.

Hab. cum præcedente. Flor. vere et æstate. Ann.

Differt a præcedenti habitu maiori, caule ramosiori, pedunculis foliorum longitudine, calycis foliolis angustioribus, acutioribus, longioribus, corollæ æqualibus, capsula duplo fere maioribus, rigidioribus; corollis maioribus, cæruleis aut rarius albis.

3.

3. ANAGALLIS *Monelli*. Linn.

A. Foliis lineari-lanceolatis: caule erecto.

Hab. cum præcedentibus in calcareis, præsertim circa Olisipon. et Conimbricam. Flor. vere et æstate. Ann.

*Caules plures ex eadem radice, adscendentes, tetragoni, ramosi; ramis oppositis, ternove verticillatis: folia opposita ternove verticillata, lineari-lanceolata, interdum fere linearia, nunc angustiora, nunc latiora, longioraque, internodiis tamen semper longiora. Pedunculi foliis duplo longiores, in anthesi erecti, in fructus maturitate cernui, sub foliorum axillis solitarii. Corolla magna generis, calyce duplo longior. Hæ notæ et aliæ, quæ A-*Monelli *propriæ sunt, exacte etiam A-*linifoliæ *Linn. quadrant; quapropter A-*linifoliam *Lusitanicam eandem cum A-*Monelli *in hortis botanicis vulgo cultam, speciem esse credimus; secundum Cl. Salisburyum tamen A-*Monelli *vera Linn., ex Herbario ejusdem Linn. fide, alia, non Europæa, foliis ovatis species est.*

4. ANAGALLIS *latifolia*. Linn.?

A. Foliis subcordatis, nervosis, subamplexicaulibus: caule compresso.

Lusit. *Murrião grande.*

Hab. cum præced. Flor. vere et æstate. Ann.

Caulis erectiusculus, ramosus, quadrangularis, compressus. Pedunculi axillares, solitarii. Folia majora et latiora, quam in præcedentibus 1, 2, *quibus valde affinis est, et earum forte varietas. Corolla cærulea, fundo purpurascente.*

5. ANAGALLIS *tenella*.

A. Foliis ovatis, acutiusculis: caule repente. *Linn.*

Hab. freq. in uliginosis. Flor. Majo, et Jun. Peren.

Filamenta, ut in Lysimachia, basi sunt coalita, villosa. Folia aromatica, odore quasi Cumini.

145. LYSIMACHIA.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, quinquepartita: capsula globosa, unilocularis, quinquedecemvalvis.

1. LYSIMACHIA *vulgaris*. Linn.

L. Paniculata, racemis multifloris, terminalibus: filamentis inæqualibus.

Lusit. *Lysimachia*.

Hab. in umbrosis humidis, ad fossas udas, ad ripas Durii, Mundæ prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. et Jul. Peren.

Stamina basi coalita. Variat ramis et foliis terno sive quaterno verticillatis.

2. LYSIMACHIA *Linum stellatum*. Linn.

L. Caule erecto: foliis oppositis, lineari-lanceolatis: pedunculis unifloris: calycibus corollam superantibus.

Hab. in solo macro et arenoso circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Apr. usque ad Jun. Ann.

Culta caulem habet ramosissimum; spontanea autem simplicem, triuncialem. Capsula quinquevalvis.

3. LYSIMACHIA *nemorum*. Linn.

L. Foliis ovatis, acutis: floribus solitariis, caule procumbente.

Hab. in umbrosis prope *Caldas do Gerez*. Fl. Jul. et Aug. Peren.

Flores lutei. Folia petiolata. Habitus Anag.-cæruleæ *et* phœniceæ.

146. PRIMULA.

Calyx tubulosus, pentagonus, quinquedentatus, persistens: corolla tubo cylindraceo, longitudine calycis; fauce pervia; limbo semiquinquefido: stigma globosum: capsula teres, recta, unilocularis, apice decemdentato dehiscens.

1. PRIMULA *officinalis*.

P. Foliis obtusis, crenatis, rugosis: scapis umbella valde longioribus: limbo corollarum brevi, concavo.

Lusit. *Primavera*.

P.-veris officinalis *Linn.*

Hab. in sylvaticis montanis, pratis humidis, in Transmontana, et alibi in Lusitania boreali, sed rarior. Flor. Apr. et Maj. Peren.

Folia obovata, in petiolum decurrentia, subtus pubescentia. Scapus erectus, sesquidigitalis et altior, teres, pubescens, umbella simplici terminatus. Flores omnes nutantes. Calyx parum inflatus, tubo corollæ æqualis. Corollæ luteæ, odoræ.

2. PRIMULA *elatior*.

P. Foliis obtusis, crenatis, rugosis: scapis umbellâ valde longioribus: limbo corollarum plano.

Lusit. *Primavera dos Jardins*.

P.-veris elatior *Linn.*

* Colitur in hortis. Flor. vere. Peren.

Differt ab antecedente foliis maioribus; scapo altiore; floribus exterioribus tantum nutantibus; calyce tubum corollæ arcte cingente; corollis maiori-

ribus, inodoris, limbo plano, tubo calycibus longiore. Variat floribus luteis, aut usque ad faucem corollæ purpureis, simplicibus, plenis, aut proliferis: calyce, corollæque limbo quinquepartito.

3. PRIMULA *acaulis.*

P. Foliis obtusis, crenatis, rugosis, villosis: pedunculis radicalibus unifloris; scapis umbelliferis, sæpius nullis, aut umbella valde brevioribus.

Lusit. *Quejadilho.*

Hab. in pratis, sylvaticis, et ad rupes humidas: freq. circa Conimbricam, et in montosis totius fere Lusitaniæ. Flor. primo vere, quandoque hyeme. Peren.

Differt ab antecedentibus, corollis valde maioribus, pedunculis radicalibus omnibus unifloris, scapo umbellifero, sæpius nullo, seu ex radicibus rarissime pullulanti; at cum ex ipsis pullulat (quod in sexcentis nonnisi ter observavi) semper radiis umbellæ, ad usque terram nutantibus, triplo et ultra brevior est. Quapropter tam istam quam præcedentes species, etsi eas Linnæus in unam sub nomine Primulæ-veris *conjunxerit, sat recte distinctas esse credo: quamvis enim eas cultura proliferas reddat, florumque colorem ipsis mutet, notas tamen specificas, ex structura et habitu datas, non invertit.*

4. PRIMULA *auricula.* Linn.

P. Foliis serratis, glabris, carnosis.

Lusit. *Orelha de Urso.*

* Colitur passim in hortis. Flor. vere. Peren.

Variat floribus luteis aut saturate purpureis aut variegatis; simplicibus, proliferisve.

147. MENYANTHES.

Calyx quinquepartitus: corolla monopetala, limbo quinquefido: squamæ nectariferæ quinque ad basin germinis; stigma bilobum: capsula trilocularis.

1. MENYANTHES *Nymphoides*.

M. Foliis cordatis, integerrimis, natantibus: corollis dentato-ciliatis. *Linn.*

Lusit. *Golfão pequeno.*

Hab. in fossis, inundatis, et stagnantibus aquis prope *Montemór o velho*, *Maiorca* circa Conimbricam, et alibi. Flor. Julio usque Octobr. Peren.

Folia triplo quadruplove minora, quam in Nymphæis; *et quadruplo maiora, quam in* Hydrocharide.

148. CONVOLVULUS.

Calyx quinquepartitus: corolla subinfundibuliformis, plicata, magna: nectarium glandula coroniformis, germinis basin cingens: stigmata duo, latiuscula: capsula bi-trilocularis, raro quadrilocularis; loculis mono aut sæpius dispermis.

* *Caule volubili.*

1. CONVOLVULUS *arvensis*.

C. Foliis sagittatis, utrinque acutis: pedunculis subunifloris. *Linn.*

 Lusit.

Lusit. *Corriolla*, *ou Verdeselha.*

Hab. freq. in agris, arvis, hortis, ipsis infestissimus. Flor. æstate. Peren.

Caules procumbentes aut volubiles : folia interdum subhastata.

2. CONVOLVULUS *sepium.*

C. Foliis sagittatis, postice truncatis : pedunculis tetragonis, unifloris. *Linn.*

Lusit. *Trepadeira.*

Hab. in sepibus, et ad rivulos. Flor. vere. Peren.

Corolla alba, *magna* : *perianthium bracteis duabus magnis*, *cordatis*, *obtusis*, *oppositis ad basin obvallatum.*

3. CONVOLVULUS *althæoides.* Linn.

C. Foliis inferioribus cordatis, sinuatis, subsericeis; superioribus subpalmatis : pedunculis plerisque bifloris.

Hab. in calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Variat foliis subglabris, *omnibus subpalmatis*, *lacinia media longiori* ; *pedunculis omnibus unifloris.*

** *Caule non volubili.*

4. CONVOLVULUS *Soldanella.*

C. Foliis reniformibus : pedunculis unifloris. *Linn.*

Lusit. *Soldanella*, *ou Couve marina.*

Hab. ad littora maris prope *Figueira*, et alibi. Fl. Maj. et Jun. Peren.

5. CONVOLVULUS *tricolor.*

C. Foliis lanceolato-ovatis, glabris : caule declinato. *Linn.*

Variat corollis minutis, *dilutioribus.*

Hab. in collibus basalticis *de Ajuda* circa Olisiponem; varietas minor in calcareis circa Conimbricam. Flor. vere. Ann.

149.

149. DATURA.

Calyx tubulosus, quinqueangularis, quinquedentatus, caducus, basi orbiculata persistente: corolla infundibuliformis, tubo longitudine calycis, limbo quinqueplicato, quinqueangulari, angulis dente terminatis: capsula quadrivalvis, sæpe echinata.

1. DATURA *Stramonium.* Linn.

D. Pericarpiis spinosis, erectis, ovatis: foliis ovatis, glabris, dentatis.

Lusit. *Estramonio.*

Hab. freq. in ruderatis, arvis, agris præsertim *de Vallada*, et Conimbricensibus spontanea, s. quasi indigena, et nimis invisa colonis. Flor. æstate. Ann.

Caulis viridis; *flos albus.*

Datura-tatula *Linn. similis præcedenti est, et differt tantummodo caule altiori, saturate purpureo, foliis maioribus, interdum dentato-sinuatis, petiolis nervisque saturate purpureis, calyce purpurascente, corollâ purpurea seu dilute cærulea, spinis capsulæ copiosioribus, longioribus, tenuioribus; quæ differentiæ ex colore et magnitudine nonnisi varietatem constituunt. Folia non vere cordata, ut Linneus asserit, sed subovata, basi quasi obliqua, altera semilamina productiori.*

Obs. Colitur in hortis interdum varietas Dat. fastuosæ *Linn.* (*Lusitanis* Trombetões) *corolla duplici triplicive; pericarpiis tuberculatis, nutantibus, globosis; foliis ovatis, angulatis.*

150.

150. VERBASCUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, limbo quinquepartito, subinæquali: filamenta sæpius basi villosa: capsula bivalvis, bilocularis.

1. VERBASCUM *sinuatum*. Linn.

V. Foliis radicalibus oblongis, sinuato-crenatis, undulatis, tomentosis; caulinis semiamplexicaulibus, subdecurrentibus, alternis; rameis infimis oppositis.

Lusit. *Verbasco ondeado.*

Hab. in ruderatis, ad vias, in collibus glareosis aut calcareis, freq. circa Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. vere et æstate. Bienn.

Folia radicalia raro pinnatifido-repanda. Bracteæ cordato-reniformes, apice acuminatæ. Filamenta staminum omnia villo purpureo. Corolla ad faucem punctis quinque purpurascentibus instructa.

2. VERBASCUM *Thapsus*. Linn.

V. Foliis caulinis ovato-lanceolatis, decurrentibus, utrinque tomentosis: caule simplici.

Lusit. *Verbasco.*

Hab. in sabulosis, dumetis, sterilibus circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Bienn.

Caulis bi-tri-quadripedalis et ultra, simplex, aut non raro superne subramosus. Flores fasciculati tres ad sex, lutei, subsessiles. Filamenta duo inferiora reliquis longiora, nuda; tria superiora pallido-villosa.

3. VERBASCUM *hybridum*.

V. Foliis caulinis subdecurrentibus, utrinque tomen-

mentosis: caule ramoso: floribus subpedunculatis, glomeratis, glomerulis tribracteatis. *Broter.*

Hab. ad sepes, et in subumbrosis glareosis circa Conimbricam. Flor. Junio et Julio. Bienn.

Radix longa, ramosa. Caulis quatuor seu quinque pedes altus, erectus, foliosus, ab imo ad apicem ramosus, ex foliorum basibus angulosus, villo denso, brevi, subviridi, tectus, ut tota planta. Rami alterni; inferi nonnunquam longissimi, patuli, in ramulos quamplurimos racemosos subdivisi. Folia radicalia ad sesquipedem longa, et ad septem uncias lata, sessilia, obovato-lanceolata, utrinque tomentosa, viridia, rugosa, subundulata, subsinuata, crenata (costâ usque ad medium semitereti, inde ad apicem carinata) superne plana, ad basin subcanaliculata: caulina omnia alterna, cordato-oblonga, acuta, crenata, sessilia, basi vix ad duas tresve lineas decurrentia, utrinque viridi-tomentosa, sursum versus apicem sensim decrescentia; suprema cordata, acuminata, non decurrentia. Racemi plurimi ramos terminantes, et ex axillis supremorum ramorum. Flores in racemis glomerati, septem ad octo in singulo glomerulo, inferne tribus bracteis ovatis, acuminatis, tomentosis, media maiori, instructi; omnes pedicellati, pedicellis lineam aut sesquilineam longis. Calyx lanatus, lana viridi-albescenti, minimus, vix sesquilineam longus, quinquepartitus, laciniis acutis, æqualibus. Corolla inæqualis, diametro plus minusve decem linearum, lutea, ad faucem striato-purpurascens, superne glabra, inferne subpubescens. Staminum filamenta omnia villo purpureo tecta, duo paulo longiora: antheræ croceæ. Stylus glaber, flavus: stigma clavatum. Germen albidum, tomentosum, ovatum.

Planta rarissime occurrens, hybrida ex Verb.- pul-

pulverulento *et* sinuato : *forte V.*-sinuati *varietas*, *uti* thapsoides *varietas V.*-Lychnitidis *olim Linnæo visum est.*

4. VERBASCUM *pulverulentum.*

V. Foliis radicalibus lato-lanceolatis, utrinque tomentosis, supra farinosis: calycibus dense villosis, fasciculatis: caule ramoso.

Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere et æstate. Bienn.

Radix ramosa. Caulis bipedalis, tripedalis, aut paulo altior, albido-tomentosus, é medio ad apicem ramosus, ramis erectis, racemosis. Folia forma et magnitudine ut in V.-Thapso; *sed caulina non decurrentia, radicalia tomento albido utrinque vestita, at superna facie é medio ad basin quasi pulvere albo tecta, ut fere tota planta. Flores glomerati, glomerulis laxis, alternis, ut in V.*-sinuato. *Calyx denso tomento ex viridi-albo vestitus. Corolla lutea, magnitudine corollarum V.*-sinuati : *staminum filamenta purpureo-villosa. Nimis adfine V.*-Lychnitidi, *sed flores maiores, folia radicalia non superne subglabra, nec viridia, sed tomentosa, albida, valde farinosa.*

5. VERBASCUM *blattarioides.*

V. Foliis radicalibus oblongis, duplicato-crenatis, subpubescentibus : caule simplici : pedunculis subbifloris, calyce brevioribus. *La Marck. Dicc. Enc.*

Lusit. *Blattaria maior.*

Hab. in solo raro circa Conimbricam, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. Junio et Julio. Ann.

Radix alba, crassitudine digiti, inferne ramosa, annua. Caulis tri-quadri-quinquepedalis, erectus, subpubescens, ut tota planta, angulosus, inferne ramis duobus, tribus aut quatuor, raro simpli-

plicissimus. Folia omnia saturate viridia, rugosa, utrinque subpubescentia, ut tota planta, maxime subtus in venis; radicalia petiolata, oblonga, subovalia, duplicato-crenata, seu subsinuato-crenata; media caulis ovato seu subcordato-oblonga, acuta, sessilia, interdum subamplexicaulia, basi in lineas angulosas excurrente; superiora sensim ad usque supremos flores decrescentia, etiam sessilia, ovata, seu subcordata, denticulata, acuminata. Racemi longissimi, duas tertias partes caulis ramorumque constituentes. Flores laxi, ad apicem caulis et sæpius in ramis solitarii, cæterum glomerati bini, inter quos nonnunquam aliqui fasciculati terni vel quaterni, omnes subpedunculati, pedunculis calyce brevioribus, pubescentibus. Folia floralia solitaria, forma et colore foliorum superiorum, ciliata, sed ima racemi calyce longiora, ad illius apicem isto breviora. Calyx tres lineas longus, quinquepartitus, laciniis erecto-patulis, acutis, sublanceolatis, saturate viridibus, ciliatis, pilis brevibus apice glandulosis. Corolla saturate lutea, nondum explicata supra externe purpurascens pilosaque, explicata paulo maior, quam in V.-Thapso, *laciniis inæqualibus, tribus inferioribus maioribus, ex superioribus una minori, ad faucem suprà pilis purpureis barbata, circuloque purpureo colorata. Filamenta lutea, omnia villo purpureo instructa, inæqualia, duo inferiora altiora, incurva, hinc calva; antheræ luteæ: stylus flavus: stigma crassiusculum, obtusum. Capsula globosa, juxta maturitatem saturate viridis, lucida.*

Obs. In caulibus simplicissimis interdum flores non bini, sed solitarii, calyce tamen semper breviores, qua nota et pubescentia a V.-Blattaria *distinguitur; cui nimis affine, et ejus forte varietas.*

151. HYOSCIAMUS.

Calyx quinquefidus, tubulosus, basi ventricosus, persistens: corolla infundibuliformis, limbo quinquefido, laciniis obtusis, inæqualibus, unica reliquis latiore: stamina inclinata: capsula utrinque sulco exarata, bilocularis, operculata.

1. HYOSCIAMUS *niger.*
   H. Foliis amplexicaulibus, sinuatis: floribus sessilibus. *Linn.*
   Lusit. *Meimendro negro.*
   Hab. ad vias, in ruderatis in Beira et Lusitania boreali, rarior in Extremadura et Transtagana. Flor. æstate. Ann. aut bienn.
2. HYOSCIAMUS *albus.*
   H. Foliis petiolatis, subsinuatis, obtusis: floribus sessilibus. *Linn.*
   Lusit. *Meimendro branco.*
   Hab. freq. per Lusitaniam in ruderatis, ad muros, turres, et in elatioribus siccis. Flor. æstate. Ann.

152. PLUMBAGO.

Calyx tubulosus, quinquedentatus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido: nectarium é squamis quinque staminiferis: stigmata quinque: capsula monosperma, basi multivalvis (ex Cl. Jussiæo, etsi aliis semen unicum nudum.)

1. PLUMBAGO *europæa*.
P. Foliis amplexicaulibus, lanceolatis, scabris. *Linn.*
Lusit. *Dentilaria.*
Hab. in Algarbiis circa *Lagos*. Flor. Jul. usque ad Sept. Peren.

153. GENTIANA.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla basi tubulosa, limbo quinquefido aut quinquepartito, raró quadrifido, figura varia: stamina sæpius quinque, rarius qnatuor: stylus profunde bipartitus: capsula bivalvis, unilocularis: semina ejus parietibus, aut receptaculo in valvis marginalibus, inserta.

1. GENTIANA *lutea*.
G. Corollis subquinquefidis, rotatis, verticillatis: calycibus spathaceis. *Linn.*

Lusit. *Genciana das Boticas*, *ou Argençana dos Pastores.*

Hab. in jugis Herminii ad prægaltas et inaccessas rupes. Flor. Jun. et Jul. Peren.

2. GENTIANA *Pneumonanthe.* Linn.

G. Corollis quinquefidis, campanulatis: floribus oppositis, pedunculatis: foliis linearibus.

Hab. in summis Herminii, in graminosis. Fl. Jul. usque ad Sept. Peren.

Varietas minor.

3. GENTIANA *Centaureum.* Linn.

G. Corollis quinquefidis, infundibuliformibus: foliis obovatis: caule dichotomo: floribus terminalibus corymbosis.

Lusit. *Fel da terra*, *ou Centaurea menor.*

Hab. in sylvaticis, pratis, pascuis, collibus calcareis circa Conimbricam. Olisip. et alibi. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann.

Gentiana-centaureum *procerius*, *sive Eritræa aliquorum Autorum. Variat corolla purpurea vel alba.*

4. GENTIANA *ramosissima.*

G. Corollis quinquefidis, infundibuliformibus; laciniis angustis: foliis sublanceolatis: caule dichotomo, fere é basi ramoso, laxe corymboso. *Br.*

Hab. in humosis et collibus calcareis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Ann.

Gent.-Cent. *ramosissimum Autorum*, *et pro varietate præcedentis habetur.*

Caulis quatuor ad septem uncias altus, *et ultra*, *tenuior*, *quam in præcedente*, *sæpius brevior*, *ramosior fere é basi*; *pedunculis remotioribus*, *corollis saturate purpureis*, *raro albis*, *duplo minoribus*, *laciniis acutioribus et angustioribus* : *et omnes hæ notæ constantes.*

5. GENTIANA *chloódes.*

G. Corollis quinquefidis, infundibuliformibus: cauli-

libus cespitosis, prostratis, ramosis: foliis lanceolato-spathulatis: calycis laciniis capsulæ et tubo corollæ subæqualibus. *Broter.*

Hab. in humidis et paludosis prope Oppidum *Figueira.* Flor. fere toto anno.

Non confundenda cum G.-Centaureo *palustri ramosissimo aut minimo* Vaillant *et aliorum, cùm nimis diversa, ut ex descriptione patebit.*

Radix annua, aut non raro biennis, ramosiuscula, ad collum duas ad quatuor lineas crassa, cortice fusco. Caules ex eadem radice plurimi, dense approximati (1), *filiformes, ex basi ad apicem ramosi, tri-quadriuncialesve, demum foliis exspoliati, et tunc teretes, prostrati, et interdum inferne ad cicatrices á casu foliorum radicati, apicibus erectis, aut emortuis, novis aliis lateraliter ramulis ibi pullulantibus. Rami sæpius oppositi, interdum unus aliusve umbra suffocatus, filiformes, prostrati, uti caules foliis exspoliati, longiusculi, extremi erecti, foliati, subquadranguli, breves, sæpe congesti. Folia opposita, internodiis triplo quadruplove longiora, patula, glabra, uninervia, integerrima, obtusiuscula, in petiolos subcoalitos attenuata, et quasi lanceolato-spathulata, sesquilineam ad duas lineas lata, semiunciam aut paulo ultra longa, petiolo supputato. Flores ramulos congestos terminantes, sæpius duo aut tres, quorum unus medius aut lateralis, sessilis, alius seu alii subsessiles, et quasi depauperate capitati. Involucrum commune diphyllum, foliolis duobus oppositis, lineari-lanceolatis, calyci æqualibus aut subæqualibus; involucrum partiale florum lateralium etiam diphyllum, foliolis lineari-setaceis, calyce brevioribus. Calyx ad basin fere usque quinquepartitus,* co-

(1) Ita, ut cum suis ramis ramulisque subinde progerminantibus cespitem semipedalem efficiant.

corollæ tubo æqualis aut subæqualis, (*nec dimidio brevior ut in* G.-Centaureo) *laciniis ad margines scariosis. Corolla infundibuliformis*, *quinquefida*, *aperta magnitudine et colore ut in* G.-Centaureo, *cui et reliquæ fructificationis partes adamussim similes sunt. Capsula calyce tecta*, *eoque vix longior.*

6. GENTIANA *Portensis.*

G. Corollâ quinquefida, infundibuliformi, acuminata: caule filiformi, repente, dichotomo: foliis ovatis, obtusis. *Broter.*

Hab. in humidis prope *Barreiro* circa *Porto*, et alibi in Interamnia. Flor. Jun. Ann.

Radix annua, *fibrosa. Caulis tenuis*, *filiformis*, *glaber*, *subquadrangulus*, *repens*, *ramosus*, *ramis alternis assurgentibus. Folia* (*fere ut in* Veronica-serpyllifolia) *obtusa*, *ovata*, *aut interdum subovalia*, *in petiolum brevissimum attenuata*, *glabra*, *integerrima*, *subtrinervia*, *opposita*, *internodiis breviora*, *sursum versus ramorum apices remotiora*, *duas ad quatuor lineas lata*, *quatuor ad sex lineas longa*, *petiolo brevi supputato. Flores terminales*, *sæpius tres*, (*rarius septem*) *unus in dichotomia sessilis*, *duo laterales pedunculati*, *pedunculis uncialibus*, *qui rariter dichotomé iterum dividuntur*: *bracteæ duæ*, *ad basin singuli floris*, *oppositæ*, *ovato-lanceolatæ*, *calyce breviores. Calyx profunde quinquepartitus*, *dentibus ad margines scariosis*, *tubo corollæ brevioribus. Corolla lutea quinquefida*, *infundibuliformis*, *laciniis longis*, *patentibus*, *subulatis*, *absque auriculis*, *ad faucem imberbis. Antheræ post pollinis emissionem spiraliter tortæ. Stylus apice bifidus*: *stigmata subreniformia*, *flavescentia.*

7. GENTIANA *maritima.* Linn.

G. Corollis quinquefidis, infundibuliformibus: foliis

liis sublanceolatis, oppositis, sessilibus: caule dichotomo, paucifloro.

Hab. in arenosis trans Tagum, et circa Conimbricam in sabulosis, Pinetis, et alibi in Beira. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

Corollæ luteæ: folia non trinervia, uti in G. Centaureo.

8. GENTIANA *spicata.*

G. Corollis quinquefidis, infundibuliformibus: floribus alternis, sessilibus. *Linn.*

Hab. in herbidis, subhumidis de *Trafaria* et *Costa*, et alibi in *Caparica* trans Tagum. Flor. Julio et Aug. Ann.

9. GENTIANA *filiformis.*

G. Corollis quadrifidis, imberbibus: caule dichotomo, filiformi. *Linn.*

Hab. in humidis montosis de *Lousãa*, *Miranda do Corvo*, et alibi in Beira. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Flores minimi, lutei: caulis sæpius simplex, quatuor, quinqueve uncias altus.

154. NERIUM.

Calyx quinquepartitus, parvus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquepartito, laciniis obliquis, fauce appendicibus laceris coronata: stigma truncatum, orbiculo insidens: folliculi duo, erecti. Semina papposa.

1. NERIUM *Oleander.* Linn.

N. Foliis lineari-lanceolatis, ternis: corollarum corona sublaciniata: antheris superne glabris.

Lu-

Lusit. *Loendro, ou Sevadilha.*

Secundum Linnæum et alios planta Indiæ Orientalis indigena, sed ad rivulos in Transtagana meridionali spontanea frequens. Flor. Jul. usque ad Octobr. Arbuscul.

* Colitur etiam in hortis, uti ejus varietas floribus albis, et varietas floribus odoratis plenis, quæ est N.-*odoratum*, foliis lineari-lanceolatis, ternis: corollarum corona filamentosa: antheris superne barbato-plumosis. *La Marck. Dict. Encycl.*

155. VINCA.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla hypocrateriformis, fauce pentagona, nuda, limbo quinquepartito, laciniis apice oblique truncatis: stigma capitatum, orbiculo insidens: folliculi duo, erecti: semina non papposa.

1. VINCA *maior*. Linn.

V. Caulibus procumbentibus, non volubilibus: floribus pedunculatis.

Lusit. *Congossa maior.*

Hab. ad sepes, et in umbrosis humidis freq. Flor. Mart. usque ad Maj. Peren.

Caules sæpius adscendentes, et ad nodos radicantes: glandula magna, ovata, utrinque ad basin germinis.

156. CAPSICUM.

Calyx quinquefidus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ conniventes: bacca exsucca, polymorpha: (semina piperita.)

1. CAPSICUM *annuum*.
C. Caule herbaceo: pedunculis solitariis. *Linn.* Lusit. *Pimentão*.
Var. 1.° fructu pyramidali longo. Lusit. *Pimentão Cornicabra*:
Var. 2.° fructu tumido, incrassato. Lusit. *Pimentão Maçãa*, ou *Catalão*, quod forte *Caps-grossum* Linn., caule tamen annuo.
* Coluntur freq. in hortis, et in agris humosis. Fl. æstate. Ann. Coluntur etiam, sed rarius *C.-baccatum* Brasiliensibus *Commarim*, et *C.-frutescens*, Lusit. *Pimentão*, ou *Pimento de cheiro*, et alia.

157. PHYSALIS.

Calyx ventricosus, semiquinquefidus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ erectæ, conniventes: bacca subglobosa, bilocularis, intra calycem inflatum maximum contenta.

1. PHYSALIS *alkekengi*.
P. Caule herbaceo, inferne nudo: foliis integerrimis, geminatis: floribus solitariis. *Linn.* Lusit. *Alquequenge*.

* Colitur in hortis á pharmacopólis, et post culturam quasi spontanea. Flor. æstate. Ann.

158. SOLANUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, limbo quinquefido, plicato: antheræ conniventes, sive subcoalitæ, apice poro gemino dehiscentes: bacca subrotunda, bilocularis.

1\. SOLANUM *Dulcamára.*

S. Caule inermi, frutescenti, flexuoso: foliis superioribus hastatis: racemis cymosis. *Linn.*

Lusit. *Dulcamára*, *Doceamarga*, *ou Uva de cão.*

Hab. freq. in sepibus, et subumbrosis humentibus in Interamnia, Beira, Extremadura, et alibi. Fl. vere et æstate. Peren., interdum Suffrut.

Corollæ laciniæ basi maculis duabus viridibus notatæ.

2\. SOLANUM *tuberosum.*

S. Caule inermi, herbaceo: foliis pinnatis, integerrimis: pedunculis subdivisis. *Linn.*

Lusit. *Batattas Inglezas*, *ou Indias.*

* Colitur freq., præsertim in Beira et Lusitania boreali, cujus tres varietates, scilicet, *Batattas brancas*, *vermelhas*, et *longáes.* Flor. æstate. Peren.

3\. SOLANUM *Lycopersicum.*

S. Caule inermi, herbaceo: foliis pinnatis, incisis: racemis simplicibus. *Linn.*

Lusit. *Tomate.*

* Colitur freq. in hortis, et inde prope habitationes quasi spontanea. Flor. æstate. Ann.

4. SOLANUM *nigrum.* Linn.
S. Caule inermi, herbaceo: foliis ovatis, dentato-angulatis, subglabris: racemis distichis, simplicibus, nutantibus: fructu nigro.
Lusit. *Herva Moira.*
Hab. freq. in ruderatis, locis incultis, umbrosis, humidiusculis. Flor. æstate. Ann.

5. SOLANUM *villosum.*
S. Caule inermi, herbaceo: foliis ovatis, hirsutis, dentato-angulatis: racemis simplicibus: fructu lutescente. *La Marck. Dict. Enc.*
S.-nigrum villosum Linn.
Hab. cum præcedente frequens. Flor. æstate. Ann.

6. SOLANUM *Melongena.* Linn.
S. Caule inermi, herbaceo: foliis ovatis, tomentosis: pedunculis pendulis, incrassatis: calycibus rariter aculeatis.
Lusit. *Beringella.*
* Colitur freq. in hortis, sicut et varietas fructu albo, *S.-Melongena ovifera.* Flor. æstate. Ann.

7. SOLANUM *Pseudocapsicum.*
S. Caule inermi, fruticoso: foliis ovato-lanceolatis, repandis, glabris: umbellis sessilibus. *Linn.*
Lusit. *Pimentão doce, Gingeira do Brazil.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Frutex.

8. SOLANUM *Sodomeum.*
S. Caule aculeato, fruticoso, tereti: foliis pinnatifido-sinuatis, sparse aculeatis. *Linn.*
* Colitur et crescit quasi spontanea prope *Fortaleza de S. Julião.* Flor. vere et æstate. Frutex.

159. LYCIUM.

Calyx urceolatus, quinquedentatus, brevis, persistens: corolla infundibuliformis, limbo quinquepartito: filamenta basi tumida et villosa tubum claudentia: stigma leviter bifidum: bacca subrotunda, bilocularis.

1. LYCIUM *Europæum*. Linn.
L. Caule spinoso; ramis flexuosis, teretibus: foliis lanceolatis, obliquis.
Lusit. *Espinheiro alvár* (*na casca, ou bastardo.*)
Hab. in sepibus circa Olisiponem, et *Boarcos*, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. vere. Frutex.

160. MIRABILIS.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla infundibuliformis: nectarium externum carnosum, globosum, corollæ suppositum: semen unum, nectario persistente arcte obtectum.

1. MIRABILIS *Jalapa*.
M. Floribus congestis, terminalibus, erectis. *Linn.*
Lusit. *Boas noites*, *Jalapa bastarda menor.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Peren.
Corollæ purpureæ, albidæ, luteæ, aut his coloribus variegatæ.

2. MIRABILIS *dichotoma*.
M. Floribus sessilibus, axillaribus, erectis, subsolitariis. *Linn.*

Lu-

Lusit. *Boas noites*, *Jalapa bastarda maior.*
* Colitur cum præced. Flor. æstate. Peren.
Flores duo, tres, quatuor congesti, purpurei, nocte odoratissimi, minores, quàm in præcedenti: tubus corollæ subpilosus.

161. LONICERA.

Calyx quinquedentatus: corolla tubulosa, longa, limbo quinquepartito, laciniis revolutis, inæqualibus: stigma capitatum: bacca umbilicata, trilocularis, polysperma.

1. LONICERA *Caprifolium.*
L. Floribus verticillatis, terminalibus, sessilibus: foliis summis connato-perfoliatis. *Linn.*
Lusit. *Madresylva caprina.*
Hab. freq. ad sepes circa Conimbricam, et alibi fere in tota Lusitania. Flor. Jun. et Jul. Frutex.
2. LONICERA *Periclymenum.*
L. Capitulis ovatis, imbricatis, terminalibus: foliis omnibus distinctis. *Linn.*
Lusit. *Madresylva das Boticas.*
Hab. cum præcedente. Flor. Jun. Julio. Frutex.
Baccæ tetraspermæ. Folia pubescentia aut glabra.

162. SAMOLUS.

Calyx quinquefidus, persistens, corolla hypocrateriformis, limbo quinquepartito; squamulis quinque, brevissimis, setaceis, ad basin divisionum in fauce conniventibus: capsula unilocularis, semiquinquevalvis.

1. SAMOLUS *Valerandi.* Linn.
Lusit. *Alface dos Rios.*
Hab. freq. in uliginosis, ad rivulos, fontes, rupes humidas. Fl. Jun. usque ad Sept. Bienn.

163. CAMPANULA.

Calyx nunc quinquepartitus, nunc decemfidus, laciniis quinque reflexis: corolla campanulata, quinquefida: nectarium sæpe in fundo corollæ é quinque squamis staminiferis constructum: stigmata tria: capsula foraminibus lateralibus emittens semina.

1. CAMPANULA *Rapunculus.*
C. Foliis undulatis; radicalibus lanceolato-ovalibus: paniculâ coarctata. *Linn.*
Lusit. *Rapuncio, ou Raponcio.*
Hab. in agris, locis graminosis, sepibus, et in subumbrosis humidiusculis. Flor. Maj. et Jun. Bienn.
Radix fusiformis. Pedunculi sæpius terni, intermedius longior.

2.

2. CAMPANULA *Lœflingii.*

C. Caule angulato, ramosissimo: panicula erectiuscula: foliis radicalibus cordato-subrotundis, reniformibusve; intermediis ovato-oblongis, subintegerrimis, patentibus, sessilibus: corollis nutantibus. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 10.

Hab. in sabulosis umbrosis, sylvaticis, pascuis, ad sepes et margines Mundæ prope Conimbricam, etiam in Beira boreali, Duriminia et Transmontana; rarior in Transtagana et Extremadura. Flor. Jun. Julio. Ann.

Affinis C.-patulæ, *atque ut ipsius varietas sæpius habetur, sed differt caule inferne non simplici, sed é basi ad apicem ramoso; foliis radicalibus cordato-subrotundis, aut reniformibus, nec calycis laciniis lanceolato-linearibus.*

3. CAMPANULA *Trachelium.*

C. Caule angulato: foliis petiolatis: calycibus ciliatis: pedunculis trifidis. *Linn.*

Hab. rar. ad fluvium *Zezere* prope *Punhete* ad sepes. Flor. vere. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

4. CAMPANULA *hederacea.*

C. Foliis cordatis, quinquelobis, petiolatis, glabris: caule laxo. *Linn.*

Hab. freq. in humentibus in Beira boreali, Interamnensi, et Transmontana. Flor. Jun. Jul. Ann.

Filamenta basi non squamiformia.

5. CAMPANULA *Erinus.*

C. Caule dichotomo: foliis sessilibus; superioribus oppositis, tridentatis. *Linn.*

Hab. frequens in solo macro, ad muros circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Fl. æstate. Ann.

6. CAMPANULA *hybrida.*

C. Caule basi ramoso, stricto: foliis oblongis,

cre-

crenatis : calycibus aggregatis, corollâ longioribus : capsula prismatica. *Linn.*

Hab. inter segetes, circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Flor. Jul. et Aug. Ann.

7. CAMPANULA *primulæfolia.*

C. Caule anguloso, strigoso : foliis sublanceolatis, duplicato-crenatis, utrinque venis hispidis, cæterum glabris : floribus omnibus pedunculatis, axillaribus solitariis binisque, terminalibus laxe glomeratis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 9.

Hab. subalpinis Algarbiorum, et in Beira ad rupes umbrosas et udas : occurrit etiam prope Conimbricam ad fontem vulgo *do Gato*, et in via meridionali ad prædium *do Rangél.* Flor. Jun. et Jul. Peren.

164. PULMONARIA.

Calyx pentagonus, quinquedentatus, persistens : corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, tubo longitudine calycis.

1. PULMONARIA *angustifolia.*

P. Foliis radicalibus lanceolatis. *Linn.*

Hab. in nemorosis *de Serra do Rebordão* prope *Bragança.* Flor. Maj. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

165. CERINTHE.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla tubo brevi, limbo paulo crassiori, subventricoso: semina duo, ex binis composita, sive per paria coalita.

1. CERINTHE *maior.*
C. Foliis amplexicaulibus: corollis obtusiusculis, patulis. *Linn.*
Hab. in humosis subhumidis circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

166. ECHIUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla tubo brevi, limbo ampliori, quinquefido, irregulari.

1. ECHIUM *plantagineum.*
E. Foliis radicalibus ovatis, lineatis, petiolatis. *Linn.*
Lusit. *Soágem.*
Hab. frequens in humidiusculis, pratis et agris circa Conimbricam, et alibi in Beira et Interamnia. Flor. vere. Ann.

2. ECHIUM *vulgare.*
E. Caule tuberculato, hispido: foliis caulinis lanceolatis, hispidis: floribus spicatis, lateralibus. *Linn.*
Lusit. *Viperina.*
Hab. in campis, muris, ad ruderata, vias. Flor. vere et æstate. Ann. aut bienn.

Variat corollis brevibus aut longis, foliis angustioribus; staminibus corolla brevioribus aut longioribus.

Ech.-Lusitanicum *Linn.*, *quod passim occurrit, est varietas staminibus corolla vix brevioribus.*

3. ECHIUM *Italicum*. Linn.

E. Caulibus subadscendentibus, simplicibus, hirsutis: foliis villosis, utrinque acutis: spicis numerosis: corollæ laciniis subæqualibus, calyce paulo longioribus: staminibus duobus longissimis.

Hab. in sabulosis *de Villa Franca* ad Mundam prope Conimbricam, et alibi in Beira, sed rarius. Flor. Jun. Jul. Peren.

Radix ramosa, perennis. Caules quinque ad duodecim ex eadem radice, sub rosula foliorum radicalium, primum obliqui, dein incurvati, erectiusculi, bi-tripedales et ultra, teretes, obsolete sulcati, farcti, inferne ad radicem diametro quinque vel sex linearum, simplices, et tantummodo pedunculis brevibus spicigeris instructi, virides, hirsuti, pilis densis, mollibus, brevibus, albidis (nec strigosis) basi tamen bulbosis, seu punctis scabris minutis, viridibus, raro fuscis, impositis. Folia radicalia in orbem prostrata, pedalia et longiora, ad medium biuncialia aut latiora, lanceolata, in petiolum brevem subcanaliculatum attenuata, utrinque scabriuscula hirsutaque, pilis mollibus brevibus, integerrima, venosa, venis subtus prominentibus, costa obtusa, ad petiolum latiori, obiterque carinata. Folia caulina longe minora, alterna, sessilia; inferiora erecta, utrinque acuta, anguste lanceolata, quinque ad sex uncias longa, septem ad novem lineas lata, utrinque pilosa, integerrima; alia sensim ad apicem decrescentia, anguste etiam lanceolata, sed ad basin latiuscula, rotundiuscula, leviter undulata, patentia aut reflexa: om-

omnia amariuscula, inodora. Spicæ ad quinquaginta et ultra, spiraliter recurvæ, fere ex imo caule usque ad ejus apicem, pedunculatæ, pedunculis axillaribus, solitariis, erectis, teretibus, hirsutis, cum punctis nigris sub pilis, folio brevioribus, sesquiunciam subter spicas longis, ad apicem caulis valde brevioribus, et sensim decrescentibus, nudis, seu uno aliove folio ovato-acuminato prope spicam terminatis. Flores in spicis secundi, approximati, bracteati, bracteis ovato-lanceolatis, hirsutis, integerrimis, longitudine calycis, seu paulo brevioribus. Perianthium viride, asperum, persistens, profunde quinquepartitum, laciniis acuminatis, sublanceolatis, subcarinatis, extus et ad oras hirsutis (pilis basi tuberculis minimis nigrescentibus) intus subglabris, in medio unilineatis, erectis, æqualibus, quatuor lineas longis, semilineam in medio latis. Corolla monopetala, infundibuliformis, parva, calyce sesquilineam ad duas lineas longior: tubus albidus, calyce demidio brevior, obsolete quinquangulus, quinque fossulis, singulis cum singulo angulo alternantibus, superne instructus, glaber: limbus sensim ampliatus, patulus, cærulescens, quinquefidus, quinquelobus; lobulis subæqualibus, obtusiusculis, obsolete crenulatis, extus ad costas et oras pubescentibus, intus glabris lineisque violaceis pictis, duobus superioribus vix ac ne vix quidem longioribus, latitudine tamen minoribus, tribus inferioribus inter sese æqualibus: faux basibus filamentorum incrassatis fere clausa. Staminum filamenta quinque, corollæ tubo inserta, subulata, omnino glabra, superne violacea, parum distantia, quorum quatuor corollæ laciniis inferioribus incumbentia, leviter sursum arcuata, inæqualia, omnia corollâ longiora, duo tamen longissima, extra corollam tres quatuorve lineas exserta: an-

theræ oblongæ, obtusæ, biloculares, utrinque unisulcatæ, cærulescentes, incumbentes. Pistilli germen quadripartitum, viride, glabrum, depressum: stylus filiformis, albidus, ex imo ad usque medium pubescens, longitudine staminum longiorum, aut interdum ipsis paulo brevior: stigma bifidum, albidum. Calyces maturi clausi, in sinu semina quatuor, oblique acuminata, fusca foventes, et alii ab aliis remotiusculi.

Affine Ech.-cretico. *Linn.*

167. LITHOSPERMUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla subinfundibuliformis, longitudine fere calycis, limbo quinquefido.

1. LITHOSPERMUM *arvense*.

L. Seminibus rugosis: corollis vix calycem superantibus. *Linn.*

Hab. in agris et arvis circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Flores albi.

2. LITHOSPERMUM *Apulum*.

L. Seminibus nudis: foliis hispidis: racemis foliosis.

Myosotis-*Apula* Linn.

Hab. in collibus circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. æstate. Ann.

Corolla lutea; faux verè non squamis clausa: ideo á Myosotide *separanda.*

3. LITHOSPERMUM *fruticosum*.

L. Foliis linearibus, hispidis: staminibus corollam æquantibus. *Linn.*

Lusit. *Herva das sette sangrias.*

Hab.

Hab. in dumetis et sepibus circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Frutex parvus. *Flores violacei.*

168. HELIOTROPIUM.

Calyx quinquedentatus: corolla hypocrateriformis, quinquefida, leviter plicata, fauce dentibus quinque interjectis clausa.

1. HELIOTROPIUM *Europæum.*
H. Caule erecto: foliis ovatis, integerrimis, tomentosis, rugosis: spicis conjugatis. *Linn.*
Lusit. *Tornasol*, *Verrucaria*, *ou Herva das verrugas.*
Hab. freq. in agris, ruderatis, pratis circa Conimbricam, et alibi in Beira et aliis Provinciis. Flor. æstate. Ann.

2. HELIOTROPIUM *supinum.* Linn.
H. Caule prostrato: foliis ovatis, integerrimis, tomentosis, plicatis: spicis parvis, sublateralibus.
Hab. in agris ad Tagum, ad Mundam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. æstate. Ann.

169. MYOSOTIS.

Calyx quinquefidus, persistens: corolla hypocrateriformis, tubo brevi, limbo quinquefido, laciniis emarginatis; fauce squamulis quinque convexis, conniventibus clausa.

1. MYOSOTIS *arvensis*.

M. Seminibus lævibus: calycibus acuminatis, hirsutis, tubo corollæ longioribus: foliis ovato-lanceolatis, hirsutis.

Lusit. *Orelha de rato.*

Myos.-scorpioides *var.* α *Linn.*

Hab. freq. in agris, collibus, sylvis, sepibus circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere. Ann.

Variat caule ramoso et simplici, totoque habitu minori.

2. MYOSOTIS *palustris*.

M. Seminibus lævibus: calycibus patulis, obtusis, corollam fere æquantibus: foliis subglabris, lanceolatis.

Myos.-scorpioides *var.* β Linn.

Hab. frequens in uliginosis, et ad rivulos. Flor. vere et æstate. Peren.

170. BORAGO.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla rotata, limbo quinquepartito; fauce prominentiis quinque emarginatis coronata.

1. BORAGO *officinalis*.
B. Foliis omnibus alternis: calycibus patentibus. *Linn.*
Lusit. *Borragem.*
Hab. spontanea, seu quasi indigena in ruderatis, solo raro, ad hortos, quibus colitur, et circa loca habitata. Flor. vere. Ann.

171. CYNOGLOSSUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, patentiusculo; fauce squamulis quinque conniventibus clausa: semina latere interiore stylo persistenti affixa.

1. CYNOGLOSSUM *officinale*. Linn.
C. Staminibus corolla brevioribus: foliis lanceolatis, subpilosis; radicalibus subpetiolatis; caulinis oblongis, sessilibus.
Lusit. *Cynoglossa, ou Lingua de cão.*
Hab. ad vias, in ruderatis, collibusque circa Olisiponem. Flor. vere. Ann.
Varietas Cynogl.-officinalis, *et affine Cyn.*-montano *La Marck. Dict. Enc.*

2.

2. CYNOGLOSSUM *pictum.*

C. Corollis calyci subæqualibus, laciniis subrotundo-dilatatis: foliis lanceolatis, tomentosis; superioribus basi cordatis. *Vahl Symb. Bot. p. 2. pag.* 34.

Hab. freq. ad vias, in ruderatis, collibusque circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere. Ann.

*Differt a C.*officinali *Linn.*, *cui nimis affine, foliis caulinis basi non angustatis, sed cordatis; corolla venis purpureis picta, primum pallida.*

3. CYNOGLOSSUM *cheirifolium.* Linn.

C. Calycibus tomentosis, corolla pallenti brevioribus: antheris nigris, inclusis: foliis lanceolatis, incano-subsericeis.

Hab. in collibus vallibusque non longe ab Anæ marginibus, inter Myrtilem et *Alcoutim.* Flor. vere. Ann.

4. CYNOGLOSSUM *linifolium.* Linn.

C. Foliis lineari-lanceolatis, glauco-incanis, margine scabris: racemis longis, erectis, subpaniculatis.

Hab. in collibus de *Alcantara*, et *Tapada d'Ajuda* prope Olisiponem. Flor. vere. Ann.

Flores albi: semina concava, fere hemisphærica, marginibus introrsum denticulatis. Variat habitu grandiori, foliis superne subpilosis, scabriusculis, uti etiam in marginibus, quod est Cynogl.-*Lusitanicum* Linn., *et* Miller. *Diction.*

5. CYNOGLOSSUM *Lusitanicum.*

C. Foliis lanceolatis, glabris, ad margines nervosis, utrinque viridibus: caule flaccido, subsimplici: racemis paucifloris.

La Marck. Dict. Enc.

Hab. in humidis et umbrosis sylvaticis, circa Conimbricam, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Peren.

Cau-

Caules pedales, glabri, ramis duobus tribusve flaccidis: flores pauci, distantes, violacei. Semina concava. Est vera Omphalodes Lusitanica, Cynoglossi folio *Tournefort; quod synonynum tam a Linnæo quam ab Ill. Vahl falsò suis* Cynogl.-*Lusitanicis adhibitum est:* Cynogl.-*Lusitanicum D. Vahl* (L. cit.) *non est* Cynogl.-*Lusitanicum Linnæi, nec La Marckii, sed alia distincta species; foliis enim cordatis amplexicaulibus constat, aliisque notis, quæ utrique non quadrant.*

172. ANCHUSA.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla subinfundibuliformis, limbo quinquefido, patentiusculo; fauce squamulis quinque conniventibus clausa: semina basi perforata.

1. ANCHUSA *officinalis.* Linn.
   A. Foliis sublanceolatis, summis basi latioribus, subamplexicaulibus: spicis secundis.
   Lusit. *Buglossa, ou Lingua de vacca.*
   Hab. inter segetes de *Caparica*, circa Olisiponem, et Conimbricam in calcareis, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. vere. Peren.

Differt ab Anch.-*Italica D. Retzii habitu triplo minori, foliis non nitidis, squamis faucis non penicilliformibus, &c.*

2. ANCHUSA *undulata.* Linn.
   A. Strigosa, foliis lanceolato-linearibus, dentatis, undulatis: pedicelis bractea minoribus: calycibus fructiferis inflatis.
   Lusit. *Buglossa ondeada.*
   Hab. ad aggeres, vias, et in agris circa Olisiponem,

Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. vere. Ann.

3. ANCHUSA *sempervirens*.

A. Pedunculis diphyllis, capitatis. *Linn.*

Hab. freq. in umbrosis ad Mundæ ripas prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. æstate. Peren.

4. ANCHUSA *nigricans*.

A. Bracteis lanceolatis: calycibus inflatis, pentagonis, corolla longioribus: fructu cernuo.

Lycopsis-nigricans. *La Marck. Dict. Encycl.*

Hab. in collibus de *Alcantara* prope Olisiponem. Flor. vere. Ann. aut Bienn.

Affinis Lycopsidi-vesicariæ *Linn.*; *sed bracteæ non ovato-acutæ, corolla non exserta, limbus non cærulescens, sed atro-purpureus, seu fuscus.*

173. SYMPHYTUM.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla tubo brevi, limbo tubulato, ventricoso, erecto, quinquedentato; fauce radiis quinque, limbo brevioribus, subulatis, in conum conniventibus, clausa.

1. SYMPHYTUM *officinale*.

S. Foliis ovato-lanceolatis, decurrentibus. *Linn.* Lusit. *Consolda maior.*

Hab. in umbrosis humidis in Duriminia, ex fide P. *Christophori dos Reis.* Flor. æstate. Peren.

174. LYCOPSIS.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla infundibuliformis, tubo incurvato, limbo quinquefido; fauce squamulis quinque, convexis, conniventibus, clausa.

1. LYCOPSIS *arvensis.*
   L. Foliis lanceolatis, hispidis: calycibus florescentibus erectis. *Linn.*
   Hab. supra *Bragança* in agris prope *Franôa.* Fl. Maj. Ann.
   Ex fide Cl. C. Hoffmansegg.

175. HEDERA.

Flores umbellati, involucro minimo, multidentato: calyx quinquedentatus, minimus, germen cingens: corollæ petala oblonga: bacca globosa, pentasperma, calyce coronata.

1. HEDERA *Helix.*
   H. Foliis ovatis, lobatisque. *Linn.*
   Lusit. *Héra.*
   Hab. freq. ad sepes, muros, scopulos, arbores, parasitice. Flor. autumno. Frutex.

176. VITIS.

Calyx quinquedentatus, minimus: corollæ petala quinque, caduca: stylus nullus; stigma capitatum: bacca rotunda, rarius ovata aut ovalis, unilocularis, polysperma.

1. VITIS *vinifera*.
V. Foliis lobatis, sinuatis, nudis. *Linn.*
Lusit. *Videira*.
* Coluntur quamplurimæ varietates, ex quibus perampla vineta, præsertim in Extremadura, in Beira boreali, et Transmontana ad Durium. Flor. primo vere. Frutex, interdum arbor.

177. RHAMNUS.

Calyx urceolatus, quadri-quinquefidus: cor. petala quatuor, aut quinque, minima, squamiformia, ad basin laciniarum calycis: stamina quatuor aut quinque: bacca tri-tetrasperma.

1. RHAMNUS *Lycioides*. Linn.
R. Spinis terminalibus: foliis linearl-lanceolatis, obtusis, glabris.
Hab. circa Olisiponem ad rupes, in dumetis arenosis de *Caparica* ad oram maritimam, et in collibus de *Villa Franca*. Flor. æstate. Frutex.
Masculi calyce quadrifido.
Obs. R.-oleoides *Linn. forte hujus varietas est.*

2. RHAMNUS *Frangula.*

R. Inermis: floribus monogynis, hermaphroditis: foliis integerrimis. *Linn.*

Lusit. *Frangula*, *Sanguinho da agua*, *ou Amieiro negro.*

Hab. in humidis, ad sylvas, rivulos inter *Semide* et *Lousãa*, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jun. et Jul. Arbusculum.

3. RHAMNUS *Alaternus.*

R. Inermis: floribus dioicis: stigmate triplici: foliis serratis. *Linn.*

Lusit. *Aderno bastardo*, *ou Sanguinho das seves.*

Hab. freq. ad sepes circa Conimbricam et alibi in Beira, et aliis provinciis. Flor. vere. Frutex.

* Colitur varietas foliis variegatis, Lusitanis *Phillyrea bastarda*, *ou dos Jardineiros.*

Interdum floribus polygamis monoicis variat.

4. RHAMNUS *buxifolius*?

R. Ramis annosis spina terminatis: foliis brevissime petiolatis, ovalibus, integerrimis, venosis.

Hab. ad Durium prope *Pezo da Regoa*, et ad ripas Anæ prope Myrtilem. Flor. vere. Frutex. *Ex Cl. Link.*

5. RHAMNUS *Zizyphus.* Linn.

R. Aculeis geminatis, altero recurvo: floribus digynis: foliis ovato-oblongis, serratis, lævibus: fructibus oblongis.

Lusit. *Açufeifa maior*, *Anafega maior*, *ou Maceira da anafega maior.*

* Colitur in Algarbiis. Flor. vere. Arbor.

Flores rarissime monogyni, aut trigyni. Fructus oblongi, quasi olivari forma, maiores quàm in subsequenti. Vid. La Marck. Dict. Bot. Enc.

6. RHAMNUS *Lotus.* Linn.

R. Aculeis geminatis, altero recurvo: floribus digy-

gynis: foliis subovalibus, obsolete crenatis: fructu rotundo.

Lusit. *Açufeifa menor, ou Anafega menor.*

* Colitur in hortis circa Olisiponem, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. vere. Arb.

Similis culturâ facta est præcedenti; sed folia non similiter serrata, drupa minor, et constanter rotunda: est ergo varietas Rh. Loti *veri, Lusit.* Lodão verdadeiro.

178. ILLECEBRUM.

Corolla pentapetala, petalis acuminatis, persistentibus: capsula unilocularis, quinquevalvis, monosperma.

1. ILLECEBRUM *verticillatum.*

I. Floribus verticillatis, nudis: caulibus procumbentibus. *Linn.*

Hab. freq. in pascuis udis circa Conimbricam, ad ripas Mundæ, et alibi in Beira, Interamnia, et Transmontana. Flor. æstate. Ann.

2. ILLECEBRUM *cymosum.*

I. Spicis cymosis, secundis: caule diffuso. *Linn.*

Hab. freq. in arenosis circa Conimbricam. Flor. vere et æstate. Ann.

3. ILLECEBRUM *echinatum.*

I. Caule ramoso, prostrato: floribus glomeratis, axillaribus, nudis: calycibus inferne ventricosis, hirsutis, apice longe aristatis, rigidis. *Broter.*

Paronychia Lusitanica Polygoni folio; capitulis echinatis. Tournefort. J. R. H. 508.

Hab. in arenaceis circa Conimbricam. Flor. vere et æstate. Ann.

4. ILLECEBRUM *Paronychia.*

I. Floribus bracteis nitidis obvallatis : caulibus procumbentibus : foliis lævibus. *Linn.*

Lusit. *Herva prata*, *Paronychia de Clusio*, *ou Herva dos unheiros.*

Hab. freq. in glareosis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Peren.

179. THESIUM.

Corolla quinquefida, cui stamina inserta: pericarpium nullum : semen unum corollæ fundo contentum.

1. THESIUM *linophyllum.*

T. Panicula foliacea, foliis linearibus. *Linn.*

Hab. in montosis *Gerez.* Flor. Jun. Jul. Ann.

Thes.-*pratense nonnullorum Recentiorum* ; *folia et bracteæ* 3 *sub quovis flore*, *ad lentem margine scabriusculæ.*

SECTIO II.

Simpliciflora monoclina ; antheris aliqua sui parte coalitis.

180. LOBELIA.

Calyx quinquefidus, minimus : corolla monopetala, tubo cylindraceo, superne dorso longitudinaliter divisa, limbo quinquepartito, irregulari : stigma hispidum : capsula ovata, bi-trilocularis, bi-trivalvis.

1. LOBELIA *urens*. Linn.

L. Caule erectiusculo : foliis radicalibus subrotundis, crenatis ; inferioribus et superioribus lanceolatis, serratis : floribus racemosis.

Hab. in uliginosis. Flor. Mai. et Jun. Ann.

Varietas est Lob.-urentis *Linn.* ; *folia enim inferiora non subrotunda, sed solum radicalia prima.*

2. LOBELIA *Laurentia*. Linn.

L. Foliis sublanceolatis, obtusiusculis, subcrenatis : caule subramoso : pedunculis solitariis, unifloris, filiformibus, longissimis.

Hab. freq. in umbrosis humidis ad Tagum, et ad ripas Mundæ, alibique in montosis subhumidis circa Conimbricam. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Variat caule duas ad quinque uncias alto, foliisque maioribus, subcrenatis et crenatis.

181. VIOLA.

Calyx pentaphyllus, foliolis basi productis: corolla irregularis, pentapetala, petalo supremo calcarato: stamina appendicibus duobus nectarium intrantibus: capsula unilocularis, trivalvis.

1. VIOLA *hirta.*

V. Subacaulis: foliis petiolisque hirsutis: pedunculis infra medium bracteatis. *Curtis. Fl. Lond.*

Hab. in *Gerez* ad ripas rivorum freq. Flor. Junio. Peren.

Corolla pallida, et folia obtusiora, quàm in Viola- hirta, *attamen varietas V.-*hirtæ *Linn. esse videtur.*

2. VIOLA *odorata.*

V. Acaulis: foliis cordatis: stolonibus reptantibus. *Linn.*

Lusit. *Viólas, ou Violettas.*

Hab. in Castanetis de *Monchique* in Algarbiis, et colitur frequens in hortis. Flor. Mart. usque ad Maj. Peren.

3. VIOLA *canina.* Linn.

V. Caule adultiore adscendente: foliis cordatis, oblongiusculis.

Lusit. *Violettas bravas, Beneffe da Beira.*

Hab. freq. ad sepes, in sylvaticis humidis, et pascuis. Flor. Mart. usque ad Jun. Peren.

Variat foliis obtusioribus, et rotundioribus. Stipulæ sunt dentato-ciliatæ.

4. VIOLA *Ruppii.* Allion.

V. Caule erecto, multifloro: foliis subcordato-lanceolatis, serratis, acutis.

Hab. In *Gerez*. Flor. vere. Peren.

Varietas facile præcedentis. Ex D. Link.

5. VIOLA *Lusitana.*

V. Foliis ovato-lanceolatis, obtusis, obsolete serratis, glabris: caule debili, adscendente: stipulis ad basin hinc serrato-bidentatis: nectariis calyce longioribus. *Broter.*

Phyt. Lusitan. fasc. 1. *n.* 11.

Hab. in dumetis montosis in Beira boreali, raro circa Conimbricam. Flor. Apr. et Maj. Peren.

Affinis V.-pumilæ *D. Villars*, *et V.*-Ruppii *D. Allioni*: *attamen diversa species.*

6. VIOLA *tricolor.*

V. Caule diffuso: foliis oblongis, incisis: stipulis pinnatifidis, stigmate urceolato. *Linn.*

Lusit. *Flor Seraphica*, *Amor perfeito dos floristas*, *herva da Trindade.*

Hab. in vineis, et inter segetes circa Olisiponem. Colitur freq. in hortis, et postea spontanea evenit. Flor. vere et æstate. Ann.

Viola flore omnino luteo Herminii, *facile hujus varietas est.*

7. VIOLA *arvensis.*

V. Foliis ovato-oblongis, dentatis: floribus calyci hirsuto æqualibus: stipulis pinnatifidis: stigmate urceolato. *Broter.*

Hab. inter segetes, et in arvis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Apr. usque ad Jul. Ann.

Affinis præcedenti; *sed corollâ constanter calycibus subæquali differt.*

8. VIOLA *arborescens.* Linn.

V. Caule fruticoso: foliis lanceolatis, subintegerrimis: stipulis pinnatifidis: stigmate urceolato.

Hab. prope Promontorium sacrum, vulgò *Cabo de S. Vicente* in Algarbiis. Flor. vere. Suffrutex.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

182.

182. IMPATIENS.

Calyx diphyllus, deciduus: corolla pentapetala, irregularis; nectarium calcaratum: capsula unilocularis, quinquevalvis, elastice desiliens, valvis spiraliter intortis.

1. IMPATIENS *Balsamina.*
I. Pedunculis unifloris, aggregatis: foliis lanceolatis, superioribus alternis: nectariis flore brevioribus. *Linn.*
Lusit. *Melindre, ou Papagayos.*
* Colitur freq. in hortis, cujus quamplurimæ in corollæ coloribus varietates. Flor. æstate. Ann.
Capsula elastice verè debiscens.

SECTIO III.

Simpliciflora diclina: staminibus liberis.

183. CERATONIA.

Flores polygami: perianthium quinquefidum: corolla nulla: filamenta sæpius quinque, rarissime sex, septem: germen, disco carnoso quinquelobo, extus staminifero, cinctum: legumen compressum, coriaceum, loculis pulposis: sem. dura, nitida.

1. CERATONIA *Siliqua.* Linn.
Lusit. *Alfarrobeira.*

Hab. freq. in Algarbiis, etiam in *Serra d'Arrabida*, et alibi in Extremadura et Beira, sed rarior.

Quatuor in Algarbiis coluntur varietates, quarum fructus nuncupantur vulgo : 1. Alfarroba de Burro, *subadstringens* : 2. Alfarroba galhosa, *siliqua curva, torulosa, saccharina, edulis* : 3. Alfarroba mulata : 4. Alfarroba canella, *quæ omnes tam brutis animalibus quàm homini alimenta et medicamina præstant, ideoque magni æstimantur.* (*Ex A. J. Neves.*)

SECTIO IV.

Simpliciflora diclina ; staminibus per syncretismum coalitis.

184. BRYONIA.

Flores monoici, in nostrâ sæpe dioici. Calyx quinquedentatus, corollæ campanulatæ, quinquepartitæ, adnatus.

Masc. Stamen unum, simplex, alia per paria composita, duobus filamentis duabusque antheris per syncretismum coalitis.

Fœm. Stylus tri-quadrifidus : bacca (s. peponium) subglobosa, polysperma.

1. BRYONIA *dioica.*

B. Foliis palmatis, utrinque calloso-scabris : floribus dioicis.

Lusit. *Norça branca, Bryonia.*

B.

B.-alba *var.* β *Linn.*
Hab. freq. ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jul. et Aug. Peren.

185. MOMORDICA.

Flores monoici. Calyx monophyllus, quinquefidus, corollæ quinquepartitæ, rugosæ, adnatus.

Masc. Stamen unum, simplex, monandrum; duo composita, seu per paria syncretismo coalita, diandra.

Fœm. Stamin. filamenta tria, castrata: stylus trifidus: bacca (s. peponium) sicca, oblonga, elastice desiliens, trilocularis, polysperma.

1. MOMORDICA *Elaterium.*
M. Pomis (peponiis), hispidis, (subechinatis): cirrhis nullis. *Linn.*
Lusit. *Pepino de S. Gregorio.*
Hab. in solo raro, ruderatis de *Pedrulha* et *Alcarraques* prope Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Peren.

186. CUCUMIS.

Flores monoici. Calyx campanulatus, quinquedentatus: corolla quinquepartita, calyci adnata.

Masc. Filamenta, ut in Momordica.

Fœm. Stylus cylindraceus, brevissimus; stigmata tria, bipartita, extrorsum versa: bacca (s. peponium) magna, succosa, polysperma, trilocularis, non elastice desiliens: semina gemino ordine, compressa, margine acuto.

1. CUCUMIS *Melo.*
 C. Foliorum angulis rotundatis. *Linn.*
  Lusit. *Melão.*
* Coluntur ipsius frequenter quamplurimæ varietates in hortis, vineis novellis, vallibus, in omnibus Lusitaniæ Provinciis, maxime in agris ad Tagum et Mundam. Flor. æstate. Ann.

2. CUCUMIS *sativus.*
 C. Foliorum angulis rectis. *Linn.*
  Lusit. *Pepino.*
* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann. Colitur etiam varietas minor, vulgo *Cornichão*, acetariis usitata.

187. CUCURBITA.

Flores monoici. Calyx campanulatus, quinquedentatus: corolla quinquefida, calyci adnata.

Masc. Filamenta superne coalita; antheræ lineares, sursum deorsumque repentes.

Fœm. Stylus conicus, apice trifidus; stigma unicum, trilobum: bacca (sive peponium) magna, carnosa, polysperma; semina margine tumido, obtuso.

1. CUCURBITA *lagenaria.*
   C. Foliis subangulatis, tomentosis, basi subtus biglandulosis: pomis (peponiis) lignosis. *Linn.*

* Colitur frequens in hortis tam varietas teres oblonga, Lusit. *Colombro*, *Cabaço*, *Abobara de Carneiro*, quàm varietas pyriformis, Lusit. *Abobara cabaça de vinho.* Flor. æstate. Ann.

Corolla alba, patentissima, substellata: semina apice truncato-emarginata.

2. CUCURBITA *Pepo.*
   C. Foliis lobatis: pomis (peponiis) lævibus. *Linn.*

* Colitur in hortis, et agris frequentissime in tota Lusitania. Flor. æstate. Ann.

Corolla lutea, campanulata.

Varietates, quæ a Lusitanis coluntur, præcipuæ sunt 1. Abobara porqueira *saginandis suibus dicata, parcius in usus culinares*; 2. Abobara meni-

nina; 3. Abobara moganga *ambæ usibus culinaribus frequentissime applicatæ*; 4. Abobara chila, ou chilacaiota, *quæ sacchara conditur.*

3. CUCURBITA *Citrullus.*
C. Foliis multipartitis. *Linn.*
Lusit. *Melancia.*

* Coluntur frequentissime non paucæ varietates et aliquæ maximæ molis gratique saporis in hortis, agris, præsertim ad Tagum, in Lusitania meridionali, et alibi. Flor. æstate. Ann.

Ultra istas species coluntur etiam, sed parcius, C.-ovifera, et verrucosa *Linn.*, *et* C.-mammillaris, *&c. de quibus Vide Cl. La Marck. Dict. Enc.*

SECTIO V.

Compositiflora vera, antheris coalitis, fructu gymno-monospermo. Composita, ex Syngenesia Linn.

* *Flosculis omnibus ligulatis et hermaphroditis.*

(A) *Receptaculo nudo: seminibus non papposis.*

188. LAPSANA.

Calyx angulatus, simplex aut calyculatus, calyculo brevi; foliolis interioribus erectis, conniventibus, canaliculatis, semina marginalia non involventibus.

1. LAPSANA *communis.*
L. Calycibus angulatis: pedunculis tenuibus, ramosissimis. *Linn.*
Lusit. *Lapsana.*

Hab.

Hab. ad sepes et in subumbrosis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Maj. et Jun. Ann.

2. LAPSANA *minima.*

L. Foliis oblongis, subcuneiformibus, dentatis: caule nudo, ramosiusculo: pedunculis superne incrassatis, fistulosis.

La Marck. Dict. Enc.

Hyoseris-*minima Linn.*

Hab. in solo macro montium de *Lousãa*, *Góes*, circa Herminium, *Viseu*, et alibi in Beira boreali. Flor. Jun. Jul. Ann.

Caules plures ex eadem radice, quatuor ad sex uncias alti, aphylli, squamis tamen subulatis ad ramificationes instructi. Calyx ventricosus: semina pappo nullo, vix margine obsoleto subcoronata.

189. RHAGADIOLUS.

Calyx subangulatus, calyculatus, calyculo minimo, foliolis interioribus canaliculatis, semina marginalia involventibus, demum patentissimis: semina disci sæpius abortiva, quæ pauca fertilia arcuata.

1. RHAGADIOLUS *eulis.*

R. Calycibus frutescentibus patentissimis: foliis inferioribus obtusissimis, lyratis, glabris.

Lapsana-*Rhagadiolus Linn.*

Hab. ad sepes, muros, collium declivia, et in subumbrosis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Variat caule subpiloso, foliis radicalibus, et inferioribus caulis subsinuatis, dentatis, oblanceolatis,

subpilosis, *maxime ad oras maritimas*, *qui tunc Laps.*-stellata *Linnæi est.*

(B) *Receptaculo nudo* : *seminibus pappo piloso aut subsetaceo.*

190. CHONDRILLA.

Calyx polyphyllus, cylindricus, calyculatus, calyculi foliolis paucis, brevibus, arcte appressis: semina scabra; pappus stipitatus, pilosus.

1. CHONDRILLA *juncea.*
C. Foliis radicalibus runcinatis; caulinis linearibus, integris. *Linn.*
Hab. in sabulosis de *Caparica* trans Tagum, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura, et Beira australi. Flor. Jun. usque ad Aug. Peren.
Caulis inferne hispidus : *flores parvi*, *lutei*, *tres ad quatuor sæpe*, *aut paulò ultra*, *alterne glomerati.*

2. CHONDRILLA *viminea.*
C. Foliorum ramentis cauli adnatis.
La Marck. Dict. Enc.
Prenanthes-*viminea. Linn.*
Hab. in solo raro, ad aggeres, vias, prope *Santarem*, *Pezo da Regoa*, et *Moimenta da Beira* ad rivum *Tavora.* Flor. æstate. Peren.

191.

191. LACTUCA.

Calyx polyphyllus, oblongus, subcylindricus aut basi subventricosus, foliolis imbricatis, inæqualibus, acuminatis, margine scariosis: pappus stipitatus, pilosus.

1. LACTUCA *sativa.*

L. Foliis rotundatis; caulinis cordatis: caule corymboso. *Linn.*

Lusit. *Alface.*

* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Ann.

Inter quamplurimas varietates, quæ passim coluntur, præcipuæ sunt.

α Lactuca sativa capitata. Lusit. *Alface repolhuda.*

β Lactuca sativa crispa. Lusit. *Alface crespa.*

γ Lactuca sativa longifolia, sive Romana. Lusit. *Alface Orelha de mula.*

Vid. La Marck. Dict. Enc. et Rozier. Dict. Univers. d'Agric.

2. LACTUCA *Scariola.* Linn.

L. Foliis semipinnatis, carina aculeatis, laciniis denticulatis, retrorsum arcuatis.

Lusit. *Alface brava menor.*

Hab. in ruderatis, ad margines agrorum, ad vias, aggeres circa Conimbricam et alibi. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Caulis inferne strigosus.

3. LACTUCA *virosa.* Linn.

L. Foliis infimis oblongo-ovalibus, indivisis, inæqualiter dentatis, carina aculeatis.

Lusit. *Alface brava maior.*

Hab. in humidis umbrosis, circa Conimbricam et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Caulis strigosus : folia interdum maculis fusco-rubris instructa.

4. LACTUCA *saligna.*

L. Foliis hastato-linearibus, sessilibus, carina aculeatis. *Linn.*

Hab. ad vias, aggeres circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jul. et Aug. Ann. aut bienn.

Caulis glaber : folia inferiora runcinata, pinnatifida, aut longè dentata, rarissime integra ; caulina longo-sagittata, amplexicaulia, costa albida, interdum strigis destituta ; sed caulis semper omnino glaber.

192. SONCHUS.

Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis, basi ventricosus : pappus sessilis, capillaris, mollissimus.

1. SONCHUS *oleraceus.* Linn.

S. Foliis amplexicaulibus, dentato-ciliatis : pedunculis apice subtomentosis : calycibus glabris.

Lusit. *Serralha.*

Cujus duæ præcipuæ varietates, 1. *S.*-oleraceus lævis, *Lusit.* Serralha branca, ou macia, *variabili magnitudine, foliis radicalibus sæpius runcinatis, aut sublyratis, planis, ad oras irregulariter dentatis, denticulis non pungentibus, nec vere spinosis* : 2. *S.*-oleraceus asper, *Lusitan.* Serralha preta, espinhosa, ou aspera, *quæ foliis integris, aut laciniatis, seu sinuatis, undulatis, dentato-spinosis, quasi ut in* Serratula-arvensi *Linn.*, *rarius tamen runcinatis, laciniis dentato-spinosis.*

Hab.

Hab. freq. ad sepes, in ruderatis, vineis, hortis, locisque tam cultis quam incultis. Flor. vere et æstate. Ann.

Pedunculi ætate glabri fiunt : calyx interdum hispidulus, et tunc nimis affinis Soncho-tenerrimo Linn., *qui pedunculis subhispidis, calycibus basi tomentosis, foliis runcinato-pinnatifidis, lævibus.*

2. SONCHUS *maritimus.*

S. Pedunculo nudo: foliis lanceolatis, amplexicaulibus, indivisis, retrorsum argute dentatis. *Linn.*

Hab. in maritimis humidis, maxime in *Costa da Trafaria* inter juncos. Flor. Aug. Septembri, et interdum Octobri. Peren.

3. SONCHUS *picroides.*

S. Foliis superioribus amplexicaulibus, integris, aut integerrimis; inferioribus subruncinatis: pedunculis squamosis.

Scorzonera-*picroides Linn.*

Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Fl. Maj. et Jun. Ann.

Pappus sessilis, non plumosus. Folia radicalia et infima caulis sæpe oblanceolata, dentata : pedunculi longiores et tenuiores, quam in subsequenti, a qua etiam foliis floribusque minoribus differt. Varietas Sc.-picroidis *Linn. mihi esse videtur.*

4. SONCHUS *Tingitanus.*

S. Foliis omnibus runcinatis, amplexicaulibus: pedunculis squamosis: calyce scarioso, late depresso-ventricoso.

Scorzonera-*Tingitana* Linn.

Hab. in Algarbiis, rarius alibi in Lusitania australi. Flor. vere et æstate. Ann.

Pappus sessilis, non plumosus. Folia subglauca, interdum quasi ut in Pap.-somnifero, *sed minora.*

193. HIERACIUM.

Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis, ovato-cylindraceus: pappus sessilis, sæpe rigidiusculus.

1. HIERACIUM *tuberosum.*
H. Foliis oblanceolatis, subdentatis, glabris: scapo superne hirto: calyce glabro.
Lusit. *Chondrilla de Dioscorides.*
Leontodon-*bulbosum Linn.*
Hab. freq. circa Conimbricam in pratis, agris, et sepibus. Flor. æstate. Peren.
Radix alba, hinc inde é filis tubera albida, subglobosa ferens, ex quibus, uti ex illis Solani-tuberosi, *aliæ novæ plantæ pullulescunt. Folia glaucescentia, denticulata. Pappus mollis, pilosus, sessilis: calyx imbricatus, subscariosus, cylindricus.*

2. HIERACIUM *Pilosella.*
H. Foliis integerrimis, ovatis, subtus tomentosis: stolonibus repentibus: scapo unifloro. *Linn.*
Lusit. *Pilosella das Boticas.*
Hab. in sylvaticis montosis *Gerez*, Herminii, et *Marão.* Flor. æstate. Peren.
Folia oblanceolata, supra pilosa, in cespitem congesta: scapus pilosus, quadriuncialis, aut paulo altior.

3. HIERACIUM *Sabaudum.*
H. Caule erecto, multifloro: foliis ovato-lanceolatis, dentatis, semiamplexicaulibus. *Linn.*
Hab. in montosis sylvaticis *de Bussaco*, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. æstate. Peren.

4. HIERACIUM *sylvaticum.*
H. Caule folioso, apice corymboso: pedunculis ra-

ramosis: foliis radicalibus ovati, acutis, dentatis, ad petiolum decurrentibus.

La Marck. Dict. Bot. Enc.

Hab. in umbrosis sylvaticis *Gerez*, et alibi in Lusitania boreali. Flor. æstate. Peren. *Ex Cl. Link.*

Occurrunt, nec raro, individua ita variata, ut eruere difficile sit, num potius ad istam, quam ad præcedentem speciem attineant; sunt enim istæ nimis affines, sæpe dubiæ, et ideo in unam conjungere ambo non incongruum.

5. HIERACIUM *lampsanoides.*

H. Caule folioso, hirsuto, multifloro: foliis radicalibus lyrato-runcinatis; caulinis amplexicaulibus; supremis cordatis, acutis, hirsutis.

La Marck. Dict. Bot. Enc.

Hab. in umbrosis montosis in Beira boreali, Interamnia, et Transmontana. Flor. æstate. Peren.

Folia caulina interdum medio angustata, et quasi panduriformia: nonnulla etiam ut illa Doronici.

6. HIERACIUM *amplexicaule.*

H. Pilis glanduliferis et glutinosis undique vestitum: caule ramoso, multifloro: foliis caulinis cordatis, subdentatis, amplexicaulibus.

La Marck. Dict. Bot. Enc.

Hab. in montanis *Gerez.* Flor. æstate. Peren.

7. HIERACIUM *umbellatum.*

H. Foliis linearibus, subdentatis, sparsis: floribus subumbellatis. *Linn.*

Hab. circa *Melgaço* ad Minium. Flor. Jul. Peren. *Ex Cl. C. Hoffmansegg.*

8. HIERACIUM *lanatum.*

H. Foliis oblongo-ovatis, crassis, subintegerrimis, tomentosis: pedunculis subramosis.

La Marck. Dict. Enc.

Andryala-*lanata* Linn.

Hab.

Hab. ad ripas Durii prope *Porto.* Flor. vere et æstate. Peren.

Ex Cl. Link.

9. HIERACIUM *intybaceum.* Allioni.

H. Caule subdichotomo, paucifloro: foliis oblongis, sublanceolatis, dentatis, hirsutis; caulinis subintegerrimis.

Hab. circa *Chaves* et *Bragança*, in Transmontana. Flor. æstate. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Flores magni, sulphurei: calix hirtus: pappus albicans.

194. CREPIS.

Calyx polyphyllus, per maturitatem torulosus, ventricosus, basi auctus foliolis in anthesi patulis, demum sæpius deciduis: pappus sessilis aut stipitatus, pilosus.

1. CREPIS *tectorum.* Linn.

C. Foliis radicalibus runcinatis, aut sinuato-dentatis; caulinis amplexicaulibus; superioribus sagittatis: caule subcorymboso.

Hab. ad vias, sepes, muros, frequens circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. vere. Ann.

Caules semipedales, pedales et altiores, plures ex eâdem radice, erectiusculi, aut basi parum declinati, sulcati, ramosi, sæpius glabri. Folia nimis polymorpha, radicalia sæpius runcinata, interdum sinuato-dentata, aut etiam oblanceolato-dentata, vel pinnatifida; caulina inferiora runcinata, interdum subhastata, aut subcordato-oblonga; basi semper dentata, uti plerumque superiora,

ra, quæ sagittata. Flores parvi, erecti: calyx sæpius glaber, ante florescentiam vix incanus. Semina pappo sessili. Variat caule, foliis, calyceque hirsutis, pro loci solique diversitate. An satis distincta á Crep.-Dioscoridis *Linn.? An hæ duæ tanquam ejusdem speciei varietates putandæ, et ideo in unam conjungendæ?*

2. CREPIS *intybacea.*

C. Foliis radicalibus runcinatis, sive sublanceolatis: pedunculis extremis binis ternisve, subcorymbosis; fructificantibus revolutis: pappo stipitato. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 12.

Lusit. *Almeirôa.*

Hab. in cultis pinguibus, in solo calcareo, humoso, et ad vias circa Conimbricam, Olisiponem et alibi. Flor. mensibus vernis. Ann.

195. TOLPIS.

(*Gaertner*, et *La Marck.*) Calyx duplici serie polyphyllus, subæqualis, squarrosus, basi circumvallatus foliolis setaceis, sparsis, per maturitatem falcato-incurvis: radii semina, corona brevi, ciliata, simpliciter instructa; disci, pari corona insimulque setis, una, duabus, aut quatuor, terminata.

1. TOLPIS *barbata.*

T. Foliis radicalibus oblanceolatis, dentatis: caule ramoso: pedunculis sub calyce barbatis.

Lusit. *Leituga.*

Crepis-barbata Linn.

Hab. frequens in glareosis *de Caparica*, ad sepes circa Olisiponem, Conimbricam et alibi in Beira semper in solo raro. Flor. Jun. Jul. Ann.

Folia radicalia oblanceolata, dilute viridia, scabriuscula, dentata, aut sinuato-dentata, subpinnatifida, in rosulam prostrata. Corollæ ligulæ exteriores sulphureæ, disci centrales atro-purpurascentes. Folioli exteriores calycis setacei, interioribus longiores, laxe sparsi, per maturitatem falcato-incurvi.

196. HYOSERIS.

Calyx polyphyllus, basi foliolis brevibus arctis calyculatus, subglobosus aut oblongiusculus basi crassiori, demum sæpe patulus: semina radii calycis foliolis involuta, apice coronâ ciliatâ obsoletâ, intra quam in centralibus pappus paleaceus, aut setis etiam immixtus, terminata.

1. HYOSERIS *Hedypnois. Linn.*
   H. Fructibus ovatis, glabris: calycibus torulosis: caule folioso, ramoso.
   Hab. in glareosis, ad aggeres, vias circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.
2. HYOSERIS *Cretica.*
   H. Calycibus fructiferis subglobosis, torulosis, piloso-scabris: caule folioso, ramoso.
   La Marck. Dict. Enc.
   Hyoseris-Cretica *Gaertner de Fr. t.* 160. *f.* 3.
   Hab. cum præcedente, cujus forte varietas. Flor. eisdem mensibus. Ann.

An

An Hyos. *rhagadioloides et Cretica* Linn. *huic referendæ?*

3. HYOSERIS *scabra.* Linn

H. Scapis unifloris, brevibus, foliis pinnatifidis, sublyratis, glabriusculis; laciniis dentatis, erectiusculis, terminali triloba.

Hab. in collibus calcareis *de Alcantara* prope Olisiponem. Flor. Febr. Mart. Ann.

Radix fusiformis, crassitudine ad collum pennæ anserinæ. Folia omnia radicalia, in orbem posita, quatuor ad sex uncias longa, plurima, pinnatifida, sublyrata, interdum subruncinata; exteriora glabra, aut vix costa et venis villosa, nec tamen scabra; intima seu juniora, subvillosa et polline pellucido adspersa; laciniæ laterales sensim ad petioli basin decrescentes, subalternæ, dentatæ, hinc inde (lente visæ) subciliatæ, posticè erectiusculæ, extrema triloba, lobulis itidem dentatis. Scapi plures, 5 ad 8, obliqui, fistulosi, substriati, superne incrassati, glabri, juniores, hyalina farinâ leviter adspersi, omnes sæpe foliis valde breviores. Calyx oblongus, inferne crassior seu subventricosus, arctus, angulosus, basi auctus; folioli interni sex ad octo, æquales, subcarinati, glabri, costa tamen ad apicem hispiduli, externi acuti, subæquales, adpressi, internis dimidio aut ultra breviores. Corolla lutea, parva; flosculi radiantes decem ad duodecim; disci sex ad octo. Semina radii oblonga, compressiuscula, lateribus acutiuscula, leviterque scabra, calycis foliolis tecta, loco pappi margine denticulato coronata; disci sæpe fere omnia sterilia, exsucca, pappo tamen sessili, aristato insuperque setaceo, instructa.

(C) *Receptaculo nudo: seminibus omnibus, aut saltem centralibus, pappo plumoso instructis.*

197. TARAXACUM.

Calyx polyphyllus, foliolis interioribus arctis, æqualibus; exterioribus squarrosis, inæqualibus, reflexis aut patulis; utrisque demum reverse pedunculo subappressis: pappus stipitatus, pilosus, pilis denticulatis.

1. TARAXACUM *officinale.*
T. Scapo unifloro: foliis runcinatis, acute dentatis, glabris: squamis calycinis exterioribus reflexis.
Lusit. *Taraxaco, ou Dente de Leão.*
Leontodon-Taraxacum *Linn.*
Hab. in pratis, vallibus humidis, subumbrosis circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere et æstate. Peren.
Variat foliis angustis.

198. LEONTODON.

Calyx polyphyllus, foliolis subimbricatis, aut paucis brevibus appressis calyculatus; semina radii et disci, pappo plumoso, sessili, coronata.

1. LEONTODON *tuberosum. Linn.*
L. Foliis runcinatis, scabris: calyce acuto, hirsuto: scapis unifloris.
Hab. prope *Grandola* in Transtagana. Flor. vere. Peren.
Ex Cl. Link.

199. THRINCIA.

(*Roth.*) Calyx sæpius octangulus, rarius decangulus, polyphyllus, calyculatus; foliolis calyculi brevibus, appressis: semina radii truncata, coronâ paleaceâ multidentatâ terminatà, calycisque foliolis involuta; disci pappo plumoso prædita, centralia stipitata: receptaculum subalveolosum.

1. THRINCIA *grumosa.*
T. Radice fasciculata: scapis unifloris: foliis runcinatis, hirtis, pilis bifurcis, trifurcisve: calyce sæpius piloso, subtoruloso. *Broter.*
Hab. in agris subarenosis, ad vias, aggeres circa Co-

Conimbricam, sed infrequentior subsequente. Fl hyeme, vere, et interdum Julio. Peren.

Radix nunc fusiformiter sese in terram trudit, sensim, inter radiculas filiformes, nonnullas (duas ad sex) crassiores, oblongo-tuberosas, aut etiam fusiformes, semper longis filis terminatas, lateraliter ferens; nunc paulo infra ejus collum, seu caudicem descendentem crassum, radices tres ad quinque fasciculatas, uti Ranunculi quidam, profert, quarum quælibet collo communi valde crassior, aliæ subglobosæ, aliæ napiformes aut fusiformes, aliæ ovales, ut in Asphodelis, aut etiam valde oblongæ, semper filo longo terminatæ, apice et basi angustiores: crassitudine variantes pro soli conditione; in solo raro graciliores, in arenoso-calcareo fere digiti minimi crassitudinem adpiscentes: plus minusve putrescunt quotannis, aliæ novæ ex ipsis pullulantes, atque etiam, in solo pingui, ex unius individui una plures, perinde ac Ranunculaceæ sese habentes. Folia omnia radicalia quatuor ad sex uncias longa, septem ad quatuordecim lineas superne lata, runcinata semper in omnibus individuis, quæ observavi, obtusiuscula; laciniis lateralibus integerrimis, versus basin curvatis, superne ad oras, et subtus ad costam hirta, pilis bifurcis aut nonnullis trifurcis, saturate viridia, basi in petiolum attenuata. Scapi plures ex eadem radice, filiformes, sulcati; præsertim infra medium pilis furcatis adspersi, foliis paulo longiores, unifiori, squamis nudi, rarissime autem pilis. Calyx sæpius octophyllus, et pilosus, rarissime glaber, torulis sulcisque octo, rarius decem, basi foliolis paucis, inordinatis, adpressis, calyculatus; ante florescentiam nutans. Corolla composita lutea, mediocris. Semina intermedia disci interdum pappo sessili plumoso, centralia stipitato, coronata.

Plan-

Planta inter Botanicos nimis dubia : sæpius pro varietate Leont.-hirti *Linn.*, *nonnunquam etiam pro varietate Leont.*-tuberosi *ejusdem Botanici habetur.*

2. THRINCIA *hispida.*

T. Radice simplici, fibris non incrassatis : scapis unifloris : foliis oblanceolatis, sinuato-dentatis, hispidis, pilis furcatis : calyce subtoruloso.

Hab. frequentissime cum præcedente, et in tota fere Lusitania. Flor. hyeme et vere. Ann.

Thrincia-hispida *Cl. Roth. Catal. Bot. p.* 99.

An Hyoseris-*taraxacoides*? *La Marck. Dict. Bot.*?

Variat scapo et calyce nunc glabris, nunc pilosis. Sat similis præcedenti, sed differt radice annua, non fasciculata, foliis nunquam runcinatis, seminibus disci intermediis sæpius pappo stipitato instructis.

200. PICRIS.

Calyx polyphyllus, breviter calyculatus, calyculi foliolis interdum laxis : semina transversim striata : pappus sessilis.

1. PICRIS *hieracioides.*

P. Foliis scabris, integris : pedunculis squamatis in calycem. *Linn.*

Hab. in Beira ex *Agueda* ad Durium, frequens ad sepes, sylvas, pomaria, in Lusitania boreali. Fl. Julio et Augusto. Peren.

Caulis sesquipedalis et altior, ramosus, angulosus, pilis scaber. Folia alterna, lanceolata, sessilia, amplexicaulia, scabra, undulata, denticulata : calycis foliola laxa, lanceolata, scabra.

201. HELMINTIA.

(*Jussieu.*) Calyx polyphyllus, calyculatus, calyculi foliolis interdum latioribus, amplis obtectus: semina transversim striata: pappus stipitatus.

1. HELMINTIA *echioides.*
H. Foliis integris, asperrimis, setis basi mamillo instructis: calyculo pentaphyllo, foliolis subcordatis, hispidis, calyce interno aristato maioribus.
Picris-echioides *Linn.*
Hab. inter segetes frequens. Flor. vere et æstate. Ann.
Variat in calcareis, sicut etiam in argillosis, habitu humiliori, asperiori.

202. SCORZONERA.

Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, inæqualibus, margine scariosis: semina oblonga, sursum attenuata: pappus sessilis.

1. SCORZONERA *Hispanica.*
S. Caule ramoso: foliis amplexicaulibus, integris, serrulatis. *Linn.*
Lusit. *Escorcioneira.*
Hab. in Beira boreali, etiam prope *Miranda do Doiro*, et alibi in Transmontana. Flor. Maj. et Jun. Peren.

2.

2. SCORZONERA *fistulosa.*

S. Caule adscendenti, articulato, fistuloso: foliis fistulosis, ad apicem subulatis: calycis foliolis subcarinatis.

Hab. in humidis et graminosis inter *Figueira* et *Mira*, in Beira. Flor. Jul. et Aug. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Planta glabra. Radix fibrosa et repens. Caulis adscendens, teres, articulatus, fistulosus, ramosus. Folia fistulosa, cylindracea, stricta, ad apicem subulata. Pedunculi recti, longi, apice subvillosi. Perianthium mediocre, foliolis carinatis, carina scabriuscula, subvillosa. Corolla stramineo-lutea.

3. SCORZONERA *humilis.*

S. Caule simplicissimo, subnudo, unifloro: foliis lanceolatis, nervosis, planis.

Hab. in subumbrosis, et humidiusculis circa *Torres Vedras*, et Conimbricam alibique in Extremadura et Beira australi. Flor. vere. Peren.

Varietas Sc.-humilis *Linn.*; *differt ab illa habitu minori; folia enim anguste lanceolata, seu lineari-lanceolata; caulis simplicissimus aut interdum simplex, uno alterove ramo, biflorus, semipedalis aut paulo altior, uno alterove folio exiguo, nec amplexicauli, instructus.*

203. TRAGOPOGON.

Calyx simplex, pyramidatus, monophyllus, laciniis æqualibus, inferne coalitis: pappus stipitatus, stipite subulato, interdum curvo.

1. TRAGOPOGON *picroides*. Linn.
T. Calyce aculeato: foliis runcinatis, denticulatis: pappi stipite basi cavo.
Hab. in collibus circa Olisiponem, ad muros, vias circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere et æstate. Ann.

2. TRAGOPOGON *pratense*.
T. Calycibus corollæ radium æquantibus: foliis integris, strictis. *Linn.*
Hab. in pratis, aggeribus circa *Bragança*, et alibi in Transmontana septemtrionali. Flor. Jun. et Jul. Ann. aut bien.

3. TRAGOPOGON *porrifolium*.
T. Calycibus corollæ radio longioribus: foliis integris, strictis: pedunculis superne incrassatis: corollulis angustissimis, truncatis. *Linn.*
Lusit. *Cersefi*, *ou Barba de bode*.
* Colitur freq. in hortis circa Olisiponem. Flor. vere. Ann.

(D) *Receptaculo paleaceo: pappo vario, aut nullo.*

204. GEROPOGON.

Calyx simplex, pyramidatus, polyphyllus, æqualis: pappi stipitati, in radio quinquearistati, in disco plumosi.

1. GEROPOGON *hirsutum.* Linn.
G. Foliis pilosis, lineari-lanceolatis, ciliatis, strictis: caule hirto: pedunculis superne incrassatis.
Hab. in arvis circa Olisiponem. Flor. vere. Ann.

205. HYPOCHÆRIS.

Calyx polyphyllus, foliolis inæqualibus, imbricatis: pappus plumosus, stipitatus, in radio interdum sessilis.

1. HYPOCHÆRIS *radicata.* Linn.
H. Foliis runcinatis, obtusis, scabris: scapo ramoso, basi piloso: pedunculis squamosis: seminibus omnibus stipitatis.
Hab. in agris, pascuis, sabulosisque circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Peren.
Variat, in solo pingui, scapo unifolio aut bifolio; foliis radicalibus glabris, et sinuato-dentatis; calycis foliolis internis apice fissis, externis nunc dorso pilosis, nunc glabris; sed semina tam radii quam disci semper stipitata, et pappus radiis distinctis constat.

2. HYPOCHÆRIS *hispida.*

H. Foliis obtusis, sinuato-dentatis, hispidis: scapo ramoso: pappo seminum marginalium sessili, lanato, disci stipitato. *Roth. Cat. Bot.*

Hab. in collibus *de Alcantara* prope Olisiponem, in agris et ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. et Jul. Ann.

Folia omnia radicalia, sinuato-dentata, apice laciniisque obtusis, in petiolum angustata, et quasi oblanceolata, hirsuta. Caulis unus aut pauci erecti, interdum centralis solum erectus, alii adscendentes, ramosi; ad ramorum exortum, et secundum ramorum pedunculorumque longitudinem squamosi, squamis distantibus, ovato-acutis, glabri, vixque ad ima pubescentes. Calyx oblongus, acutus, foliolis externis carinatis, nunc omnino glabris, nunc dorso hispidulis. Corolla composita lutea. Semina oblonga, fusca, striata, scabra, omnia pappo plumoso; radiantium pappus sessilis, radiis infra medium lana densa alba ligatis; disci stipitatus, radiis solutis.

Variat, in solo macro aridoque, habitu valde minori, caulibus numerosis (ad viginti), omnibus procumbentibus, seu adscendentibus, corolla minuta, foliolis calycinis paulo longiori, et florescentia præcociori.

3. HYPOCHÆRIS *dimorpha.*

H. Foliis obtusis, sinuato-dentatis, hispidis: scapo ramoso: pappo seminum marginalium sessili, lana destituto; disci stipitato. *Broter.*

Hab. cum præcedente. Flor. eisdem mensibus. Ann. aut bienn.

Similis præcedenti; sed pappus seminum marginalium nulla lana arachnoidea instructus. Variat foliis glabris; an varietas maior Hypoch.-glabræ *Linn.?*

206. CICHORIUM.

Calyx sæpius octophyllus, erectus, calyculatus foliolis quinque brevioribus, incumbentibus: receptaculum subpaleaceum: semina margine denticulato coronata.

1. CICHORIUM *Intybus.*
C. Floribus geminis, sessilibus: foliis runcinatis. *Linn.*
Lusit. *Almeirão.*
Hab. frequens ad vias, margines agrorum, pascuis, arvis, et inter segetes, in tota Lusitania. Flor. æstate. Peren.
Variat foliis oblanceolatis, dentatis; floribus albis, roseisque, ternis, pedunculatis.

2. CICHORIUM *Endivia.*
C. Floribus solitariis, pedunculatis: foliis integris, crenatis. *Linn.*
Lusit. *Chicoria, Escarolla, ou Endivia.*
* Colitur in hortis. Flor. æstate. Ann.
Tres maxime varietates coluntur.
1. C. Endivia latifolia, Lusit. *Escarolla, ou Endivia.*
2. C. Endivia crispa, Lusit. *Chicoria crespa.*
3. C. Endivia angustifolia, Lusit. *Chicoria branca.*

207. SCOLYMUS.

Calyx polyphyllus, ovatus, foliolis imbricatis, acutis, rigidis, pungentibus, basi foliolis aliis spinosis circumvallatus: receptaculum, convexum, aut conicum: semina apice penitus nudo.

1. SCOLYMUS *Hispanicus*. Linn.

S. Floribus congestis: foliis radicalibus lanceolatis, dentato-spinosis, subtus pubescentibus; caulinis ovatis, subdecurrentibus: caule interrupte subalato.

Lusit. *Cardo d'oiro, ou Cangarinha.*

Hab. frequens in calcareis, et agris circa Conimbricam, Olisiponem et alibi. Flor. æstate. Peren.

Radix fusiformis, ramosa, biennis, triennis et ultra. Caules sæpius duo aut tres ex eadem radice, erecti, aut obliqui, sesquipedales, bipedales, raro ultra, teretes, pilosi, inferne interdum purpurascentes, bialati, alis prope ramos interruptis, inferne ramosiores; ramis inferioribus altioribus, patulis, alternis, sensim superiora versus decrescentibus. Folia radicalia petiolata, sinuata, spinosa, undulata, prorsus viridia, supra subpubescentia, subtus ad costam et venas pilosa, oris marginalibus scabriusculis, non cartilagineis, neque prominentibus; caulina similia, sed sessilia, semiamplexicaulia, sensim versus apicem caulis decrescentia, decurrentia, sed ante proximum folium desinentia. Flores caulem et ramos terminantes, nonnulli axillares, tres-quatuor-quinqueve congesti,

fo-

foliis inæqualibus, tribus ad septem, ovatis, seu ovato-lanceolatis, dentato-spinosis, obvallati. Fructificatio valde similis Scol.-maculato, *sed calyx minus ventricosus, laxiusculus; corollulæ latitudine et longitudine maiores, tubo tumidiori, villis lutescentibus; antheræ luteæ; germen apice bisetum, setis longis, fragilibus, caducis; squamæ receptaculi illis subsequentis speciei similes, sed ad lentem apice minutissime denticulatæ: in seminum apice coronula non adeo obsoleta, et interdum residua duarum setarum brevia sat conspicua, quæ cito cadunt; dorsum seminis bicostatum, et squamæ adhærens.*

Foliorum petioli et costæ edules.

2. SCOLYMUS *maculatus.* Linn.

S. Floribus solitariis: foliis glabris, nitidis, ad oras cartilagineis, spinosis, usque ad ima caulis decurrentibus: caule multialato; ramis remotis.

Hab. inter segetes, et in collibus calcareis in Extremadura et Transtagana. Flor. Jun. Jul. Ann.

Radix tenuis, subramosa, annua. Caulis glaber seu subglaber, solitarius, tri-quadri-quinquepedalis, erectus, ex apice usque ad basin multialatus absque ulla interruptione, alis quatuor sive quinque, late sinuato-spinosis, venis et spinis albis, teres, albidus, ætate fistulosus, superne ramosior, ramis patentibus, etiam multialatis. Folia radicalia glabra, in orbem prostrata, petiolata, pinnatifida, marginibus albis ex vena elevatâ crassiusculâ, costâ et venis elevatis albidis, cætera læte viridia; caulina glabra, ovata, pinnatifida, seu potius late et profunde sinuata, sessilia, alterna, reflexa, maculata uti radicalia, decursiva, spinosa, spinis longissimis, præsertim terminali. Flores ad apicem caulis et ramorum, sæpius tres subumbellati, medius sessilis, laterales duo breviter pedunculati, pedunculis semiuncialibus, incurvis,

spi-

spinulosis, oppositis, sub quibus folia duo opposita; interdum pedunculi, seu ramuli hi duo laterales simili modo triflori sunt, ita ut inflorescentia trichotoma quasi sit. Flos singulus multibracteatus est, bracteis sæpius quinque, circa basin calycis erecto-patulis, pinnatifido-spinosis, calyce duplo triploque longioribus. Calyx ovatus, ventricosus, subglaber, arcte imbricatus foliolis inæqualibus, ovato-lanceolatis, acuminatis, triplicis ordinis, apice pungentibus. Corollulæ dimidio fere minores, quam in præcedenti, subtus pilis fuscis, apice tenuissime quinquedentatæ. Antherarum apices ex fusco crocei, basis leviter pilosa. Stigma bifidum, luteum, reflexum: stylus antheris longior, scabriusculus. Germen in radiantibus basi carnosæ foliolorum calycis infixum, ejusque substantia penitus obtectum, oblanceolatum, seu basi acuminatum, apice obtusum; in disco obovatum, dimidia parte inferiori singulæ squamæ obtectum, apice nullis setis instructum, vixque calyculo minimo denticulato obsoleto; squamulæ istæ subrotundæ, centrales oblongiusculæ, omnes albidæ, diaphanæ, integerrimæ, apice subemarginato, sursum incurvo; dimidia pars superior singulæ squamæ flosculos distinguit, nec aliæ squamæ inter flosculos observantur. Receptaculum conicum, punctis excavatis notatum, paleis nonnullis integerrimis, vagis, præsertim in centro, ex flosculis sterilibus, seu potius compressione suffocatis, instructum. Semina numerosa, mutuo arcte appressa, paleis albo-stramineis involuta, unde lateribus apiceque alata, pappo coronaque nullis, obovata (considerata ala), hinc convexiuscula duplicique linea longitudinali obsoletâ notata, hinc planiuscula cum linea media solitaria prominenti.

Scolymus-gymnospermos *Cl. Gærtner certe tam ab ista quàm a præcedenti specie, sat differens, cum sit*

sit receptaculo leviter convexo, ut fere plano, oblongis tecto paleis, carinatis, ciliatis, semine angustioribus, illudque non involventibus.

(E) *Receptaculo piloso: pappo piloso.*

208. ANDRYALA.

Calyx subglobosus, simplex aut subsimplex, æqualis, polyphyllus, villoso-tomentosus: pappus sessilis, calycis longitudine: receptaculum subalveolatum, raris pilis instructum.

1. ANDRYALA *corymbosa.* (La Marck.)
A. Foliis inferioribus sublanceolatis, sinuato-dentatis, undulatis, tomentosis; superioribus oblongis, subdentatis: floribus corymbosis.
And. *integrifolia sinuata* Linn.
Hab. ad margines viarum, agrorum, in pascuis circa Conimbricam et alibi. Flor. vere et æstate. Ann.

Variat interdum nimis, tàm foliis, et caulibus, quàm inflorescentia, forma et magnitudine, in arenosis humidis ad Tagum et Mundam.

Ad Mundam variat caulibus ex una radice ad quatuordecim, adscendentibus, octouncialibus, a basi ramosissimis, ramis alternis, inæqualibus, vagis, paniculatis; foliis radicalibus oblongis, sinuato-dentatis, dentibus acutis; caulinis omnibus sessilibus, cordato-oblongis, amplexicaulibus, aut semiamplexantibus, subundulatis, dentatis, acutis; bractea lineari-setacea sub calyce, aut paulo infra; paleis nullis, aut paucis in una serie in radio, minimis nec semina involventibus; calyce tredecim foliolis

una serie; corollis saturate luteis. Quæ fortè Andryala-runcinata (*Rothia*-andryaloides *Clar. Roth.*)

** *Flosculis omnibus tubulosis, ac hermaphroditis.*

(A) *Calyx communis basi ventricosus, superne angustior: corollulæ longæ: receptaculum planum.*

209. CINARA.

Calyx maximus, ventricosus, laxus, squamis numerosis, basi carnosis, apice subulato-unispinosis, aut emarginatis cum spinula: receptaculum magnum, carnosum, setosum.

1. CINARA *Scolymus.* Linn.
C. Foliis albo-viridibus, subspinosis, bipinnatifidis, aut raro indivisis: calycis squamis omnibus erectis, ovatis, emarginatis cum spinula, obtusisve cum mucrone.
Lusit. *Alcachofra hortense, ou de comer.*
* Colitur in hortis, Olisipone et *Porto.* Flor. Maj. et Jun. Peren.
Variat, etsi culta, foliis non spinosis, aut spinulosis; foliolis calycis inermibus, aut obtusis cum spina brevi, aut emarginatis cum spinula molli seu mucrone.
Coluntur præsertim duæ varietates.
1. C.-*Scolymus maior*, foliis inermibus, calyce viridi, maximo. Lusit. *Alcachofra Franceza, ou verde.*
2. C.-*Scolymus minor*, foliis subspinosis: calyce mi-

minori, atro-purpureo. Lusit. *Alcachofra Genoveza, ou roxa.*

Hæ et aliæ coitui florali et culturæ debentur, suntque hybridæ speciei subsequentis proles: facile enim, ut sæpius in horto Conimbricensi observavi, in illam demum transeunt, degenerant, atque exacte transmutantur. Dantur aliquot varietates intermediæ, calyce variæ magnitudinis, cujus folioli, aliis subacuminato-spinosi, aliis emarginati, seu obtusi cum brevi spinula, virides aut colorati sunt; foliis spinosis, minus tamen, quam in subsequenti.

2. CINARA *Carduncolus.* Linn.

C. Foliis spinosis, bipinnatifidis, utrinque subincanis: calycis squamis ovatis, inferioribus erectis: omnibus acuminato-spinosis.

Hab. in collibus in Transtagana, et ad sepes circa Olisiponem. Flor. Maj. Jun. Peren.

Dantur maxime duæ varietates.

1. C.-*Carduncolus sylvestris*, foliis plus laciniatis, incanis, spinosissimis, spinis longis, flavescentibus, quæ Lusit. *Cardo do coalho* appellatur: flosculis enim ejus coagulare lac ad casearia rustici solent, et Lusitaniæ indigena, præsertim Transtaganæ circa Pacem Juliam, omni procul dubio est.

2. C.-*Carduncolus hortensis*, foliis subincanis, spinosis, latioribus, cujus petioli esitantur, Lusitanis *Cardo hortense, ou de comer*, quæ in hortis Transtaganis, Olisipone et *Porto* colitur.

3. CINARA *humilis.* Linn.

C. Foliis spinosis, pinnatifidis, bipinnatifidisve, supra glabris, viridibus, subtus tomentosis: calycis squamis ovatis, acuminato-spinosis, inferioribus hamato-recurvis.

Lusit. *Alcachofra de S. João, ou Alcachofra brava.*

Hab. in Algarbiis, Extremadura, et Beira. Flor. Jun. Jul. Peren.

Dantur duæ varietates.

1. C.-*humidis sinuata*, foliis sinuatis, seu subpinnatifidis, irregulariter dentato-spinosis: caule sesquipedali, pedali, aut humiliori, quæ occurrit frequens in Transtagana inter Pacem Juliam et Myrtilem.
2. C.-*humilis lacinulata*, foliis bipinnatifidis, seu quasi bipinnatis, supra saturate viridibus, lacinulis linearibus, apice spinosis; flore cæruleo, rarius albo; quæ habitat in altioribus frigidioribus Transtaganæ et Algarbiorum, frequens in Extremadura, nec rara in calcareis Beiræ. Carduus-*Tingitanus* et *C. Andelusiacus* (Plukenet) huic referendi sunt. Mutuò una in aliam transit sexto aut septimo anno, pro climatis seu Provinciæ conditione: Transtagana Myrtilensis in Horto Conimbricensi sata, primùm folia sinuata, demum septimo anno et postea, ex iisdem radicibus folia bipinnatifida, exacte eadem, quæ C.-*humilis lacinulata*, protulit: semina etiam, quæ tunc longè à C.-*humili lacinulata* distans ferebat, sata cùm in eodem Horto essent, individua veræ C.-*humilis lacinulatæ* produxere.

210. CARDUUS.

Calyx ovatus, squamis imbricatis, exterioribus apice unispinosis: receptaculum pilosum aut setosum: pappus sessilis, pilosus, aut setoso-denticulatus.

1. CARDUUS *nutans.*
C. Foliis semidecurrentibus, spinosis: floribus cernuis: squamis calycinis superne patentibus. *Linn.*
Hab. frequens in collibus calcareis circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann. aut bienn.
In nostro calyx sæpius tantum subcernuus, squamis laxis, patulis.

2. CARDUUS *acanthoides.*
C. Foliis decurrentibus, sinuatis, margine spinosis: calycibus sessilibus, congestis, spinosis. *La Marck. Dict. Enc.*
Hab. frequens in ruderatis, ad vias circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Ann.

3. CARDUUS *Marianus.* Linn.
C. Foliis amplexicaulibus, sinuatis, dentato-spinosis: foliolis calycinis canaliculatis, duplicato-spinosis.
Lusit. *Cardo de Santa Maria, ou Cardo leiteiro.*
Hab. in calcareis circa Olisiponem et alibi in Extremadura, rarius circa Conimbricam et in Beira. Flor. æstate. Ann.
Folia magna, viridia, maculis albis picta.

4.

4. CARDUUS *cæruleus.*

C. Foliis lanceolatis, spinuloso-dentatis: caule paucifloro.

Carthamus-cæruleus *Linn.*

Hab. in collibus *de Alcantara*, et circa Conimbricam in calcareis. Flor. Jun. et Julio. Peren.

Variat foliis, præcipue radicalibus, pinnatifidis, et tunc nimis affinis Carth.-Tingitano *Linn.*; *sed ramis subcorymbosis.*

5. CARDUUS *lanatus.*

C. Caule piloso, superne lanato: foliis spinosis, inferioribus pinnatifidis; summis amplexicaulibus, dentatis.

Lusit. *Cardo sanguinho.*

Carthamus-lanatus *Linn.*

Hab. ad vias, in ruderatis, et collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

Flosculi lutei, et radiales in nostro fertiles sunt.

211. CNICUS.

Calyx ovatus, squamis imbricatis, spinosis, interdum bracteis foliisve spinosis obvallatus: receptaculum pilosum aut setosum: pappus sessilis, plumosus.

1. CNICUS *Syriacus.*

C. Foliis amplexicaulibus, angulato-spinosis: floribus solitariis, subsessilibus, foliolis subquinis ipsos obvallantibus.

Carduus Syriacus *Linn.*

Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem et alibi

in

in Extremadura, etiam in Beira inter Conimbricam et *Aveiro*. Flor. Jun. Jul. Ann.

Folia viridia, albo-maculata.

2. CNICUS *lanceolatus.*

C. Foliis decurrentibus, pinnatifidis, hispidis; laciniis divaricatis: calycibus ovatis, spinosis, villosis: caule piloso.

Carduus-lanceolatus *Linn.*

Hab. frequens in calcareis circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. æstate. Ann.

Folia saturate viridia, utrinque piloso-hispida, laciniis bilobis, aut trilobis, et apice spinosis.

3. CNICUS *palustris.*

C. Foliis decurrentibus, dentatis, margine spinosis: floribus racemosis, erectis: pedunculis inermibus.

Carduus-palustris *Linn.*

Hab. in uliginosis, umbrosis humidis, pratis, ad fontes circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Jul. et Aug. Peren.

4. CNICUS *bulbosus* (La Marck *Dict. Enc.*)

C. Caule paucifolio, tomentoso, subbifloro; foliis radicalibus lanceolatis, sinuato-pinnatifidis; laciniis sublobatis, margine et apice spinulosis; supremis caulinis sessilibus: floribus solitariis.

Hab. in dumetis, sylvaticisve inter Conimbricam et *Aveiro*, in pinetis *Serra do Dianteiro*, et alibi in Beira boreali. Flor. æstate. Peren.

Radix fasciculata, sive grumosa: folia radicalia, et infima caulis petiolata, subtus canâ lanugine tecta, supra virescentia, subtomentosa; caulina nulla decurrunt. Caulis simplicissimus, aut duobus ramis constat, striatus, lanuginosus, inermis, pedalis, aut sesquipedalis. Flos unus aut duo terminales. Calyx ovatus, foliolis lanuginosis, spinula molli terminatis.

Pro

Pro varietate Cardui-tuberosi *Linn. a nonnullis habetur ; sed folia nullo modo decurrentia sunt. Variat foliis profunde pinnatifidis , et flore albo.*

5. CNICUS *pinnatifidus.*

C. Foliis radicalibus pinnatifidis , lanceolatisve denticulatis , subvillosis : caule unifloro.

Carduus-pinnatifidus *Cavanilles. Icon.*

Hab. in dumetis *de Caparica* , circa *Caldas da Rainha* , et in ericetis *de Alcoentre* , *Rio Maior* usque ad *Redinha* et *Figueira.* Flor. Maj. et Jun. Peren.

Caulis tres ad quinque uncias altus.

6. CNICUS *arvensis.*

C. Radice repente : foliis semiamplexicaulibus , oblongis , sinuato-pinnatifidis , laciniis dentato-spinosis : calycibus oblongis , basi subventricosis , foliolis apice rigidulis.

Serratula-arvensis *Linn.*

Hab. inter segetes , vinetisque circa *Alcobaça* , Olisiponem , Conimbricam , et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Jul. et Aug. Peren.

7. CNICUS *Acarna.* Linn.

C. Foliis decurrentibus , angusto-lanceolatis , dentatis , spinis flavescentibus munitis : calycibus conicis , lanuginosis , foliolis pinnato-spinosis.

Hab. in collibus calcareis , seu argilloso-calcareis circa *Tancos* , *Thomar* , *Paialvo* , necnon circa Olisiponem , et alibi in Extremadura et Beira australiori. Flor. æstate. Peren.

Caulis pedalis , sesquipedalisve , ramosus , alatus , incanus , ut folia , corymbosus. Flores terminales , glomerati. Calyces oblongi , subconici , tomentosi , bracteis spinosis obvallati.

212. CARTHAMUS.

Calyx ovatus, subglobosus, foliolis imbricatis, in spinulam brevem desinentibus, exterioribus laxis, interioribus coarctatis: receptaculum pilosum: semina pappo nullo.

1. CARTHAMUS *tinctorius*. Linn.
C. Foliis ovatis, integris, serrato-spinulosis.
Lusit. *Açafrôa*.
* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann.

213. CARLINA.

Calyx ovatus, squamis imbricatis, exterioribus laxis, dentato-spinosis, intimis inermibus, cartilagineis, nitidis, coloratis, longis, radium corollæ mentientibus: receptaculum paleaceum, paleis apice multifidis: semina subglabra, aut villosa, pappo plumoso, radiis ramosis, basi coalitis.

1. CARLINA *Hispanica*.
C. Glabra; caule subdiviso, ramis unifloris; floribus luteis, terminalibus.
La Marck. Dict. Enc.
Hab. frequens ad vias, aggeres circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. æstate. Peren.

Caulis semipedalis, pedalis, et non raro ultra, glaber, subramosus, ramis erectis, subcorymbosis, parce inter se distantibus. Folia glabra, sinuato-dentata, spinosa, semiamplexicaulia. Flores diametro fere unius unciæ, maiores, quàm in C.-corymbosa.

An tamen varietas maior Carl.-corymbosæ *Linn.*?

2. CARLINA *racemosa.*

C. Floribus sessilibus, lateralibus, paucissimis. *Linn.*

Hab. in collibus freq. Flor. æstate. Ann.

214. CIRSELIUM.

(*Gaertner.*) Calyx bracteis et foliis spinosis circumvallatus, ovatus, squamis arcte imbricatis; exterioribus arachnoidibus; internis glabris, cartilagineis, omnibus apice rigido, acuminato, colorato, brevibus, nec radium mentientibus: receptaculum setaceo-paleaceum, paleis apice multifidis: semina lanâ, ipsis longiore, undique tecta: pappus plumosus, radiis simplicibus aut ramosis, basi coalitis.

1. CIRSELIUM *gummiferum.*

C. Flore acauli.

Lusit. *Carlina bastarda, Chameleão branco bastardo, ou Cardo do visgo.*

Atractylis-gummifera *Linn.*

Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam, Olisi-

siponem, et alibi in Beira australi, Extremadura et Transtagana. Flor. Jul. et Aug. Peren.

Calyx obvallatus foliis et bracteis tomentosis, sensim intus minoribus, spinoso-pinnatifidis, spinis palmatis; ovatus, foliolis inæqualibus, imbricatis, sursum sensim longioribus, lanatis, subulatis (apicibus rigidis, subsetaceis, purpureo-coloratis) intimis disco flosculoso paulo longioribus, omnino fere purpureo-coloratis. Flosculi omnes tubulosi, hermaphroditi, purpurei. Receptaculum paleaceum, paleis valde carinatis, basi solutis, fere longitudine calycis, concavis, apice multifidis, nonnullis setis immixtis. Semina lana rigidiuscula, paulo ipsis longiore, tecta; omnia fere sæpius ab insectis infestata et sterilia reddita. Pappus longissimus, multiradiatus, radiis plumosis, basi coalitis, singulis multiramosis, ramis quinque ad septem. Planta cum sequenti Carlinis valde affinis.

Radix crassa, inferne ramosa, cùm annosa semipedem superne lata, sesquipedem ad tres pedes longa, lacteis succis prædita, acris, graveolens. Male á Grisleyo, Vigier, et a Pharmacopolis Lusitanis pro Carlina-acauli, *quæ in Lusitania nusquam occurrit, huc usque habita est.*

2. CIRSELIUM *cancellatum.*

C. Flore bracteis arcuatis, pinnato-spinosis, obvallato: foliis lineari-lanceolatis.

Atractylis-cancellata *Linn.*

Hab. in calcareis et argilloso-calcareis collibus circa *Paialvo*, et alibi in Beira australiori, et in Transtagana. Flor. Julio et Aug. Ann.

Calyx ovatus, foliolis imbricatis, inæqualibus, sursum sensim longioribus, subovatis, acuminatis, inermibus, lanuginosis, intimis disco flosculoso paulo longioribus, apicibus subcærulescentibus, membranaceis, extus cinctus bracteis subglabris plurimis,

mis, arcuatis in peripheriam globosam sive inflatam, linearibus, pinnato-spinosis, spinis bifurcis trifurcisque; accedunt his circumcircà folia linearia, aut lineari-lanceolata, lanata, margine dentato-spinosa. Corolla parva, flosculi omnes tubulosi, hermaphroditi, cærulei. Antheræ caudatæ: stylus clavatus, apice leviter bifidus. Semina obovata, lanâ mollissimâ, ipsis valde longiori, tecta. Pappus plumosus, semine triplo longior, radiis numerosis, basi in annulum seminis lanæ adhærentem, et ipsâ obvallatum, coalitis. Receptaculi paleæ setis nonnullis immixtæ, profunde partitæ, albæ, calycis longitudine, inferne in alveolos connexæ, apice incisæ, laciniâ unâ saltem in setam terminatâ.

215. ONOPORDON.

Calyx magnus, ventricosus, squamis imbricatis, apice unispinosis: receptaculum favosum, paleis brevibus, in latos alveolos coadunatis: semina glabra: pappus pilosus, radiis basi coalitis.

1. ONOPORDON *Acanthium.*
O. Calycibus squarrosis, squamis patentibus: foliis ovato-oblongis, sinuatis. *Linn.*
Hab. in Transmontana et Beira boreali. Flor. Jun. et Jul. Bienn.
Ex Cl. C. Hoffmansegg.

2. ONOPORDON *Illyricum.*
O. Calycibus squarrossis, squamis inferioribus uncinatis: foliis lanceolatis, pinnatifidis. *Linn.*
Hab. in Algarbiis. Flor. Jun. Jul. Bienn.

Plan-

Planta cinereo-cana. Caulis alatus, sed alis non rectis nec latis, ut in præcedenti, sed angustioribus, undulatis: pedunculi non ad usque calycem alati, ut in On. Acanthio, sed infra calycem spatio quodam alis destituti. Flores maiores; calycis folioli latiores, inferiores reflexo-uncinati.

3. ONOPORDON *Arabicum.* Linn.

O. Calycinis squamis ovatis, acuminato-spinosis, erectis, arcte imbricatis.

Hab. circa *Villa Viçosa* in Transtagana, et in agris *de Vallada* ad Tagum in Extremadura. Flor. Jul. et Aug. Ann. aut bienn.

216. ARCTIUM.

Calyx subglobosus, squamis imbricatis, subulatis, rigidis, apice hamatis: receptaculum setaceum: pappus setaceus, radiis denticulatis, semine valde brevioribus.

1, ARCTIUM *Lappa.*

A. Foliis cordatis, inermibus, petiolatis. *Linn.*
Lusit. *Bardana maior*, *Bardana ordinaria.*

Hab. in ruderatis, ad vias, ad ima montium in umbrosis humidiusculis Lusitaniæ præsertim borealis. Flor. Jul. et Aug. Peren.

(B) *Calyx communis aut subcylindricus aut hemisphæricus, squamis inermibus, apice mollibus: corollæ breves: receptaculum planum, aut rarissime convexiusculum.*

217. SERRATULA.

Calyx subcylindricus, oblongus, squamis arcte imbricatis, erectis, lanceolatis: receptaculum setosum, aut brevissime subpaleaceum: pappus pilosus.

1. SERRATULA *tinctoria.*

S. Foliis lyrato-pinnatifidis, pinna terminali maxima: flosculis conformibus. *Linn.*

Lusit. *Serratula dos tintureiros.*

Hab. in summis jugis de *Lousãa*, et *Miranda do Corvo.* Flor. æstate. Peren.

Variat floribus albis, foliis omnibus integris, subovalibus; aut inferioribus integris, superioribus pinnatifidis, omnibus serrulatis.

2. SERRATULA *dubia.*

S. Foliis linearibus, denticulatis: squamis calycinis lanceolatis: pappis calyce duplo longioribus.

Stæhelina-dubia *Linn.*

Hab. in collibus calcareis *de Alemquer*, *Montagraço*, *de Fonte coberta*, circa Conimbricam, et alibi in Beira, Extremadura, atque etiam in Transtagana. Flor. Jun. et Jul. Suffrutex parvus.

Radii pappi basi coaliti: caulis et folia subtus tomentosa.

218. EUPATORIUM.

Calyx oblongus, subcylindricus, squamis inæqualibus, imbricatis, pauciflorus: stylus longissimus, ad stamina usque bifidus: receptaculum nudum: pappus subplumosus, aut capillaris.

1. EUPATORIUM *cannabinum.*
E. Foliis digitatis. *Linn.*
Lusit. *Eupatorio de Avicena, ou Trevo cervino.*
Hab. frequens in uliginosis, ad fluviorum et rivulorum ripas, in Lusitania boreali. Fl. æstate. Per.

219. BIDENS.

Calyx simplici fere serie polyphyllus, foliolis erectis, subæqualibus, sæpius bracteis obvallatus: corolla interdum uno alterove flosculo ligulato radiali instructa: receptaculum paleaceum: semina aristis duabus ad quinque, rectis, scabris, terminata.

1. BIDENS *tripartita.* Linn.
B. Foliis tripartitis: calycibus subfoliosis: seminibus erectis.
Hab. frequens in locis inundatis, uliginosis, fossis,

sis, et ad rivulos Lusitaniæ borealis. Flor. Aug. et Septembr. Ann.

220. SANTOLINA.

Calyx hemisphæricus, squamis inæqualibus, arcte imbricatis: receptaculum paleaceum: pappus nullus.

1. SANTOLINA *maritima*.

S. Pedunculis paucifloris, foliis lanceolatis, subcrenatis, obtusis, tomentosis.

Athanasia-maritima *Linn.*

Hab. in maritimis prope *Figueira*, *Áveiro*, *Viana*, et alibi. Flor. Aug. et Septembri. Peren.

Tota planta incano-subvillosa: flores pauci, simpliciter corymbosi: semina certe pappo destituta.

2. SANTOLINA *rosmarinifolia*.

S. Pedunculis unifloris: foliis linearibus, margine tuberculatis. *Linn.*

Hab. prope *Setubal.* Flor. Maj. Jun. Jul. Suffrutex.

Folia in caule florescente linearia, integerrima, ad apicem verò utrinque denticulata, inferiora tuberculata.

Occurrit etiam circa Bragantiam varietas minor foliis linearibus confertis, obtusis; floribus minoribus.

3. SANTOLINA *Chamæ-Cyparyssus*.

S. Pedunculis unifloris: foliis quadrifariam dentatis. *Linn.*

Lusit. *Abrotano femea, ou Guardaroupa.*

* Colitur in hortis. Flor. Jun. Jul. Frutex parvus.

Rami subfastigiati; folia incana.

4. SANTOLINA *erecta*.
S. Pedunculis unifloris : foliis bipinnatis : caulibus simplicibus. *Linn.*
Hab. rare in *Serra do Rebordão* in Transmontana. Flor. Jun. et Jul. Peren.
Ex Cl. C. Hoffmansegg.

(C) *Calyx communis vix ullus, nisi setæ reflexæ: flosculi perianthio partiali: receptaculum globosum.*

221. ECHINOPS.

Perianthium commune setæ seu squamulæ minimæ, subulatæ, totaliter ad pedunculi apicem reflexæ; partiale uniflorum, inferum, basi multisetosum, polyphyllum, foliolis quinquefariam imbricatis, ciliatis, carinatis, pungentibus: semen villosum, pentagonum, ciliis brevissimis coronatum, calyce tectum: receptaculum globosum, in anthesi setosum, in maturitate scabrum, nudum, setis ad basin calycum simul cum istis secedentibus.

1. ECHINOPS *strigosus*. Linn.
E. Capitulis globosis: calycibus inferioribus sterilibus: foliis supra strigosis.
Lusit. *Cardo da isca*.
Hab. inter segetes in Transtagana, et in agris in-

ter *Castanheira* et *Villa nova* non longe a Tago. Flor. Jun. et Jul. Ann.

Capitula vere globosa sunt. Variat foliis sinuato-pinnatifidis, aut pinnatifidis, aut bipinnatifidis.

*** *Flosculis omnibus fertilibus, tubulosis, aut subtubulosis; ligulis minimis, vix ullis; hermaphroditis in disco; fæmineis sæpius in radio.*

222. TANACETUM.

Calyx hemisphæricus, squamis appressis, imbricatis: corollulæ radii paucæ, tridentatæ: receptaculum convexum, nudum: semina pappo destituta, ejusque loco margo seu coronula minima, membranacea.

1. TANACETUM *vulgare*.

T. Foliis bipinnatis, incisis, serratis. *Linn.*

Lusit. *Tanaceto, ou Athanasia das Boticas.*

Hab. in *Serra do Marão*, ad vicos in Transmontana, forsan non indigena, attamen quasi spontanea. Flor. Jul. usque ad Septembr. Peren.

2. TANACETUM *annuum*.

T. Foliis bipinnatifidis, linearibus, acutis: corymbis tomentosis. *Linn.*

Lusit. *Joina das searas.*

Hab. freq. ex *Alcobaça* usque ad Olisiponem, etiam in *Caparica* inter segetes. Flor. Julio usque ad Sept. Ann.

3. TANACETUM *Balsamita*.

T. Foliis ovatis, integris, serratis. *Linn.*

Lusit. *Hortelãa Franceza, ou Romana de Laguna.*

* Colitur in hortis. Flor. Jun. Jul. Peren.
Folia glabra, albido-viridia.

223. ARTEMISIA.

Calyx subovatus, squamis appressis, imbricatis: corollulæ radii pauciores, subulatæ, edentulæ, aut fere nullæ: receptaculum planum, nudum: semina pappo destituta.

1. ARTEMISIA *vulgaris.*
A. Foliis pinnatifidis, planis, incisis, subtus tomentosis: racemis simplicibus, recurvatis: florum radio subquinquefloro. *Linn.*
Lusit. *Artemisia verdadeira.*
Hab. in ruderatis, cultis Lusitaniæ borealis. Flor. Jul. et Aug. Peren.
Calyces oblongiusculi, subcylindrici.

2. ARTEMISIA *campestris.*
A. Foliis multifidis, linearibus: caulibus procumbentibus, virgatis. *Linn.*
Hab. in campis, ad vias circa *Porto.* Flor. Jul. usque ad Sept. Peren.
Flores parvi, solitarii, subnutantes, atro-purpurei: calyx ovato-acuminatus.

3. ARTEMISIA *crithmifolia.* Linn.
A. Foliis compositis, divaricatis, foliolis linearibus, carnosis, glabris: caule ramoso, adscendente, paniculato.
Hab. frequens in arenosis maritimis, præsertim in *Costa da Trafaria*, et prope *Figueira.* Flor. Jul. et Aug. Frutex.

4. ARTEMISIA *palmata*.

A. Foliis simpliciter pinnatis, laciniis aliquot bifidis, subpalmatis: floribus erectis.

La Marck. Dict. Enc.

Hab. in maritimis *de Tavira*, *Alcacer*, *Alfeite*. Flor. æstate. Suffrutex.

Tota planta incana est.

Affinis Artem.-maritimæ *Linn.*, *et Art.*-suaveolenti *La Marck*, *atque forte A.*-maritimæ *varietas*.

5. ARTEMISIA *paniculata*.

A. Caulibus numerosis, suffruticosis, erectis: foliis multifidis, setaceis: calycibus lucidis.

La Marck. Dict. B. Enc.

Lusit. *Abrotano macho*, *Herva lombrigueira*.

Hab. prope *Pezo da Regoa*, circa Herminium, et alibi in Beira boreali. Flor. æstate. Apud nos Frutex.

Varietas A.-Abrotani *Linn.*

6. ARTEMISIA *Dracunculus*. Linn.

A. Foliis lineari-lanceolatis, glabris, integerrimis.

Lusit. *Estragão*.

* Colitur in hortis Olisiponensibus ad acetaria. Flor. æstate. Peren.

224. ABSINTHIUM.

Calyx subglobosus, squamis obtusis, appressis, imbricatis: flosculi radii corollulis subulatis, edentulis: receptaculum villosum: semina pappo destituta.

1. ABSINTHIUM *arborescens.*
A. Foliis compositis, multifidis, incanis, linearibus: floribus subglobosis.
Lusit. *Losna menor, ou do Algarve.*
Artemisia-arborescens *Linn.*
Hab. ad littora, et sepes in Algarbiis. Flor. Julio et Aug. Frutex.
2. ABSINTHIUM *officinale.*
A. Foliis compositis, multifidis: floribus subglobosis, pendulis.
Lusit. *Losna maior, ou de Dioscorides, Absinthio vulgar.*
Artemisia-Absinthium *Linn.*
Hab. ad ripas Durii prope *Porto.* Flor. Jul. et Aug. Peren.
Foliorum pinnulæ latiusculæ, incanæ: flores racemosi, unilaterales.

225. CONYZA.

Calyx oblongus, ovato-cylindricus, squamis acuminatis, imbricatis: corollulæ radii filiformes, tridentatæ: receptaculum nudum: pappus pilosus.

1. CONYZA *saxatilis.*
C. Foliis linearibus, subdentatis: pedunculis longissimis, unifloris: caule suffruticoso. *Linn.*
Lusit. *Alecrim das paredes, ou Macella da isca.*
Hab. frequens ad muros, rupes circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. Jun. Jul. Suffrutex parvus.

2. CONYZA *squarrosa.*
C. Foliis lanceolatis, acutis: caule corymboso: calycibus squarrosis. *Linn.*
Lusit. *Taveda.*
Hab. in subumbrosis humidis *Cintra*, *Caldas da Raynha*, *Castello Viegas* prope Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Jul. Aug. Ann.

226. ERIGERON.

Calyx oblongus, subcylindricus, polyphyllus, foliolis imbricatis, angustis: corollulæ radii numerosæ, tubo longo, ligula lineari, bifida, angustissima, brevissima, subnulla, terminato: receptaculum planum: pappus pilosus.

1. ERIGERON *acre*. Linn.

E. Racemo terminali: pedunculis unifloris, paucifloris ve: corollulis disci limbo quinquefido: foliis lanceolatis.

Hab. in ruderatis, agris, ad vias, et alibi frequens in tota fere Lusitania. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann.

Caulis pedalis, aut paulo altior, simplex, racemo terminali laxo, pedunculis aliis indivisis unifloris, aliis bifloris trifiorisve; rarius subpaniculatus. Folia inferiora subserrata, dentibus remotiusculis, superiora integerrima. Flores fere duplo maiores, quam in subsequenti. Calyx lanuginosus. Corollulæ radii ligulatæ, minimæ, bifidæ, ex albido-purpurascentes; disci lutescentes, tubulosæ, quinquedentatæ.

2. ERIGERON *Canadense*. Linn.

E. Caule paniculato: floribus numerosissimis: corollulis disci limbo quadrifido: foliis lanceolatis, subserratis, ciliatis.

Hab. ad Mundæ ripas, et humidis circa Conimbricam, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Ann.

Cau-

Caulis bipedalis, ramosus, paniculatus, hirsutus. Flores plurimi, parvi, pedunculis ramosis, foliatis. Corollulæ radii albæ, disci quadridentatæ.

227. GNAPHALIUM.

Calyx squamis imbricatis, obtusis, marginalibus rotundatis, concavis, scariosis, coloratis: flosculi fœminei hermaphroditis mixti, corollulis edentulis, vix manifestis aut nullis: receptaculum nudum: pappus plerumque plumosus, raro pilosus.

1. GNAPHALIUM *Stoechas.*

G. Foliis linearibus: corymbo composito: ramis virgatis. *Linn.*

Lusit. *Perpetuas das areas.*

Hab. frequens in arenosis maritimis ad Tagum; *Figueira*, et montosis aridis sabulosis circa Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. Jun. et Jul. Frutex parvus.

Calyx flavus. Variat, in aridis montosis, foliis angustissimis, in maritimis latioribus; floribus etiam minoribus, et maioribus; quæ forsan Gnaph.-crassifolium *et* angustifolium *La Marck. Dict. Enc.*

2. GNAPHALIUM *luteo-album.* Linn.

G. Foliis linearibus, obtusis, tomentosis, mollissimis: floribus conglomeratis.

La Marck. Dict. Enc. var. ε.

Gnaph.-*maius* lato oblongo folio. *Pluk. Phyt. t.* 31. *f.* 6.

Hab. in humidis ad ripas Mundæ usque ad *Figueira*, et alibi in Beira, et Provinciis borealibus. Flor. Jul. et Aug. Ann.

3.

3. GNAPHALIUM *uliginosum.*

G. Caule ramoso, diffuso: floribus confertis, terminalibus. *Linn.*

Hab. circa Conimbricam ad fossas humidas, et in paludosis. Flor. Jun. Jul. Ann.

Caules ramique sæpius procumbentes: folia sæpe superne tomento fere destituta: glomeruli florum etiam axillares: pappus plumosus, pauciradiatus.

4. GNAPHALIUM *orientale.* Linn.

G. Foliis lineari-lanceolatis, tomentoso-incanis, sessilibus: corymbo composito; pedunculis elongatis.

Lusit. *Perpetuas amarellas dos floristas, ou dos jardins.*

* Colitur in hortis. Flor. Jun. et Julio. Suffrutex.

Caulis semipedalis, rarius pedalis: calyx semiglobosus, auricomus, non basi decurrens, ut in varietate a Cl. La Marck commemorata.

228. FILAGO.

Calyx squamis imbricatis, acutis, exterioribus tomentosis aut lanatis: flosculi fœminei limbo bifido, inter squamas calycis, alii interdum hermaphroditis immixti; in hermaphroditis corollulæ fere omnes quadridentatæ, tetrantheræ: receptaculum planum, nudum: pappus pilosus, aut in marginalibus fæmineis nullus.

1. FILAGO *Germanica.*

F. Panicula dichotoma: floribus rotundatis, axillaribus, hirsutis: foliis acutis. *Linn.*

Hab. in Lusitaniæ borealis collibus, arvis. Flor. vere et æstate. Ann.

Calyx pentagonus; rotundatus verò nullibi nobis occurrit.

2. FILAGO *pyramidata.*

F. Caule dichotomo: floribus pyramidatis, pentagonis, axillaribus; flosculis fœmineis serratis. *Linn.*

Hab. frequens in ruderatis, ad vias circa Conimbricam, et alibi cum præcedente. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann.

Varietas facile præcedentis. Folia obtusiuscula: caulis ad basin sæpe ramosus, tres ad quatuor uncias altus: glomeruli florum axillares et terminales.

3. FILAGO *montana.*

F. Caule subdichotomo, erecto: floribus conicis, terminalibus, axillaribusque. *Linn.*

Hab. in Lusitania boreali. Flor. Jun. et Jul. Ann. *Ex Clar. P. Link.*

4. FILAGO *Gallica.* Linn.

F. Caule ramoso, erecto: foliis filiformibus: calycibus sessilibus, aggregatis, pyramidatis, quinquesulcatis, maturitate subventricosis.

Hab. freq. in solo macro, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi præsertim in Lusitania boreali. Flor. Jun. et Jul. Ann.

229. EVAX.

Calyx subglobosus, squamis imbricatis, oblongis, appressis, acuminatis: flosculi disci fere omnes corollulis quadridentatis, tetrantheris; radiales numerosi, brevissimi, edentuli: receptaculum subulatum, paleaceum: semina fœmineis pappo nullo.

1. EVAX *pygmæa*.

E. Caule humillimo, simplicissimo, aut inferne ramoso: capitulo terminali, complanato, bracteis obovatis, in rosulam expansis, obvallato.

Filago-acaulis *Linn.*

Hab. in arenosis maritimis, collibus sabulosis, ad inundata sicca, etiam ad sepes, circa Conimbricam et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Ann.

230. ANACYCLUS.

Calyx hemisphæricus, squamis imbricatis, acutis: receptaculum conicum, paleaceum, paleis obtusis cum acumine: semina disci angustiora, compressa; radii lateribus alata, apice emarginata, hincque denticulata: pappus utrisque nullus.

1. ANACYCLUS *aureus*. Linn.

A. Foliis bipinnatis, glabriusculis, virescentibus; la-

laciniis tenuibus, teretiusculis, laxis, excavato-punctatis.

Lusit. *Macella Gallega dos Hervolarios.*

Hab. frequens ad viarum et agrorum margines, in tota fere Lusitania. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

231. XERANTHEMUM.

Calyx squamis imbricatis, scariosis, interioribus disco longioribus, membranaceis, nitidis, coloratis, radium effingentibus: receptaculum planum, paleaceum: pappus quinquesetaceus.

1. XERANTHEMUM *annuum.*

X. Foliis lanceolatis, patentibus. *Linn.*

Lusit. *Saudades perpetuas.*

* Colitur in hortis, et quasi spontaneum circa *Cezimbra.* Flor. æstate. Ann.

Variat calycis radio albo aut purpureo.

Flos-

**** *Flosculis omnibus tubulosis : hermaphroditis fertilibus in disco, sterilibus aut neutris in radio.*

232. CENTAUREA.

Calyx ventricoso-ovatus, squamis imbricatis, varie terminatis: corollulæ radii irregulares, longiores, infundibuliformes : receptaculum setaceum: pappus sæpius plumosus, interdum capillaris.

(A) *Calycibus inermibus, non ciliatis, nec scariosis.*

1. CENTAUREA *Crupina*. Linn.
C. Calycibus oblongis, squamis lanceolatis, acutis: foliis pinnatis, tenuissime serratis.
Hab. ad amnem *Sabor*, inter segetes prope *Mogadouro*, qua dumeta sylvatica, *Carrasqueira* dicta, incipiunt, et alibi passim ad viarum et agrorum margines circa *Bragança* in Transmontana. Flor. Apr. et Maj. Ann.
Communicata primùm a Cl. C. Hoffmansegg.

2. CENTAUREA *moschata*. Linn.
C. Calycibus subrotundis, glabris; squamis ovatis: foliis longis, pinnatifidis, sublyratis: flore moschato.
Lusit. *Ambretta.*
* Colitur in hortis. Flor. vere. Ann.
Variat floribus purpureis et albis.

(B) *Calycis squamis serrato-ciliatis.*

3. CENTAUREA *Cyanus*. Linn.
C. Foliis linearibus, integerrimis; infimis dentatis: caule ramoso, multifloro.
Lusit. *Fidalguinhos, ou Loios dos jardins.*
* Colitur in hortis. Flor. æstate. Ann.
Variat floribus cæruleis, albis et variegatis.

4. CENTAUREA *pullata*.
C. Calycibus verticillato-foliosis: foliis lyratis, dentatis, obtusis. *Linn.*
Lusit. *Cardinho das almorreimas.*
Hab. freq. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.
Variat flore albo, purpureo, et variegato.

5. CENTAUREA *sempervirens*.
C. Foliis lanceolatis, serratis, infimo dente substipulatis; inferioribus hastatis. *Linn.*
Lusit. *Lavapé, ou Viomal.*
Hab. freq. ad sepes, et in montosis calcareis circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Jun. Jul. Suffrutex.

6. CENTAUREA *paniculata*. Linn.
C. Calycibus oblongis: foliis pinnatis, pinnis angustis, subdentatis: caule paniculato.
Cent.-paniculata *La Marck. Dict. Enc. var.* β.
Hab. in dumetis inter *Leiria* et *Aveiro*, et in montosis Diœcesis *Viseu*, et alibi in Beira boreali. Flor. æstate. Ann.
Pro C.-Stoebe *Linn. habetur, sed ista vix ab illa specifice differt, et forte illius nonnisi varietas est.*

7.

7. CENTAUREA *rivularis.*

C. Foliis radicalibus et inferioribus lanceolatis, in petiolum attenuatis, serrulatis; intermediis et superioribus ovato-oblongis, utrinque pubescentibus. *Broter.*

Hab. in humidis, et ad rivulos inter Conimbricam et *Bussaco*, et alibi in Beira boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Radix perennis, repens. Caules plures, sesquipedales ad bipedales, erecti aut interdum obliqui, angulosi, lanuginosi, superne ramosi, ramis sæpius simplicissimis, foliosis, alternis, patentibus, seu erecto-patulis, ad apicem sub flore (sicut caulibus) incrassatis, fistulosis. Folia radicalia et inferiora caulis lanceolata, in petiolum attenuata, serrulata, maiora; intermedia et superiora ovato-oblonga, acutiuscula, margine acutè serrulato et scabro, utrinque pubescentia, seu molliter tomentosa et viridia, alterna, venosa, aut subtrinervia, sessilia costâ decurrente (nec amplexicaulia aut semiamplexicaulia) ad tres uncias longa, ad duas lata, sensim versus apicem caulis decrescentia, sensimque propriora; suprema tria aut quatuor, ovato-lanceolata, parum inter se distantia, extremum calyci fere contiguum ita, ut iste subsessilis, aut interdum sessilis, foliis circumvallatus, evadat. In apice caulis, et cujuslibet rami, flos unicus, nulli autem laterales. Calyx ovatus, ex fusco rufus; squamis omnibus appresse imbricatis, erectis, apicibus ovatis, ciliato-pectinatis, intimarum albidis, irregulariter denticulatis. Flosculi radii fœminei, stigmate nullo, germine macro, abortiente. Corollulæ radiales cæruleæ, altiores, tubo filiformi, albido, limbo lacero-quinquefido, laciniis duabus brevioribus, angustioribus, profundius divisis, superioribus tribus subæqualibus; corollulæ disci ex albido-cæruleæ;

leæ, limbo quinquefido, æquali. Antheræ albidæ. Stigma bifidum, cæruleum. Semina oblonga, glabra, pappo setaceo inæquali terminata.

Non confundenda cum C.-Phrygia *Linn.*; *calyx diversus, et folia nulla amplexicaulia, aut semi-amplexicaulia sunt.*

8. CENTAUREA *uliginosa.*

C. Calycibus brevissime ciliatis, ebracteatis: foliis lanceolatis, serrulatis, costa solum decurrentibus: caule simplicissimo, sæpe unifloro. *Broter.*

Hab. in uliginosis, juncetis, locisque hyeme inundatis inter *Miranda do Corvo* et *Lousãa*, et alibi in Beira. Flor. æstate. Peren.

Radix perennis. Caulis solitarius, sesquipedalis, bipedalis et ultra, simplicissimus, raro uno alterove ramo divisus, striatus, angulosus, hirsutus, sublanatusve, erectus, foliosus. Folia omnia utrinque acuta, lanceolata; radicalia in petiolum longum extenuata, utrinque subhirsuta, serrulata, semipedalia, petiolo supputato, unciam unam et ultra lata; caulina alterna, subsessilia, tres uncias longa, sensim ad caulis apicem decrescentia; suprema integerrima, lineari-lanceolata, costa acuta, decurrenti. Flos terminalis, sæpius unus, raro duo vel tres, pedunculo longissimo, absque foliis et bracteis. Perianthii squamæ glaberrimæ, virides, margine superne ex viridi-rufæ, ciliis quinque seu septem, brevissimis, rigidiusculis, parum recurvis, læte rufis, terminatæ. Corollulæ cæruleæ, aut ex cæruleo-albidæ.

Media inter Centaureas squamis calycinis serrato-ciliatis, et illas squamis calycinis palmato-spinosis.

Affinis Centaureæ-montanæ *et* unifloræ *Linn.*; *sed differt ab illa habitu valde maiori, et caule non alato; ab ista vero etiam habitu maiori, foliis*

non

non tomentosis, nec anguste lanceolatis, calyce non bracteato, ciliisque squamarum non plumosis.

(C) *Calycis squamis aridis, scariosis.*

9. CENTAUREA *Tagana.*

C. Foliis radicalibus lanceolatis, obtusiusculis, serrulatis, integris, utrinque glaberrimis; caulinis aliis integris, aliis ad basin leviter pinnatifidis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 13.

Lusit. *Rhapontico bastardo, ou Rhapontico da terra.*

Hab. in sabulosis et dumetis aridis: occurrit ad pineta de *Caparica*, et supra Olisiponem in lapidosis juxta Tagum collibus, in illis *de Monte Junto*, et juxta Conimbricam ad orientem in dumetis de *Marrocos*, ubi nunc rara, et alibi. Flor. Jun. et Jul. Peren.

10. CENTAUREA *pitycephala.*

C. Calyce elongato: caule brevissimo, unifloro, folioso: foliis inferioribus pinnatifidis; superioribus basi pinnatifida; summis integris; omnibus suprà viridibus, subtus albo-tomentosis.

Hab. in Algarbiis. Flor. æstate. Peren.

Ex Cl. P. Link.

Affinis Cent.-coniferæ *Linn.*

Caulis triuncialis.

11. CENTAUREA *amara*? Linn.

C. Foliis radicalibus lanceolatis, integerrimis, superne glabris, subtus subincanis, longe petiolatis: caule brevissimo, unifloro.

Hab. in dumetis circa *Catanhede* et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

Folia valde amara: semel vidi, et adhuc non florebat: denuò observanda.

(D) *Calycis squamæ spinis palmatis.*

12. CENTAUREA *cespitosa.*
C. Calycibus palmato-spinosis, sessilibus: foliis inferioribus lyrato-pinnatifidis, petiolatis; superioribus dentato-sinuatis, amplexicaulibus. *Vahl Symb. 2. pag.* 93.
Jacæa marina Bætica *Pluknet. tab.* 94. *f.* 1. huic referenda.
Hab. in maritimis arenosis, præsertim ad littora maris prope oppidum *Figueira* in Beira. Flor. æstate. Peren.
Folia non decurrentia : nimis affinis Centaureæ sphærocephalæ *Linn.*, *et forte ejus varietas.*

13. CENTAUREA *napifolia.*
C. Foliis decurrentibus, sinuatis, spinulosis; radicalibus lyratis. *Linn.*
Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Fl. Jun. Jul. Peren.

14. CENTAUREA *aspera.*
C. Calycibus palmato-trispinosis: foliis lanceolatis, dentatis. *Linn.*
Hab. circa Olisiponem et *Pezo da Regoa*, et alibi in Extremadura et Beira boreali. Flor. Jul. et Aug. Peren.

(E) *Foliolis calycinis lateraliter spinosis, seu spinis compositis.*

15. CENTAUREA *Benedicta.*
C. Calycibus duplicato-spinosis, lanatis, involucratis: foliis semidecurrentibus, denticulato-spinosis. *Linn.*
Lusit. *Cardo sancto.*

Hab.

Hab. spontanea, etsi raro, ad aggeres sabulosos in collibus *de Arregaça* prope Conimbricam. Flor. Jun. et Jul. Ann.

16. CENTAUREA *eriophora.*

C. Calycibus duplicato-spinosis, lanatis: foliis semidecurrentibus, integris, sinuatisque: caule prolifero. *Linn.*

Hic adjungo ex fide magni Tournefort; cum nullibi in Lusitania viderim. Culta flor. æstate. Ann.

17. CENTAUREA *Calcitrapa.*

C. Calycibus subduplicato-spinosis, sessilibus: foliis pinnatifidis, linearibus, dentatis: caule piloso. *Linn.*

Lusit. *Cardo estrellado, ou Calcatripa.*

Hab. freq. ad viarum et agrorum margines, et in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. æstate. Ann.

18. CENTAUREA *solstitialis.*

C. Calycibus duplicato-spinosis, solitariis: foliis rameis decurrentibus, inermibus, lanceolatis; radicalibus lyratis. *Linn.*

Hab. in collibus *de Caparica*, et circa Olisiponem, Conimbricam et *Porto.* Flor. Aug. et Sept. Ann. *Flores lutei, parvi.*

19. CENTAUREA *collina.* Linn.

C. Squamis calycinis lateraliter spinulosis, apice spina rigida terminatis: foliis radicalibus bipinnatifidis: caule acutangulo.

Lusit. *Cardazól.*

Hab. in Transtagana. Flor. Jul. et Aug. Peren. *Flores lutei.*

(F) *Spinis simplicibus.*

20. CENTAUREA *Salmantica.* Linn.
C. Calycibus glabris, foliolis setula minima, subspinosa, terminatis: foliis lyrato-runcinatis, villosis.
Hab. freq. ad sepes, vias, aggeres circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Flor. Jun. usque ad Sept. Peren.
Variat floribus albis.

21. CENTAUREA *galactites.*
C. Calycibus setaceo-spinosis: foliis decurrentibus, sinuatis, spinosis, subtus tomentosis. *Linn.*
Hab. freq. inter segetes, ad vias, agris, sabulosis, etiam in calcareis, in tota fere Lusitania. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.
Folia albo maculata: habitus Cardui.

***** *Flosculis omnibus tubulosis: hermaphroditis sterilibus in disco, fœmineis fertilibus in radio.*

233. MICROPUS.

Calyx sæpius pentaphyllus, foliolis galeatis, dorso innocue spinosis, lanatis, marginibus compressis, conniventibus, semina involventibus; ad basin squamis minimis obsolete calyculatus: flosculi disci quinquedentati, radii apetali: receptaculum nudum: semina compressa, pappo nullo.

1. MICROPUS *supinus.* Linn.
M. Caule procumbente: foliis geminis, retusis: calyce muricato.

Hab.

Gnaphalium supinum, echinato semine *Grisley. Virid. Lusit. n.* 574.

Hab. fertur in maritimis. Culta flor. primo vere. Ann.

Plantam nondum in Lusitania sponte crescentem vidi; hic adjungo ex fide magni Tournefort et Grisley.

234. HIPPIA.

Calyx fere hemisphæricus, simplex, undeca sive dodecaphyllus, foliolis subæqualibus, flosculorum longitudine: flosculi fœminei in radio et disco plurimi, fertiles; hermaphroditi pauci in disci centro, omnes lanugine arachnoidea involuti: receptaculum nudum: semina compressa, cuneata, marginata: pappus nullus.

1. HIPPIA *stolonifera.*

H. Foliis petiolatis, pinnatifidis: florum receptaculis sessili-radicatis: seminibus transverse sulcatis. *Broter. Phyt. Lusit. n.* 14.

Hab. frequens in humescentibus, ad vias, et inter viarum petras, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. hyeme et vere. Ann.

****** *Flosculis tubulosis hermaphroditis fertilibus in disco; ligulatis fœmineis in radio.*

(A) *Receptaculo nudo.*

235. BELLIS.

Calyx hemisphæricus, duplici aut subsimplici serie polyphyllus, æqualis: corollulæ fœmineæ angustæ, lanceolatæ, vix tridentatæ: receptaculum conicum: semina compressa, pappo nullo.

1. BELLIS *annua*. Linn.
B. Caulibus ad basin divisis, subfoliosisque; ramis scapiformibus, brevibus, unifloris.
Hab. in campis, et alibi frequens. Flor. vere. Ann.

2. BELLIS *sylvestris*.
B. Foliis omnibus radicalibus, obovatis, crenatis, utrinque subhirsutis: scapo foliis fere triplo longiori, pubescenti, unifloro.
Lusit. *Margarita menor*.
An Bellis-perennis *sylvestris Linn. varietas maior?*
Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Peren.
Obs. Colitur in hortis B.-perennis *hortensis, flore pleno, aut prolifero*: Lusit. *Margaritas dos jardins.*

236. MATRICARIA.

Calyx hemisphæricus, polyphyllus, foliolis subæqualibus, paucorum ordinum imbricatis, linearibus, acutiusculis subscariosis: receptaculum conicum: pappus nullus.

1. MATRICARIA *Chamomilla.*

M. Receptaculis conicis: radiis patentibus: seminibus nudis: squamis calycinis margine æqualibus. *Linn.*

Lusit. *Chamomilla*, *Margaça das boticas*, *Macella Gallega legitima de Grisley.*

Hab. inter segetes *de Alcantara*, ad ima collium, prope Olisiponem, sed raro. Flor. vere. Ann.

2. MATRICARIA *Parthenium.*

M. Foliis compositis, planis, foliolis ovatis, incisis: pedunculis ramosis. *Linn.*

Lusit. *Matricaria*, *ou Artemisia dos Hervolarios.*

Hab. in Lusitania boreali prope vicos, quasi spontanea: colitur frequens in hortis, et ejus varietas floribus plenis. Flor. Jun. usque ad Aug. Bien. aut trienn.

Obs. Squamæ interiores calycis, in his duabus speciebus, apice subscariosæ sunt: ideò non incongruum illas Chrysanthemis *associare.*

237. CHRYSANTHEMUM.

Calyx hemisphæricus, polyphyllus, squamis plurium ordinum imbricatis; interioribus margine et apice membranaceis, obtusis: receptaculum convexum: pappus nullus; interdum ejus loco coronula membranacea, sæpius denticulata.

(A) *Radio albo.*

1. CHRYSANTHEMUM *lacustre.*

C. Foliis lanceolatis, usque ad basin serratis: caule ramosissimo: floribus amplissimis: seminibus radii corona membranacea instructis. *Broter.*

An Chr.-serotini *Linn. varietas*?

Hab. ad rivulos, et in paludosis in lacu *de Obidos* ad ostia Oceani. Flor. Jul. et Aug. Peren.

Radix perennis, superne ad caules crassa, subtus multifibrosa, subrepens. Caules ex eadem radice decem ad viginti et ultra, tri-quadripedalesve, annui, inferne crassitudine digiti minimi, angulosi, pilosi, scabriusculi, é basi ad apicem ramosi, ramis erectis, inæqualis altitudinis, foliosis, ad apicem glabriusculis. Folia omnia acuta, lanceolata, infima caulis, a summitate usque ad basin, acute serrata, superiora tamen serrata fere usque ad basin, subtrinervia, sessilia, erecta, viridia, alterna, supra glabra, subtus glabriuscula, aut interdum costa et nervis subpubescentibus, utrinque lævia, infima semipedem longa, quatuordecim lineas ad medium lata, sensim versus apicem caulis

lis et ramorum decrescentia , ubi sesquiunciam ad duas uncias longa. Flores numerosi , singuli solitarii in caulis , ramorum , ramulorumque apicibus ; breviter pedunculati, pedunculis glabriusculis, striatis , sub calyce parum incrassatis. Flores maximi , diametro duarum unciarum cum dimidia ad tres uncias. Calyx viridis , glaber , imbricatus , squamis inæqualibus , quatuor ordinum , exterioribus ovatis , acutiusculis , vix scariosis , interioribus sublanceolatis , ad marginem et apicem valde scariosis , intimis angustioribus. Corollulæ radii ligulatæ , albæ , tridentatæ , sublineares , subtus bicostatæ ; disci luteæ. Stigmata apice latiore , truncato. Semina oblonga , subteretia , striata ; marginalia sæpius corona brevi membranaceâ instructa. Receptaculum planiusculum , punctatum.

Nimis affinis Ch.-serotino; *an varietas a solo climate ex seminibus cum aliis , aut simul cum mercibus ex Anglia exportatis ? Attamen folia infima sunt semper usque ad basin serrata , et superiora fere usque ad basin : pleraque ultra duas uncias longa , non scabriuscula : caules inferne etiam ramosi , nec flores perfectè ac regulariter corymbosi.*

2. CHRYSANTHEMUM *Leucanthemum.* Linn.

C. Caule erecto , laxe subramoso : foliis radicalibus subspatulatis ; caulinis alternis , superioribus oblongis , lingulatis , semiamplexicaulibus , serratis.

Lusit. *Margarita maior , Olho de boy dos hervolarios , ou Bemmequer dos floristas.*

Hab. in umbrosis sylvaticis circa *Cintra* , Conimbricam , et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. Peren.

Varietas sylvatica. Caulis unus alterve ex eadem radice , nunc glaber , nunc subhirsutus , sesquipedalis , bipedalisve , striatus , angulosus , angulis basi foliorum leviter decurrentibus formatis , sæpe

simplex, raro ramis septem et ultra, unifloris, subfoliosis. Folia radicalia et caulina inferiora nunc spathulata, nunc cuneata, obtuse serrata, aut subcrenata, fere semiamplexicaulia, tres seu quatuor uncias longa, sæpe pubescentia. Flores radio albo, diametro biunciali. Calycis squamæ apice fuscæ. Semina decemstriata. Receptaculum convexum, punctatum.

3. CHRYSANTHEMUM *corymbosum.* Linn.

C. Foliis pinnatis, foliolis inciso-serratis: caule multifloro; floribus corymbosis.

Hab. in dumetis circa *Góes* in Beira, et inter *Rio Maior* et *Santarem* in Extremadura, et prope *Portella do Homem* in Interamnia. Flor. Julio et Aug. Peren.

Variat foliis pinnatis, foliolis serratis, et foliis bipinnatifidis, subvillosis.

4. CHRYSANTHEMUM *inodorum.*

C. Foliis pinnatis, multifidis: caule ramoso, diffuso. *Linn.*

Hab. in agris, ruderatis, inter segetes, et in collibus circa *Bemfica*, et *Quéluz.* Flor. Jun. Jul. Ann.

Folia non carinata. Receptaculum seminum ovato-oblongum, intus cavum. Semina subquadrangularia, apice membranâ quadridentatâ coronata.

(B) *Flores radio luteo; aut radio albo, ad basin luteo.*

5. CHRYSANTHEMUM *segetum.* Linn.

C. Foliis amplexicaulibus, oblongis, serratis; inferioribus subspathulatis, apice inciso-dentatis.

Lusit. *Pampilho das searas.*

Hab.

Hab. in cultis, agris, ruderatis in tota fere Lusitania. Flor. Maj. usque ad Aug. Ann.

Folia sunt e viridi glauca : flores radio luteo : semina disci apice subgibba, radii compressiuscula, submarginata.

6. CHRYSANTHEMUM *Myconis*. Linn.

C. Foliis radicalibus et infimis spathulatis, serratis; superioribus amplexicaulibus, oblongis, obtusis: calycinis squamis subæqualibus.

Lusit. *Pampilho de Micão.*

Hab. freq. inter segetes, in agris, ruderatis. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

Flores radio luteo.

7. CHRYSANTHEMUM *coronarium*. Linn.

C. Foliis profunde pinnatifidis, lacinulatis, amplexicaulibus, extrorsum latioribus.

Lusit. *Malmequer, ou Pampilho ordinario.*

Hab. freq. inter segetes, in agris, et ruderatis in *Caparica*, et circa Olisiponem usque ad oppidum *Castanbeira* prope Tagum. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Ad Hortum Conimbricensem cùm primum missum fuisset, nullibi tunc in Beira sponte veniebat; at ibi cultum, nunc spontaneum circa Conimbricam.

Variat radio albo ad basin luteo, aut radio penitus luteo; flore pleno aut semipleno; foliis bipinnatifidis.

8. CHRYSANTHEMUM *minimum*.

C. Foliis alternis, congestis, pinnatis; supremis sæpius linearibus, integerrimis: caulibus numerosis, unifloris.

Matric.-minima *var.* ϐ *La Marck Dict. Enc.*

Chrys.-pallidum *minimis imisque foliis incisis, supremis integris, capillaribus.* Barrel. *ic.* 421.

Varietas Chr.-alpini *Linn. ex Gouan Illustr. pag.* 70.

Hab. in Transmontana, circa Herminium, et ad Mundam, rarissime circa Conimbricam in sabulosis humidis prope Mundam. Flor. Apr. Maj. et Jun. Ann.

Radix annua. Caules numerosissimi ex eadem radice (interdum ad 50) in orbem positi, adscendentes, seu obliqui, simplicissimi, teretes, striati, subpubescentes, quinque ad octo uncias longi, inferne ad duas uncias cum dimidia foliati, exinde usque ad flores aphylli. Folia alterna, subpubescentia, ad ima caulis nimis approximata, seu congesta, subimbricata, petiolata, quatuor ad sex lineas longa, petiolo supputato, sæpius septenato-pinnata, foliolis oppositis, minimis, carnosis, viridibus, contiguis, integerrimis, setaceis, acutiusculis, subsecundis, semilineam ad lineam longis, impari recurvo; petiolo carinato, ab inferioribus foliolis usque ad basin tres seu quatuor lineas longo, sensimque inferne latiori: folia suprema interdum linearia, sessilia, parva, simplicissima, integerrima. Calycis squamæ subpubescentes, marginibus et apice scariosis, nigricantibus. Corolla composita, unciam lata, corollulis radii ad viginti, tridentatis, albis et ad basin macula parva lutea. Antheræ corolla breviores. Stigmata revoluta, crassiuscula. Semina, tam in fœmineis, quam in hermaphroditis, calyculo persistenti membranaceo, loco pappi, coronata. Receptaculum seminum convexum, nudum, punctatum.

Flores amaricantes: folia et caulis levi acritudine fruuntur.

Ex Cl. Com. de Hoffmansegg variare solet corollulis radii ligulis omnino luteis, aut sulphureis basi luteis, circa Manteigas *et* Torre de Moncorvo; *quod tunc, ut videtur, ad Chr.*-pectinatum *Linn. erit referendum. An hoc etiam simul cum Chr.*-mini-

ni-

nimo *ad Chr.*-alpinum *Linn. amandandum? Habitu nimis affinia sunt; at in corollulis radiantibus sicut coloris differentia sola, ad species constituendas diversas in Anthemide*-tinctoria *et Chr.*-coronario, *non sufficit, ita nec in aliis.*

9. CHRYSANTHEMUM *oppositifolium.*

C. Caule procumbenti, basi ramoso: foliis oppositis, pinnatis, foliolis extrorsum latioribus.

Hab. in altioribus Herminii et *Gerez.* Flor. vere.

Ex Cl. P. Link.

Jam defloruerat, cùm vidit.

238. SOLIDAGO.

Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, appressis: corollulæ radii lineari-lanceolatæ, paucæ, quinque ad decem, raro duodecim, inter se remotiusculæ: receptaculum planum: pappus pilosus.

1. SOLIDAGO *viscosa.*

S. Pedunculis unifloris, lateralibus: foliis lanceolatis, denticulatis, basi reflexis: calycibus squarrosis.

Lusit. *Taveda de Dioscorides.*

Erigeron-viscosum *Linn.*

Hab. frequens in ruderatis, ad vias, in collibus circa Olisiponem, et Conimbricam. Flor. æstate et autumno. Peren. et quasi Suffrutex.

Ligulæ octo ad decem raro ad duodecim luteæ. Folia superiora amplexicaulia, adpressa, pilis glandulifero-viscosis.

2.

2. SOLIDAGO *Virgaurea.*

S. Caule subflexuoso, angulato: racemis paniculatis, erectis, confertis. *Linn.*

Lusit. *Virgaurea verdadeira*, *Vara d'oiro.*

Hab. in subumbrosis *Gerez* et Herminii, aliquando ad Mundæ ripas prope Conimbricam. Flor. Jul. usque ad Septemb. Peren.

Caulis sesquipedalis, aut bipedalis et ultra, superne subramosus; racemi laxi. Folia inferiora ovato-lanceolata, attenuata in petiolum; superiora lanceolata, serrata. Flores congesti, in axillis foliorum floralium. Ligulæ radii sex ad octo.

3. SOLIDAGO *minor.*

S. Caulibus cespitosis, humilibus, subflexuosis: foliis superioribus integerrimis: pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris. *Broter.*

Virga aurea Lusitanica *Grisley Vir. Lus. n.* 1489.

Hab. in umbrosis circa Herminium. Flor. Jun. et Jul. Peren.

Radix ramosa, fusca, perennis. Caules nonnulli ex eadem radice, semipedales, ut plurimum pedales, erecti, subflexuosi, angulosi, striati, virides, subpubescentes, é medio ad apicem ramis simplicissimis, racemosis, alternis, onusti. Folia radicalia lanceolata, acuta, sex ad octo lineas lata, tres uncias longa, acute serrata, in petiolum attenuata, margine scabriusculo, pubescenti, utrinque subpubescentia, viridia. Caulina alterna, etiam lanceolata; inferiora serrata, superiora integerrima, sensim decrescentia ad apicem caulis et ramorum. Racemi caulem et ramos terminantes, simplicissimi, alterni, patuli: flores solitarii, ex axillis foliorum floralium lanceolatarum, erecti, pedunculati, pedunculis duas ad tres lineas longis, pubescentibus, unifloris. Perianthium commune oblongum, tres lineas longum, squamis imbricatis trium

um ordinum, setaceis, carinatis, concavis, extus subpubescentibus, intimis margine leviter scariosis, ex flavo-viridibus. Corollulæ radii duæ, tres, rarissime quatuor, ligulatæ, minimæ, tubo longo, lanceolatæ, tridentatæ, fœmineæ; disci tubulosæ ad quindecim, profunde quinquepartitæ, laciniis linearibus in spiram convolutis. Antheræ omnino exsertæ. Germen oblongum, teres, pubescens. Stylus filiformis, pallidus: stigmata duo, planiuscula, patula. Semina pappo sessili, piloso coronata, pili scabriusculo-denticulati. Receptaculum nudum, punctatum.

Habitus præcedentis; sed valde minor, et notis aliis supradictis distincta.

239. INULA.

Calyx polyphyllus, foliolis imbricatis, subsquarrosis, inferioribus sæpius patulis: antheræ basi interdum bisetæ: corollulæ radii numerosæ, constanter luteæ, receptaculum planum: pappus pilosus.

1. INULA *odora*. Linn.

I. Foliis amplexicaulibus, obsolete denticulatis, rugosis, hirsutis; radicalibus ovatis; caulinis lanceolatis: caule paucifloro.

Lusit. *Herva Montãa.*

Hab. frequens in glareosis montosis, dumetis, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira, Extremadura, et Transtagana. Flor. Jul. et Aug. Peren.

Flores sæpius tres ad quinque, sed in solo fertili, et culta, caulis ramosus et multiflorus evadit.

Ra-

Radix crasse fibrosa, seu fasciculata, longa, odora.

2. INULA *dysenterica.*

I. Foliis amplexicaulibus, cordato-oblongis: caule villoso, paniculato: squamis calycinis setaceis. *Linn.*

Hab. in uliginosis, inundatis circa Conimbricam, præsertim ad Mundæ ripas, et alibi in Beira, et Lusitania tam australi, quam boreali. Flor. Jul. usque ad Aug. Peren.

3. INULA *Pulicaria.* Linn.

I. Foliis amplexicaulibus, oblongis, undulatis: caule paniculato: floribus subglobosis: radio brevissimo.

Hab. ad Mundæ ripas, ad vias, in locis humidiusculis, in tota fere Lusitania. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Caulis non prostratus, sed erectus in nostra: forte varietas, floribus ligulisque corollæ multo minoribus.

4. INULA *salicina.* Linn.

I. Foliis lanceolatis, subintegerrimis, glabris, margine scabriusculis, semiamplexicaulibus: caule glabro, superne angulato, et ramoso.

Hab. in dumetis prope *Porto.* Flor. Julio et Aug. Peren.

5. INULA *chritmifolia.*

I. Foliis linearibus, carnosis, tricuspidatis. *Linn.*

Hab. frequens in maritimis in Transtagana, Extremadura et alibi. Flor. æstate. Peren.

6. INULA *tuberosa.*

I. Foliis lineari-lanceolatis: caule suffruticoso, brevi, paucifloro.

Erigeron-tuberosum *Linn.*

Hab. prope *Bragança.* Flor. Jul. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Caulis (*ex* Gouan) *biuncialis, nonnunquam palma-*

*maris, lignosus, pilosus; ramis raris, terminalibus divaricatis. Folia ima obovato-lanceolata, seu spathulata, sæpe integerrima. Pedunculi sæpe foliosi, hirti, rigidi, apice incrassati, terminales. Flores maiores, quam in Erigeronte-*viscoso *Linn. Calyx squarrosus: corolla radiata, lutea.*

240. ASTER.

Calyx polyphyllus, squamis imbricatis, subsquarrosis, inferioribus patulis: corollulæ radii numerosæ, sublanceolatæ, violaceæ, purpurascentes, aut albidæ: receptaculum planum; pappus pilosus.

1. ASTER *Tripolium.*
A. Foliis lanceolatis, integerrimis, carnosis, glabris: ramis inæquatis: floribus corymbosis. *Linn.*
Hab. frequens in maritimis, præsertim ad margines salinarum, prope *Figueira*, ad Tagum, et alibi. Flor. Jul. et Aug. Peren.
Floris radius cæruleus.

2. ASTER *fugax.*
A. Foliis lanceolatis, hirtis, scabris, integerrimis, planis: caule simplicissimo, erecto, unifloro.
Hab. circa *Montejunto*, in dumetis, ad vias, præsertim ad viam militarem inter sacellum *de Ameixoeira* et *Carregado.* Flor. Octobri post aquas æquinoctiales. Ann.
Flos radio purpureo.
Caulis semper simplicissimus, semipedalis, aut pedalis, uniflorus. Plantam nondum vidi: hic adjun-

jungo ex fide Botanicorum quorundam. Forte Ast.-alpini, *aut forte potius Ast.*-acris *varietas.*

3. ASTER *Chinensis.*

A. Foliis ovatis, angulatis, dentatis, petiolatis: calycibus terminalibus, patentibus, foliosis. *Linn.*

Lusit. *Malmequer da secia, ou da China.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann.

Variat flore albo, cæruleo, purpureo, aut ex his variegato.

241. DORONICUM.

Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici aut duplici serie erectis: receptaculum planum: semina radii nuda, disci pappo piloso instructa.

1. DORONICUM *plantagineum.*

D. Foliis ovatis, acutis, subdentatis: ramis alternis. *Linn.*

D.-plantag. *var.* ε *Linn.*

Hab. in montosis *Cintra*, et summis jugis *Lousãa*, *Miranda do Corvo*, et alibi. Flor. primo vere. Peren.

Habitu nimis simile subsequenti, et illius quasi varietas.

2. DORONICUM *Pardalianches.* Linn.

D. Foliis radicalibus cordatis, obtusis, petiolatis; caulinis ovato-acutis, denticulatis, subauriculatis, amplexicaulibus.

Lusit. *Doronico.*

Hab. in subhumidis sylvaticis Herminii prope *Sabugueiro* in *Valle da Espera*, et in *Pedrastante* prope *Montezinho.* Flor. Jul. et Aug. Peren.

242. ARNICA.

Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici aut duplici serie erectis: corollulæ radii filamentis quinque castratis: receptaculum planum: semina radii et disci pappo piloso instructa.

1. ARNICA *montana*.
A. Foliis ovatis, integris; caulinis geminis, oppositis. *Linn.*
Lusit. *Arnica.*
Hab. in uliginosis et paludosis prope portum *São Martinho*, in *Antanhól* prope Conimbricam, in collibus circa *Guimarães*, et alibi in Extremadura, Beira et Duriminia. Flor. Jun. usque ad Aug. Peren.

243. CINERARIA.

Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici serie erectis: receptaculum planum: pappus pilosus.

1. CINERARIA *minuta*.
C. Foliis pinnatifidis: caule unifloro, capillari.
Cavanilles Ic. tom. 1. *p.* 21. *t.* 33. *f.* 3.
Hab. in montosis prope Myrtilem. Flor. Julio.
Folia inferiora ovalia, acute dentata; superiora pinnatifida. Planta tri-quadriuncialis, villosa, villis longis.

244. SENECIO.

Calyx subcylindricus sive conicus, polyphyllus, foliolis æqualibus, simplici serie arcte erectis, basi calyculatus squamulis brevissimis, apice plerunque emortuis sive nigrescentibus: receptaculum planum: pappus capillaris.

1. SENECIO *vulgaris*. Linn.
S. Corollis nudis: foliis pinnatifido-sinuatis, amplexicaulibus: floribus sparsis.
Lusit. *Tasneirinha, ou Cardo morto.*
Hab. in cultis, ruderatis, ad vias frequens. Flor. April. usque ad Octobr., interdum autumno et hyeme. Ann.
In hoc solo semper flosculi omnes tubulosi sunt; calycis squamæ apice constanter sphacelatæ.

2. SENECIO *lividus*.
S. Ligulis revolutis: foliis amplexicaulibus, lanceolatis, dentatis: squamis calycinis brevissimis, intactis. *Linn.*
Hab. in arenosis trans Tagum. Flor. vere. Ann.

3. SENECIO *sylvaticus*.
S. Corollæ ligulis revolutis: foliis pinnatifidis, denticulatis: caule corymboso, erecto. *Linn.*
Hab. in sylvaticis in Beira et Lusitania boreali. Fl. Jun. usque ad Aug. Ann.
Nimis affinis S.-viscoso, *denuo observandus.*

4. SENECIO *exsquameus*.
S. Foliis amplexicaulibus, pinnatifido-dentatis: caule corymboso, subvilloso: receptaculo subtus vix squamoso.

Hab.

Hab. ad Mundam. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Caulis angulatus, subvillosus, ut tota planta, late statim a basi ramosus, pedalis, aut paulo altior. Folia oblonga, pinnatifido-dentata, amplexicaulia. Flores corymbosi. Calyces conici, ad lentem leviter pubescentes; foliola lateribus membranaceis leviter connexa, apice non sphacellatis; subtus receptaculo duæ aut tres bracteæ, seu squamæ, sublineares, sive lineari-lanceolatæ, virides, non sphacellatæ, adpressæ, minimæ, atque ut plurimum una receptaculo vix longior. Corollæ radiantes paucæ, octo, parvæ, revolutæ, luteæ, fœmineæ; disci quadrifidæ.

An S.-lividi *varietas? habitus S.*-sylvatici.

5. SENECIO *elegans.*

S. Ligulis patulis: foliis pinnatifidis, æqualibus, patentissimis, margine incrassato, recurvato. *Linn.*

Lusit. *Não me deixes dos floristas.*

* Colitur in hortis. Flor. vere. Ann.

Radius purpureus.

6. SENECIO *Jacobæa.*

S. Foliis pinnato-lyratis, laciniis lacinulatis: caule erecto. *Linn.*

Lusit. *Tasna, ou Tasneira.*

Hab. in pratis, pascuis, ruderatis humentibus frequens. Flor. Jun. usque ad Aug. Peren.

Foliis variat, in Lusitania meridionali sæpius nimis vage laciniatis, in Lusitania vero boreali magis pinnato-lyratis, et interdum foliis quasi Erysimi-Barbareæ *glabris, dentatis, et ligulis corollæ demum revolutis, quasi varietas Sen.*-erucæfolii: *in humidis autem folia sunt crassiora, et calyculus florum, seu squamæ ad basin calycis tunc interdum deficiunt.*

7. SENECIO *nemorensis*. Linn.

S. Corollæ ligulis octonis : foliis lanceolatis, biserratis, subtus villosis : caule ramoso.

Hab. prope *Alcobaça* ad sepes, ubi Betulæ-*Alni* frequentes : etiam inter *Melgaço* et *Castro Labororeiro* observata a *Cl. C. Hoffmansegg*. Flor. Jun. et Jul. Peren.

8. SENECIO *Doria*.

S. Floribus corymbosis : foliis subdecurrentibus, nudis, lanceolatis, denticulatis; superioribus sensim minoribus. *Linn.*

Hab. in castanetis prope *Monchique* in Algarbiis. Flor. Jul. et Aug. Peren.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Calyx non sphacellatus : folia inferiora vix crenulata.

9. SENECIO *Doronicum*.

S. Caule indiviso, subunifloro : foliis indivisis, serratis; radicalibus ovatis, subtus villosis. *Linn.*

Hab. in altioribus *de Montejunto* ultra *Alemquer* in Extremadura. Flor. Jun. usque ad Aug. Peren.

10. SENECIO *cespitosus*.

S. Caulibus cespitosis, subramosis : foliis inferioribus ovalibus, glaucis, denticulatis; superioribus minoribus, lanceolatis, acutis, serrulatis.

Pastoribus Herminii *Herva loira*.

Hab. ad *Covão das Vaccas* in Herminio, et suprà versus *Malhão da Serra*. Flor. Aug. Peren.

Glabriusculus. Caules fasciculati, erecti, subramosi; ramis erecto-patulis. Folia inferiora ovalia, obtusiuscula, distanter et obiter denticulata, glaucescentia, subcoriacea, in petiolum brevem semiamplexicaulem attenuata; superiora minora, sensim sessilia, oblongo-lanceolata, acuta, serrulata, margine subrevoluto. Paniculæ terminales. Calyx *bre-*

breviter cylindricus, exquisite sphacellatus. Corollæ luteæ. Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Affinis Sen.-Saracenico *et S.*-Doriæ.

11. SENECIO *lactescens.*

S. Foliis incanis, subviscosis; inferioribus oblongo-lanceolatis, petiolis semiamplexicaulibus; superioribus sessilibus, pinnatifidis: caule paniculato.

Hab. prope *Bragança.* Flor. Jun. Jul. Peren.?

Subvilloso-canescens, subviscosus. Caulis erectus, costato-striatus, superne subdichotomo-ramosus, paniculatus. Folia inferiora oblongo-lanceolata, lactescentia, repando-dentata, in petiolum semiamplexicaulem attenuata, superiora sessilia, semiamplexicaulia, laciniato-auriculata, interrupte pinnatifida, laciniis acutis, repando-denticulatis; suprema maiora, subhastata. Corollæ luteæ, mediocres. Ex Cl. C. Hoffmansegg.

245. TUSSILAGO.

Calyx polyphyllus, foliolis æqualibus, submembranaceis, simplici serie erectis, per maturitatem inferne tumidus, demum reflexus: corollulæ radii lineares, edentulæ: receptaculum planum: pappus sessilis, capillaris.

1. TUSSILAGO *Farfara.*

T. Scapo unifloro, imbricato: foliis subcordatis, angulatis, denticulatis. *Linn.*

Lusit. *Tussilagem, Unha de Cavallo, ou de Asno.*

Hab.

Hab. in subhumidis in Duriminia, ex fide *P. Christophori dos Reys.* Flor. vere. Peren.

246. TAGETES.

Calyx monophyllus, tubulosus, torulosus, dentatus, dentibus torulorum numero respondentibus: corollulæ radii late ovatæ: receptaculum planum: semina oblonga: pappus quinquearistatus.

1. TAGETES *patula.*
T. Caule subdiviso, patulo. *Linn.*
Lusit. *Cravos de Tunes.*
* Colitur in hortis. Flor. æstate. Ann.
Flos minor quam in subsequente, ex fulvo-maculatus, sæpe plenus.

2. TAGETES *erecta.*
T. Caule simplici, erecto: pedunculis nudis, unifloris. *Linn.*
Lusit. *Cravo de defunto.*
* Colitur in hortis. Flor. æstate. Ann.
Flos omnino luteus, simplex, aut plenus.

Re-

(B) *Receptaculo paleaceo.*

247. ANTHEMIS.

Calyx hemisphæricus, polyphyllus, squamis imbricatis, subæqualibus, margine et apice submembranaceis: receptaculum subconvexum: pappus nullus, ejus loco interdum coronula membranacea, edentula.

1. ANTHEMIS *mixta.*

A. Foliis simplicibus, dentato-laciniatis. *Linn.*

Hab. frequens in sabulosis circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. æstate. Ann.

Calyx lanuginosus: ligulæ albæ, basi luteæ: receptaculi paleæ apice pubescentes. Variat foliis subpinnatifidis.

2. ANTHEMIS *arvensis.*

A. Receptaculis conicis: paleis setaceis: seminibus coronato-marginatis. *Linn.*

Hab. frequens inter segetes, ad vias, in agris, prope *Quéluz*, circa Conimbricam, et alibi. Flor. æstate. Ann. aut biennis.

Folia punctis excavatis adspersa. Receptaculi paleæ sublanceolatæ, glabræ.

3. ANTHEMIS *Cotula.*

A. Receptaculis conicis, paleis setaceis: seminibus nudis. *Linn.*

Lusit. *Macella fetida, ou fedegosa.*

Hab. in agris hinc inde, circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Flor. æstate. Ann.

Paleæ receptaculi vere setaceæ: caulis erectus, ramosus: folia bipinnata, glabra.

4. ANTHEMIS *Valentina.*

A. Foliis pubescentibus, tripinnatis, setaceis: calycibus villosis, pedunculatis. *Linn.*

Lusit. *Pãoposto.*

Hab. frequens in agris circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. æstate. Ann.

Flores radio luteo. Deme radium corollæ, et habebis Anacyclum-*Valentinum.*

5. ANTHEMIS *fuscata.*

A. Foliis bipinnatifidis, glabris: stigmatibus radii castratis: seminibus subturbinatis, obtusis: receptaculi paleis subovalibus, ad margines fusco-coloratis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 15.

Lusit. *Margaça fusca, Margaça do inverno.*

Hab. in solo raro, et passim in arvis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Decembri usque ad Maj. Ann.

6. ANTHEMIS *repanda.* Linn.

A. Foliis simplicibus; radicalibus spathulatis, crenatis, glabris; caulinis oblongis, sessilibus, obtusis: caule simplici.

Hab. in dumetis, montosis, sabulosis circa Conimbricam, in *Caparica* trans Tagum, et alibi. Flor. Jul. et Aug. Ann. aut bienn.

Caulis fere pedalis, striatus, biflorus aut triflorus, glaber, ut tota planta. Flos omnino luteus, nec globosus, sed magnitudine et forma quasi ut in Chr.-Myconis, *cui sat habitu similis, sed saturate viridior: folia nulla repanda, sed crenata, spathulata, aut oblonga. Paleæ disci apice aristatæ, arista lutea, supra flosculos exserta in anthesi. Semina tetragona, squamis coronata, interdum quatuor, quarum duæ in setas breves desiniunt.*

7. ANTHEMIS *aurea.*

A. Foliis bipinnatis, subpubescentibus, foliolis teretiusculis, excavato-punctatis.

Hab.

Hab. in altioribus *Gerez* et ad Durium prope *Barca d'Alva.* Flor. vere. Ann. aut bienn.

Deme radium corollæ, habebis Anacycl.-aureum.

8. ANTHEMIS *canescens.*

A. Foliis subbipinnatis, lanuginoso-incanis: paleis receptaculi oblongo-lanceolatis, mucronatis: seminibus nudis.

Hab. in castanetis de *Portalegre*, sed rara. Flor. vere. Ann.?

Planta lanugine albâ, subtomentosâ, tecta. Caulis erectus, bipedalis, subramosus. Folia pinnata, pinnis pinnatifidis, laciniis incisis, lacinulis acutis. Pedunculi elongati, nudi, uniflori. Corollæ ligulæ albæ. Ex Cl. C. Hoffmansegg.

Affinis Anth.-Austriacæ *et* altissimæ.

248. BUPHTHALMUM.

Calyx polyphyllus, squamis duplici aut triplici serie imbricatis, nunc subæqualibus et radio brevioribus, nunc extimis longioribus radiumque superantibus: stigma in hermaphroditis crassiusculum, indivisum: seminum latera, præsertim radii, marginata: pappus nullus, ejus loco coronula dentata, aut profunde partita: receptaculum planiusculum.

1. BUPHTHALMUM *spinosum.*

B. Calycibus acute foliosis: foliis alternis, lanceolatis, amplexicaulibus, integerrimis: caule herbaceo. *Linn.*

 Lu-

Lusit. *Pampilho espinhoso.*

Hab. in collibus calcareis, ad agrorum margines circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Foliola calycis longiora apice spina terminantur.

2. BUPHTHALMUM *aquaticum.*

B. Calycibus obtuse foliosis, sessilibus, axillaribus: foliis alternis, oblongis, obtusis: caule herbaceo. *Linn.*

Lusit. *Pampilho aquatico.*

Hab. frequens ad agrorum margines et aggeres in *Caparica*, et circa Olisiponem. Flor. vere. Ann.

3. BUPHTHALMUM *maritimum.*

B. Calycibus obtuse foliosis, pedunculatis: foliis alternis, spathulatis: caule fruticoso. *Linn.*

Lusit. *Pampilho maritimo.*

Hab. in collibus maritimis prope *Lagos*, et alibi in Algarbiis. Flor. Maj. Jun. Jul.

In Algarbiis planta annua; ibi etiam radice perenni, sed caule annuo in frigidioribus humidiusculis: transplantata in Hortum Conimbricensem ibi perennis, caule suffruticoso.

249. ACHILLEA.

Calyx ovatus, polyphyllus, squamis imbricatis, angustis, appressis: flosculi radii breves, pauci, quinque ad decem: receptaculum planum: pappus nullus.

1. ACHILLEA *Millefolium.*
A. Foliis bipinnatis, nudis, laciniis linearibus, dentatis: caulibus superne sulcatis. *Linn.*
Lusit. *Millefolio.*
Hab. in pascuis circa Herminium et prope *Covide* in *Gerez*, atque etiam inter *Lamego* et *Viseu.* Flor. æstate. Peren.
Caulis pedalis, pubescens, striatus: folia bipinnato-multifida, glabra, laciniis inæqualibus, acutis; radicalia petiolata; caulina sessilia. Flores corymbosi, flosculis radii albis, sæpius quinque. Variat foliis hirsutis et subincanis. Occurrit etiam varietas flore rubro prope Campeão *in* Marão.

2. ACHILLEA *Ageratum.*
A. Foliis lanceolatis, obtusis, acute serratis. *Linn.*
Lusit. *Macella do S. João, Agerato, ou Eupatorio de Mesuć, ou Herva de S. João (de Grisley.)*
Hab. frequens in collibus calcareis, in ruderatis, ad vias circa Olisiponem, Conimbricam, et in tota fere Lusitania. Flor. Maj. usque ad Jun. Per.
Flores corymbosi, omnino lutei.

Flos-

******* *Flosculis tubulosis hermaphroditis fertilibus in disco; ligulatis fœmineis, sive neutris, sterilibus in radio.*

250. HELIANTHUS.

Calyx magnus, polyphyllus, squamis imbricatis, squarrosis, apice reflexo-patulis: semina apice bipaleacea, paleis acuminatis, deciduis: receptaculum planiusculum, amplum, paleaceum.

1. HELIANTHUS *annuus*.
H. Foliis omnibus cordatis, trinervatis: pedunculis incrassatis: floribus cernuis. *Linn.*
Lusit. *Gyrasol.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Ann.
2. HELIANTHUS *multiflorus*.
H. Foliis inferioribus cordatis, trinervatis; superioribus ovatis. *Linn.*
Lusit. *Montes d'oiro.*
* Colitur freq. in hortis ejus varietas flore pleno. Fl. æstate. Peren.
3. HELIANTHUS *tuberosus*.
H. Foliis ovato-cordatis, triplinerviis. *Linn.*
Lusit. *Gyrasol batatteiro, Batattas topinambas, ou do Brazil.*
* Colitur circa *Viseu* in Beira, etiam Duriminia et Transtagana. Flor. æstate. Peren.

******* *Floribus tubulosis masculis aut hermaphroditis fere omnibus sterilibus in disco ; ligulatis fœmineis fere omnibus fertilibus in radio.*

251. CALENDULA.

Calyx simplici serie polyphyllus, foliolis æqualibus: semina disci pauca, fertilia, marginata, interdum cymbiformia; radii diversa, longiora, curva, sæpius muricata aut scabra: receptaculum nudum: pappus nullus.

1. CALENDULA *officinalis*.
C. Seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvatis omnibus. *Linn.*
Lusit. *Maravilhas.*

* Colitur freq. in hortis. Flor. vere et æstate. Ann. aut bienn.

*Variat flore semipleno, pleno, et prolifero, colore luteo, aut aurantiaco. Etsi sæpius a subsequenti differat caule robustiori, ac rigidiori; foliis spathulatis, seu obverse ovatis; floribus triplo maioribus; seminibus omnibus incurvis, in radio etiam semicirculari-arcuatis; attamen omnia hæc inconstantem differentiam specificam constituunt, nam repetitis sationibus (maxime in solo sterili), seu hybridismo, si potius velis, fit demum toto habitu et seminibus Calend.*arvensi *maiori nostrati similis, aut vix paulo maior: idcirco illam esse varietatem* C.-arvensis *credo.*

2.

2. CALENDULA *arvensis*.

C. Seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvatis, extimis erectis, protensis. *Linn.*

Lusit. *Herva vaqueira.*

Hab. freq. inter segetes, in arvis, ad viarum margines circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura, et tota fere Lusitania. Flor. primo vere, et interdum autumno, et hyeme. Ann. aut bienn.

3. CALENDULA *suffruticosa*.

C. Seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvis; extimis protensis, erectis: caule suffruticoso: foliis subtus scabriusculis. *Vahl Symb. Bot.* 2. *p.* 94.

Hab. inter petras ad lapidicinas *Ourique*, et *Alcantara* circa Olisiponem. Flor. primo vere. Suffrutex.

Caulis basi frutescens, ramosus, interdum bipepedalis, flaccidus: rami scabriusculi, villosi: folia bipollicaria, sessilia, lineari-lanceolata, obtusiuscula, dentato-repanda, subciliata, superne læviuscula et ex albido-viridia, subtus e punctis minutis elevatis scabriuscula, præsertim in costa et ad margines. Calyx villosus. Corolla et semina C.-arvensis, *cui nimis affinis; sed differt duratione, foliis, scabritie et rigiditate, ut bene notat Cl. Vahl. In Horto Conimbricensi culta, quatuor annos vixit, servato habitu, tandem periit, nec semina ulla fertilia protulit. Attamen denuo adhuc observanda.*

252. ARCTOTIS.

Calyx hemisphæricus, polyphyllus, foliolis imbricatis, inferioribus laxioribus, intimis apice scariosis: receptaculum paleaceum aut villosum: semina, calyculo brevi, paleaceo, coronata.

1. ARCTOTIS *acaulis*.
A. Foliis radicalibus lyratis, cespitosis: scapis nudis, unifloris.
La Marck Dict. Enc.
Hab. prope *Setubal* quasi spontanea. Flor. æstate. Peren.
Folia superne tomentosa: flores disco nigricantia, radio sulphureo, magno.

SECTIO VI.

Compositifloræ spuriæ : antheris coalitis : fructu angiospermo.

253. JASIONE.

Perianthium commune (seu potius involucrum) polyphyllum, foliolis decem ad duodecim, includens, supra receptaculum nudum, flosculos plurimos pedicellatos : perianthium proprium superum, dentibus quinque subulatis : corolla profunde quinquepartita : capsula pentagona, superne amplo foramine dehiscens, calyce proprio coronata, subbilocularis, dissepimento verticaliter ad axem partito.

1. JASIONE *montana*. Linn.
J. Foliis lineari-lanceolatis, basi angustioribus, hispidis, undulato-crispis.
Jas.-undulata *La Marck. Dict. Enc.*
Hab. in montosis siccis, sabulosis, ad viarum et agrorum margines, circa Conimbricam, trans Tagum, et alibi præsertim in Beira et Lusitania boreali. Flor. Jul. et Aug. Ann.

ORDO II.

DISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Floribus incompletis: germine supero.*

254. SALSOLA.

Calyx quinquepartitus: corolla nulla: semen unicum, calyce connivente tectum; integumentum molle, membranaceum; embryo cochleatus.

1. SALSOLA *Tragus.* Linn.

S. Caule erecto, inferne ramoso: foliis subulatis, spinosis, glabris: calycibus axillaribus, patentibus, margine membranaceis.

Lusit. *Sóda*, *ou Barrilha espinhosa.*

Hab. in maritimis ad Tagum, in agris *de Vallada*, *Gollegãa*, ad Mundam prope *Figueira*, et alibi. Flor. æstate. Ann.

Caulis pedalis aut sesquipedalis, glaber, ut tota planta, erectus, ad radicem ramosus, ramis longis, adscendentibus, aut procumbentibus apice erectiusculo. Folia sessilia, inferne latiora, spinâ terminata. Flores sessiles, axillares, bractea utrinque foliis simili, at breviori, armati, digyni. Semen

men unicum, calyce corticatum, subglobosum, integumento membranaceo, tenuissimo, cinctum: embryo filiformis, in cochleam globoso-obconicam convolutus.

Nimis affinis S.-Kali, *et quomodo ab ista distinguatur varia a variis traduntur auctoribus: in S.*-Kali *folia crassa, lineari-lanceolata, subtus et margine (uti ipse caulis) scabra, seu hispida; caulem decumbentem; calyces ovatos, margine membranaceo, patenti, aut erecto, cinctos; stylum unicum, trifidum, aut bifidum esse volunt; in S.*-Trago *autem folia filiformia, basi membranacea ciliata, longiora et angustiora, quàm in S.*-Kali, *lævia (uti ipse caulis, qui erectus) calyces ovatos, membranaceos, stylosque duos esse contendunt. Ego vero has notas esse variantes existimo, proinde ambas has plantas eamdem esse speciem cum Cel. Willich. et Gmelino, nec olim etiam Casp. Bauh.* (Pin. 289) *nonnullisque aliis sui ævi Botanicis renuentibus, facile credam.*

2. SALSOLA *Sóda.*

S. Herbacea, patula, foliis inermibus. *Linn.*
Lusit. *Sóda maior.*

Hab. in maritimis ad Tagum, et Mundam prope oppidum *Figueira*, et alibi. Flor. æstate. Ann.

Folia longa, carnosa, patentia, basi lata. Flores axillares, sessiles. Semina illis præcedentis similia, sed majora.

3. SALSOLA *vermiculata.* Linn.

S. Foliis carnosis, ramulorum recentium ovatis, acutiusculis, minimis, aliis subulatis, semicylindricis; floribus spicatis, alternis, omnibus solitariis.

Hab. in arenosis ad Tagum salsum, pæsertim inter *Alfeite* et *Seixal.* Flor. Aug. Sept. Frutex.

Caulis teres, erectus, ramosus, glaber, pedalis,

lis, sesquipedalis et altior. Ramuli novi (mihi æstate observati) plurimi, brevissimi, sesquilineam ad tres lineas longi, omnes alterni. Folia omnia succulenta et glabra; quæ in ramulis recentibus brevissimis minima, imbricata, ovata, acutiuscula, alia sub ipsis ramulis longiora, tres ad quinque lineas longa, subulata, semicylindrica, patentia. Flores spicati, ramos terminantes; omnes solitarii, sessiles, alterni. Bracteæ sæpe tres, ovatæ, acutæ, calyce breviores. Calyx fructiferus, limbo membranaceo, patenti, sæpe colorato, instructus. Embryo cochleatus, integumento membranaceo involutus.

255. CHENOPODIUM.

Calyx quinquepartitus, quinquecostatus: corolla nulla: semen unicum lenticulare, horisontale, superum, calyce connivente tectum; integumentum duriusculum, fragile; embryo annularis.

1. CHENOPODIUM *urbicum.*

C. Foliis triangularibus, subdentatis: racemis confertis, strictissimis, cauli approximatis, longissimis. *Linn.*

Hab. trans Tagum prope *Cacilhas*, et inter Conimbricam et *Pereira* ad Mundæ ripas, ad sepes humidas, et alibi. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Caulis sesquipedalis et ultra, sæpius simplicissimus: folia maiora et nitidiora, quàm illa subsequentis.

2.

2. CHENOPODIUM *murale.*

C. Foliis ovatis, nitidis, dentatis, acutis: racemis ramosis, nudis. *Linn.*

Lusit. *Pé de Ganço.*

Hab. frequens in aggeribus, ad vias, muros, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. Jun. usque ad Septembr. Ann.

Caulis subramosus: racemi axillares et terminales, ramosissimi.

3. CHENOPODIUM *viride.*

C. Foliis rhomboideis, dentato-sinuatis: racemis ramosis, subfoliatis. *Linn.*

Hab. in agris, cultis, oleraceis, ad hortorum muros, inter segetes ad Mundam, et alibi. Flor. Maj. usque ad Septembr. Ann.

Nimis affine subsequenti, et illius fortasse varietas.

Caules erecti, bi et tripedales, ramosi, virides, angulati, angulis interdum purpurascentibus: folia duplo maiora, quam in subsequenti, et præsertim ramea subintegerrima, sublanceolata; omnia supra viridia, subtus farinâ albâ tecta: calyces argute pentagoni, interdum alba farina adspersi.

4. CHENOPODIUM *album.*

C. Foliis rhomboideo-triangularibus, erosis, postice integerrimis; summis oblongis: racemis erectis. *Linn.*

Hab. cum præcedenti. Flor. Maj. usque ad Aug. Ann.

5. CHENOPODIUM *Vulvaria.*

C. Foliis integerrimis, rhomboideo-ovatis: floribus conglomeratis, axillaribus. *Linn.*

Lusit. *Fédegosa.*

Hab. frequens ad muros, vias circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura, Beira, et Lusitania boreali. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann.

6. CHENOPODIUM *Botrys.*

C. Foliis oblongis, sinuatis: racemis nudis, multifidis. *Linn.*

Lusit. *Ambrosia das Boticas, ou Botrys vulgar.*

Hab. ad Durii ripas. Flor. æstate. Ann.

Folia profunde sinuata, obtusa, subvillosa: racemi parvi, axillares, numerosi.

7. C. CHENOPODIUM *ambrosioides.*

C. Foliis lanceolatis, dentatis: racemis foliatis, simplicibus. *Linn.*

Lusit. *Herva formigueira, ou Ambrosia do Mexico.*

Hab. frequens ad Tagum, Mundam, Durium, Minium, etiam ad rivulos, et ad sepes humidas in tota fere Lusitania. Flor. Jun. usque ad Septembr. Ann.

Folia, ultra medium laminæ, remote et leviter dentata; superiora ad racemos angusta, integerrima.

8. CHENOPODIUM *Scoparia.*

C. Foliis lineari-lanceolatis, planis, integerrimis. *Linn.*

Lusit. *Valverde*; olim *Belverde, ou Belvedere.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann.

9. CHENOPODIUM *maritimum.* Linn.

C. Foliis subulatis, semicylindricis; floribus axillaribus, glomeratis; seminibus nitidis, nigricantibus.

Hab. frequens ad Tagum præsertim prope *Seixal*, ad Mundam prope *Figueira*, et alibi. Flor. Aug. usque ad Octobr. Ann., aut interdum biennis.

Caulis erectus, septem ad quatuordecim uncias altus, interdum obliquus, ramosus. Folia quatuor ad tredecim lineas longa, semicylindrica, aut interdum superne etiam convexiuscula, glabra, succu-

culenta, dilute aut interdum ex albido viridia. Flores axillares, sessiles, sæpe duo ad quatuor, pauci solitarii. Semen calyce arcte tectum, et in fundo ejus sub membranula immersum, lentiforme; integumento externo nigro, nitido, crustaceo, fragili; embryo filiformis, non verè cochleatus, seu obconico-spiralis, sed in annulum hinc leviter complanato-spiralem convolutus. Habitus Salsolæ, *sed semina* Chenopodii

10. CHENOPODIUM *fruticosum.*

C. Foliis carnosis, glabris, subteretibus, obtusiusculis, submucronatis: caule ramoso, erecto; floribus sessilibus, axillaribus, solitariis, glomeratisve.

Salsola-fruticosa *Linn.*

Hab. in maritimis præsertim ad Tagum inter *Alfeite* et *Seixal*, et ad Lacobrigam in Algarbiis. Flor. æstate. Frutex.

Caulis erectus, bi-tripedalisve, ramosissimus. Folia carnosa, dense sparsa, sesquilineam ad sex lineas longa, subtus convexa, supra planiuscula, aut interdum convexiuscula; alia, præsertim inferiora, subovata, brevissima; alia superne, maxime in novis ramis, subteretia, aut quasi ancipitia: omnia obtusiuscula cum brevi mucrone incurvo. Flores axillares, plurimi solitarii, nonnulli bini, ternive. Calyx concavus, absque ullo limbo membranaceo. Semina globoso-lentiformia, nigricantia, nitida, et illis Chen.-maritimi, *tam integumentis, quam embryonis figurâ, omnino similia, magnitudine tamen minora. Habitus* Salsolæ, *semina vero* Chenopodii; *ideo ad illud retuli, ad quod etiam nonnullæ aliæ Linnæi* Salsolæ *fortè amandandæ.*

256. BETA.

Calyx quinquepartitus, quinquecostatus, maturo semine connivens: corolla nulla: germen semiinferum: semen horisontale, reniforme, basi calycis capsulari involutum.

1. BETA *maritima.*
B. Floribus subgeminis: caule adscendente.
La Marck Dict. Enc.
Hab. ad Tagi ripas, et alibi in maritimis. Flor. æstate. Bienn.
Subsequenti duplo minor: caulis ex decumbenti erectus: flores sæpius gemini, axillares, sessiles, in spicam foliaceam tenuem digesti.
2. BETA *vulgaris.*
B. Floribus congestis, ternis aut quaternis: caule erecto.
La Marck Dic. Enc.
Lusit. *Celga, ou Acelga.*
Hab. in agris, vallibusque subhumidis, circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Flor. æstate. Ann. aut bienn.
Varietas fortasse præcedentis.
Variat radice alba, lutea, rubra, cylindracea aut subnapiformi: foliis saturate aut pallide viridibus, aut rubris.
* Coluntur præcipue in hortis nostris duæ varietates:
1. *B.*-vulgaris *alba vel pallescens, quæ Cicla officinarum.* C. Bauh. Pin. 118, *Lusit.* Acelga ordinaria.
2. *B.*-vulgaris *rubra, radice rapæ.* C. Bauh. Pin.

 118,

118, *quæ Lusit.* Betarraba, *ou* Acelga vermelha. *Hæc autem cum aliis simul culta in hortis nostris, intra paucos annos degenerat, (coitu florali) et fit Beta*-vulgaris *rubra, radice cylindracea, dura.*

257. HERNIARIA.

Calyx quinquepartitus: corolla nulla: filamenta decem, quorum quinque sterilia; capsula monosperma, calyce tecta, vix dehiscens.

1. HERNIARIA *glabra.* Linn.
   H. Herbacea, procumbens, glabra: glomerulis multifloris, spicæformibus.
   Lusit. *Herniaria, ou Herva Turca.*
   Hab. in solo macro, ad aggeres sabulosos, circa Conimbricam, et alibi in Beira, et Lusitania boreali. Flor. æstate. Ann.
2. HERNIARIA *hirsuta.* Linn.
   H. Herbacea, procumbens, hirsuta: glomerulis parvis, paucifloris.
   Hab. in locis incultis macris, agris sabulosis, in Beira, et alibi in Lusitania boreali. Flor. æstate. Ann.
   Vix á præcedente specifice distincta.

258. ULMUS.

Calyx turbinatus, quinquedentatus : corolla nulla : bacca exsucca, compressa, membranaceo-alata, unilocularis, monosperma : semen sublentiforme.

1. ULMUS *campestris*.
U. Foliis duplicato-serratis, basi inæqualibus. *Linn.*
Lusit. *Ulmeiro*, *ou Ulmo.*
Hab. prope *Cintra*, in vallibus, et ad pagos in Extremadura, Beira, et Lusitania boreali quasi spontanea. Flor. Apr. Arbor procera.
Variat foliis angustioribus et latioribus.

** *Floribus completis : corolla monopetala : germine supero.*

259. CYNANCHUM.

Corolla inaperta contorta : nectarium cylindricum, plicato-angulatum, denticulatum : pericarpia folliculi duo : receptaculum liberum : semina papposa.

1. CYNANCHUM *Monspeliacum.*
C. Caule volubili, herbaceo : foliis reniformi-cordatis, acutis. *Linn.*
Lusit. *Escamonea de Mompelher.*

 Hab.

Hab. frequens ad Tagi ripas, ad aggeres, et sepes *Vallada* et *Santarem*, et alibi in Extremadura, Beira, et Transtagana prope Tagum. Flor. Jul. et Aug. Peren.

260. ASCLEPIAS.

Corolla inaperta contorta: nectaria quinque, ovata, cucullata, corniculum exserentia: pericarpia folliculi duo: receptaculum liberum: semina papposa.

1. ASCLEPIAS *Vincetoxicum*.
A. Foliis ovatis, basi barbatis: caule erecto: umbellis proliferis. *Linn.*
Lusit. *Herva contraveneno.*
Hab. in sylvis et dumetis in *Gerez*. Flor. Maj. et Jun. Peren.
Flores albi.

2. ASCLEPIAS *nigra*.
A. Foliis ovatis, basi barbatis: caule superne subvolubili. *Linn.*
Hab. in sylvaticis, et præsertim ad rupes umbrosas prope *Eiras* circa Conimbricam, et alibi et Beira boreali, et Interamnia. Flor. Maj. et Jun. Peren.
Flores nigricantes.

*** *Floribus completis : corolla pentapetala : germine supero.*

261. VELEZIA.

Calyx tubulosus, filiformis, quinquedentatus : petala unguiculata, parva : capsula unilocularis, cylindrica, quadridentata : semina plurima, receptaculo setaceo, libero, affixa.

1. VELEZIA *rigida*.
V. Foliis subulatis, cauli appressis : calycibus rigidis. *Linn.*
Hab. in collibus *de Alcantara* prope Olisiponem, et pone Cœnobium Theresiarum prope Conimbricam, sed raro. Flor. Maj. Jun. et Jul. Ann.

Flo-

**** *Floribus completis, aut subcompletis: perianthio supero, quinquedentato, aut integro obsoleto: corolla pentapetala: germine infero: fructu longitudinaliter bipartibili, dispermo.*

UMBELLATÆ.

(A) *Involucro universali et partiali.*

262. HYDROCOTYLE.

Umbella simplex, pedicellata, plerunque e centro prolifera, seu floribus quasi verticillato-spicatis: involucrum di-tetraphyllum: calyx proprius obsoletus: petala integra, patentia: fructus orbiculato-compressus, glaber.

1. HYDROCOTYLE *vulgaris*.
H. Foliis peltatis: umbellis quinquefloris. *Linn.*
Hab. in humidis et inundatis prope *Comporta* et in *Costa da Trafaria*, in uliginosis montanis de *Lousãa*, et alibi. Flor. Jul. et Aug. Peren.
Caules repentes: folia orbicularia, repando-crenata: pedunculi axillares, aut radicales, petiolis breviores, umbella simplici terminati: flores quinque ad sex aut octo, subsessiles: umbella interdum prolifera.

263. ERYNGIUM.

Umbella simplex, multiflora, capituliformis: involucrum polyphyllum: perianthium proprium longe quinquedentatum: receptaculum commune paleaceum, conicum: fructus subovatus.

1. ERYNGIUM *campestre. Linn.*

E. Foliis amplexicaulibus, pinnato-laciniatis, laciniis lato-cuneatis, spinosis: caule superne ramosissimo: capitulis plurimis: paleis indivisis. Lusit. *Cardo corredor.*

Hab. frequens in collibus calcareis, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. et Jun. Peren.

2. ERYNGIUM *maritimum.*

E. Foliis radicalibus subrotundis, plicatis, spinosis: capitulis pedunculatis: paleis tricuspidatis. *Linn.*

Hab. ad maris littora arenosa, prope Olisiponem, *Figueira*, et alibi. Flor. Maj. usque ad Jul. Peren.

Folia sunt glaucescentia: involucrum universale plerunque hexaphyllum, cærulescens: calyx proprius quinquespinosus.

3. ERYNGIUM *dilatatum.*

E. Foliis radicalibus subcuneato-pinnatifidis, apice dilatatis, trifido-laciniatis, spinosis: involucris lanceolatis, sæpius hexaphyllis, margine spinosis.

La Marck Dict. Enc.

Hab.

Hab. frequens in collibus calcareis, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. æstate. Peren.

Radix ramosiuscula, perennis. Caulis solitarius, interdum duo tresve ex eadem radice, semipedalis, pedalisve, erectus, glaber, ut tota planta, teres, striatus, superne aut interdum é medio ad apicem subramosus, ramis erectis, superioribus longioribus, subtrichotomis, inferioribus alternis. Folia radicalia anguste subcuneata, pinnatifida, apice trifida, laciniis cuneatis, trifidis, integris, aut trifido-lacinulatis, spinosis; caulina triplo quadruploque breviora, linearia, lateribus spinosa, tripartita, laciniis acuminatis, dentato-spinosis, alterna, ad trichotomias opposita. Flores pedunculati, pedunculo medio indiviso, lateralibus paulo longiori. Involucrum sæpius hexaphyllum, interdum hepta-octophyllum, raro enneaphyllum, foliola patentia, margine et apice spinosa, basi setis spinosis interstincta, lanceolata, inæqualia, capitulo duplo longiora, sæpius cærulea, uti pedunculi, folia suprema, et capitulum quoque sunt. Capitulum hemisphæricum: petala bifida, inflexa: paleæ indivisæ, pungentes, calyce paulo longiores. Fructus obovatus, squamulosus, calyce coronatus.

2. ERYNGIUM *corniculatum.*

E. Foliis radicalibus lanceolatis, dentatis, partitisve, longe petiolatis, petiolis fistulosis, intus articulatis; caulinis supremis tricuspidatis: capitulo conico, spina longa sæpius terminato.

Eryng.-*palustre* Lusitanicum corniculatum. *Tournefort. I. R. H. p.* 327.

Eryng.-*palustre* Lusitanicum erectum, Psylii capitulo. *Tournefort. I. R. H. p.* 327.

Eryng.-*palustre* Lusitanicum humifusum. *Tournefort. I. R. H.* ibidem.

Eryng.-

Eryng.-minus, palustre, odoratum *Grisley Vir. Lusit. n. 479.*

Eryng.-corniculatum, et odoratum, et galioides. *La Marck Dict. Enc.*

Hab. in humidis, fossis, inundatisque ad Tagum, Mundam circa *Pereira*, et inter *Angeja* et Talabricam in paludosis, et á Vacca inundatis, etiam in *Villa da Lagôa* in Algarbiis. Flor. æstate. Peren.

Radix fibrosa, perennis. Caulis sæpius solitarius, interdum duo aut tres ex nodo ejusdem radicis, semipedalis, pedalis, aut paulo altior, sæpius erectus, interdum obliquus, aut prostratus, fistulosus, teres, striatus, læte viridis, glaber, ut tota planta; superne trichotomus, aut dichotomus, pedunculo in bifurcatione terminatus semper ramis lateralibus breviore; interdum etiam inferne ramosus, ramis alternis, ad apicem trichotomis aut dichotomis. Folia radicalia sæpius erecta, longe petiolata, petiolis subteretibus, fistulosis, articulatis, tubo scilicet multis septis transversis instructo; lamina primum lanceolata, seu ovato-lanceolata, denticulata, demum tri-quinquepartita, vage dentata, spinosa. Folia infima caulis partita, dentato-spinosa, etiam longe petiolata, petiolis canaliculatis, alterna, uti etiam media, quæ valde minora et brevissima, subpalmata, laciniis quinque inæqualibus, concavis, subulatis, apice et interdum ad latera spinosis, é medio ad basin angustata, sursum convoluta, ramosque semivaginantia: superiora et suprema opposita, sive terno-verticillata, tripartita, basi brevi semivaginanti; laciniis subulatis, concavis, sæpius integerrimis, apice spinosis. Involucrum sæpius pentaphyllum, rarius hexaphyllum, patentissimum, foliolis subulatis, concavis, carinatis, integerrimis, apice spinosis, sæpius capitu-

 lo

lo valde longioribus, subæqualibus, sexto excepto; qui cum adest, duplo aliis brevior. Capitulum ovatum, seu conicum, obtusum, tres ad septem lineas longum, apice foliolo uno spinoso, longo, aliis involucri simili, terminatum; sæpius, ad istius latus, aliud brevissimum foliolum adest, quæ ambo uti bracteæ duæ comosæ considerari debent, exoriuntur enim ex apice rachis seu seminum receptaculi. Color totius capituli cæruleus. Calycis laciniæ mucronatæ: paleæ indivisæ, longitudine calycis, subpungentes. Semina obovata, mollibus, brevissimis setis obtecta.

Planta nimis varians, pro soli sicci, aut plus minusve humidi diversitate, ut in Horto Regio Conimbricensi, et alibi observavi. In siccioribus involucra brevissima interdum sunt; capitula sessilia, aut subsessilia, minora, odorata citri odore; receptaculi paleæ subtrifidæ, calyce valde longiores; caulis ramosior, humilior, gracilior, debilior; coma spinosa capituli vel adest, vel deest; folia interdum sessilia, minima. In humidioribus habitus sæpius undique maior, ut in descriptione data, et flores inodori, præsertim si locus insimul subumbrosus est.

5. ERYNGIUM *tenue.*

E. Foliis radicalibus subcuneatis, inciso-dentatis; caulinis profunde multipartitis, subpalmatis, laciniis lineari-lanceolatis, remote serratis: involucris similibus: paleis trifurcis.

La Marck D. Enc.

Hab. ad oppidum *Manteigas* prope Herminium, et circa *Amarante*, in *Moimenta da Beira*, et alibi in Interamnia et Transmontana. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Radix annua, brevis, crassitudine pennæ gallinaceæ. Caulis semipedalis, pedalis, aut paulo altior,

tior, teres, glaber, ut tota planta, erectus, leviter striatus, é medio ad apicem ramosus; rami inferiores alterni, supremi oppositi, et caule pedunculiformi, capitulum unicum ferenti, valde longiores; omnes trichotomi. Folia radicalia oblonga, subcuneata, inciso-sive-partito-dentata; infima caulis similia, parum distantia, alterna, uti etiam media; at suprema opposita, omnia basi semiamplexicaulia, subcuneata, profundissime partita in lacinias quinque ad septem inæquales, angustas, lineari-lanceolatas, remote et fere ex opposito serratas, (dentibus in spinulas molles terminatis) medias longiores, ad sesquiunciam longas. Involucrum sæpius octophyllum; foliola laciniis foliorum similia, sed spinulis rigidioribus, nonnullis ad apicem pedunculi reflexis, capitulo fere triplo longioribus, interdum cærulescentia. Capitula parva, ovato-subrotunda, terminalia, omnia pedunculata. Flores cærulescentes: paleæ flosculis longiores, trifurcæ, inferne una alterave spinula instructæ.

Pro varietate Er.-pusilli *Linn. habetur, sed radix non perennis, caulis crassior, involucrum spinosius, capitula non sessilia; nec folia caulina integra sunt, uti a J. Bauh. Hist. pl. vol. 3. p. 87. E.*-pusillo *tribuuntur.*

6. ERYNGIUM *ilicifolium.*

E. Foliis indivisis, radicalibus et infimis oblanceolatis, subpetiolatis, irregulariter dentato-spinosis: capitulis oblongo-cylindricis: paleis trifurcis.
La Marck D. Enc.

Hab. in asperis subalpinis *Gerez.* Flor. æstate. Ann.
Comm. prim. a Cl. P. Link.

Radix breviter ramosa, annua. Caulis ex semipede ad sesquipedem altus, teres, striatus, glaber, ut tota planta, erectus, simplex, ad apicem vix ramulo uno aliove instructus. Folia radicalia

*et infima caulis oblanceolata, in brevissimum petiolum attenuata, indivisa, irregulariter dentata, dentibus spinosis, non longe dissimilia foliis Ilicis-*Aquifolii; *suprema sessilia, semiamplexicaulia, sensim minora, etiam indivisa, et dentato-spinosa. Capitula terminalia, duo ad tria. Involucrum pinnatifido-spinosum, diametro capituli paulo latius, illiusque altitudine multoties brevius. Capitulum oblongum, cylindraceum, crassitudine digiti minimi, unam ad duas uncias longum. Calycis foliola apice unispinosa. Paleæ flosculis valde longiores, apice spinoso-trifurcæ. Semina squamis imbricatis instructa.*

264. OENANTHE.

Umbella universalis pauciradiata; partialis subglobosa, radiis brevissimis, congestis: involucrum universale oligophyllum aut subnullum; partiale polyphyllum: calyx quinquedentatus: petala inæqualia: fructus oblongus aut subovatus, striatus, calyce stylisque coronatus.

1. OENANTHE *apiifolia*.

O. Foliis radicalibus et caulinis bipinnatis, tripinnatisque; supremis pinnatis, foliolis omnium cuneiformibus, inciso-serratis, striatis: fructu oblongiusculo, striato, subtereti. *Broter. Phyt. Lusitan. fasc.* 1. *n.* 16.

Lusit. *Embude.*

Hab. ad rivorum margines, et in umbrosis humectis

ctis ad Mundam prope Conimbricam, et alibi præsertim in Beira. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Affinis O.-crocatæ; *sed ultra alias differentias succo aqueo, nec croceo, prædita est.*

Variat foliorum foliolis tenuioribus, lineari-lanceolatis et habitu minori ad Mundam, *sed rarior, et forte species diversa.*

2. OENANTHE *pimpinelloides.*

O. Foliolis radicalibus cuneatis, fissis; caulinis integris, linearibus, longissimis, simplicibus. *Linn.*

Hab. ad ima collium, in dumetis humidis, et subumbrosis, in *Caparica*, *Montejunto*, etiam circa Conimbricam et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Jun. Jul. Peren.

Radices, ut in præcedenti et aliis speciebus, tuberoso-fasciculatæ. Caulis pedalis aut sesquipedalis, simpliciusculus, paucifolius. Folia radicalia bipinnata, foliolis sæpius subcuneatis; caulina inferiora pinnata, foliolis linearibus; suprema simplicia, aut rarius ternata, foliolis etiam linearibus. Flosculi in radio plurimi abortiunt.

3. OENANTHE *globulosa.* Linn.

O. Foliis radicalibus pinnatis, foliolis lanceolatis: fructibus globosis.

Hab. circa *Monchique.* Flor. Jun. Jul. Peren.

Radices re verâ tuberoso-fasciculatæ.

4. OENANTHE *fistulosa.* Linn.

O. Radice repente: foliis caulinis pinnatis, filiformibus, fistulosis.

Hab. frequens in paludosis, fossis, inundatis, circa Conimbricam, *Aveiro*, et alibi. Flor. Jun. Jul. Peren.

Involucrum universale nimis caducum, ita ut nullum sæpius videatur.

265. CUMINUM.

Utraque involucra sæpius tetraphylla, foliolis simplicibus et trifidis: umbellulæ quatuor: calyx obsoletus: petala inflexo-emarginata, subæqualia: fructus ellipticus, striatus, scabriusculus.

1. CUMINUM *Cyminum.* Linn.
Lusit. *Cominhos.*

* Colitur in hortis, præsertim in Provinciis australioribus. Flor. æstate. Ann.

Caulis semipedalis, glaber, striatus, ramosus. Folia alterna, decomposita, aut supradecomposita, laciniis setaceis. Umbellæ et umbellulæ sæpius quadriradiatæ.

266. SISON.

Utraque involucra paucifolia : umbella pauciradiata, plana : calyx obsoletus : petala lanceolata, aut cordata, inflexa : fructus ovatus, striatus.

1. SISON *verticillatum*. Linn.
S. Foliis pinnatis, foliolis verticillatis, brevibus, capillaceis.
Sium-verticillatum *La Marck.*
Hab. in uliginosis montosis *de Lousãa*, *Miranda do Corvo.* Flor. Jun. Jul. Peren.

2. SISON *nodiflorum*.
S. Foliis pinnatis: umbellis axillaribus, subsessilibus.
Lusit. *Rabaças*.
Sium-nodiflorum *Linn.*
Hab. frequens in rivulis, fossis, ad ripas circa Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. Maj. usque ad Aug. Peren.
Involucrum universale ante florescentiam polyphyllum, caducum, et sæpius deficit florescentiæ tempore.

3. SISON *sylvaticum*.
S. Foliis radicalibus longe petiolatis, decompositis; foliolis tripartitis, lacinulis cuneatis, incisis: caule fere aphyllo. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 17.
Hab. in Beiræ locis umbrosis, sylvaticis: inveni primùm in loco, vulgò *Brejo*, ad aquilonem Cœnobii Montis Oliveti prope Conimbricam, et in sylvis *de Bussaço.* Flor. Jun. et Jul. Peren.

4.

4. SISON *arvense.*

S. Foliis pinnatis, foliolis sessilibus, ovato-oblongis, acutis, serrato-incisis: caule flexuoso, laxe ramoso: umbellis ante florescentiam cernuis. *Brot.*

Hab. circa Conimbricam, et Olisiponem, in subumbrosis et inter segetes, sed raro et parce. Fl. Jul. et Aug. Ann.

Radix annua, sive biennis, alba, ramosa, superne crassitudine pennæ anserinæ aut paulo plus. Caulis bipedalis et ultra, solitarius, aut interdum plures (quinque, sex ex collo ejusdem radicis, tunc dimidio breviores) glaber, ut tota planta, teres, leviter striatus, flexuoso-ramosus, quasi dichotomus; rami é basi usque ad apicem laxe alterni, patentes aut patuli, in alios parvulos ramulos laxe subdivisi. Folia radicalia in orbem posita, pinnata cum impari trifido, inciso; foliolis ad decem paria, sessilibus, octo lineas longis, obliquis, ovato-oblongis, acutis, incisis, lacinulis acutis, serratis, dentibus mucronatis, lacinula infima inferiori maiori, auriculæformi. Petiolus folio paulo brevior, canaliculatus, striatus. Folia caulina et ramea similia, sensim superiora versus decrescentia, alterna, petiolo inferne sensim latiori, canaliculato, marginibus membranaceis, ramum semicingentibus, basi caulem subamplexante; extrema simplicia, linearia, aut trifida, aut breviter pinnata, pinnulis setaceis. Umbellæ remotiusculæ, longe pedunculatæ, caules et ramos terminantes, vel interdum laterales ex opposito unius folii, et unius novi rami, ante florecentiam cernuæ, postea erectæ. Involucrum universale polyphyllum, foliolis tres ad quinque, subsetaceis, acutis, inæqualibus, viridibus, radio singulo valde brevioribus, inferne ad margines membranaceis: partiale sæpius pentaphyllum, foliolis lineari-lanceolatis, acutis, marginibus submem-

membranaceis, umbellula brevioribus. Umbella universalis pauciradiata, radiis quatuor ad sex, erecto-patulis, valde inæqualibus: umbellulæ etiam pauciradiatæ, radiis quinque ad novem, etiam valde inæqualibus. Calyx proprius vix ullus. Corolla universalis uniformis, flosculi omnes fertiles: corollæ petala alba, aut interdum ex albo-purpurascentia, lanceolata, involuta, æqualia. Germen ovatum, striatum; stylus vix ullus; stigmata brevissima, truncata. Staminum filamenta alba, longitudine corollæ, incurva: antheræ purpureæ, subglobosæ. Fructus ovato-subrotundus, vix ultra lineam longus, utrinque subcomplanatus. Semina hinc plana, inde convexa, glabra, striis quinque, costis obtusis quatuor; sapore breviter aromatico, acriusculo.

Planta nimis affinis Sis.-Amomo *et Sis.*-segetum, *et media inter illa: an Sis.*-segetum *varietas maior?*

5. SISON *pumilum.*

S. Foliis radicalibus bipinnatis, foliolis sæpius bifidis trifidisve, laciniatis, subsetaceis: caule erecto, anguloso: umbellis oppositifoliis, longe pedunculatis. *Broter.*

Hab. in sabulosis ad fluvium *Tavora* circa *Moimenta*, et alibi in Beira boreali, et Transmontana. Flor. æstate. Ann.

Radix annua, alba, ramosiuscula. Caulis erectus, semipedalis, pedalis, vix paulo maior, glaber, ut tota planta, angulosus, striatus, ramosiusculus. Folia radicalia et infima caulis bipinnata, foliolis subcuneatis, sæpius bifidis trifidisve, lacinulis brevibus, angustis, sublineari-setaceis, petiolo carinato, striato, basi lata marginibus membranaceis; superiora bipinnata; suprema pinnata, lacinulis, ut in radicalibus. Umbellæ terminales et oppositifoliæ, pedunculis fere duplo breviores. Involu-

*lucrum universale polyphyllum , foliolis septem ad decem, integerrimis, setaceis, patentibus, umbella triplo brevioribus; partiale etiam polyphyllum, foliolis setaceis, mucronatis, umbellula paulo brevioribus. Umbella universalis planiuscula, radiis septem ad decem, inæqualibus; partialis radiis octo ad tredecim. Flosculi omnes fertiles. Calyx obsoletus. Corollulæ albæ, petalis inflexo-cordatis, æqualibus. Fructus glaber, parvus, ovatus, gibbosiusculus, utrinque dorso tricostatus, costis argute elevatis, albicantibus, ad latera depressus, fere ut ille Apii-*Petroselini *tam forma, quam magnitudine.*

267. ANGELICA.

Involucrum universale paucifolium : umbellulæ globosæ : calyx subquinquedentatus : petala lanceolata, incurva, æqualia : styli reflexi : fructus subrotundus, angulatus : semina alis marginalibus duris.

1. ANGELICA *sylvestris.*
A. Foliolis æqualibus, ovato-lanceolatis, serratis. *Linn.*
Lusit. *Angelica sylvestre.*
Hab. in sylvaticis humidis, prope *Cintra* in Extremadura. Flor. Jul. et Aug. Peren.

2. ANGELICA *montana.*
A. Foliis bipinnatis, foliolis ovatis, serratis, oppositis, integris, bilobis, trilobisve. *Broter.*
Hab. ad ima umbrosa, et humida montium *de Lousãa*

sãa et *Miranda*, necnon ad Mundæ margines prope Conimbricam. Flor. Jun. Jul. Bienn.

Caulis tripedalis aut paulo altior, ramis paucis. Folia atro-virentia, maxime in culta, decomposita, aut supradecomposita; in planta spontanea valde maiora, quam in Ang.-sylvestri, *et in planta culta maxima et similia illis Ang.*-Archangelicæ; *tunc foliolum impar sæpius bilobum, rarius trilobum, lobis lateralibus intermedio angustioribus; in planta vero inculta foliolum impar sæpius integrum est, raro bilobum. Umbella densa, multiradiata, sphærica, flosculis albis. Protypum Ang.*-Archangelicæ *esse videtur.*

268. LASERPITIUM.

Involucra utraque polyphylla: umbellæ utræque multiradiatæ: calyx obsolete denticulatus: petala inflexo-emarginata, patentia: fructus oblongus, angulis, octo membranaceis.

1. LASERPITIUM *thapsiæforme.*

L. Caule fere aphyllo, simplici, glabro: foliis radicalibus tripinnatis; foliolis subcuneatis, multifidis, lacinulis extremis minimis, setaceis, acutis: umbella convexa. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 18.

Hab. in solo macro et sabuloso ad Conimbricam; et ultra Tagum in pinetis *de Almada* et *Caparica*, et alibi in Lusitania australi. Fl. Jun. Jul. Per.

2. LASERPITIUM *aquilegifolium.*

L. Foliolis obtusis, basi ovatis, lobatis. *Jacquin.* Flor. Austr. t. 2. 147.

Hab. in sylvaticis *de Gerez.* Flor. æstate. Peren.

Folia decomposito-pinnata, foliolis sessilibus, ovali-subrotundis, extrorsum serrato-crenatis, lobatisve. An potius nova species? Clar. P. Link.

3. LASERPITIUM *peucedanoides.* Linn.

L. Foliis radicalibus bipinnatis, foliolis lineari-lanceolatis, distinctis, confluentibusve, venoso-striatis, utrinque glabris: seminum intercostis fere quatuor minimis, obsoletis.

Lusit. *Pyretro da Beira.*

Hab. in subumbrosis humidis, pratis udis, ad rivulos, ad ima montium *Miranda*, *Lousão*, et alibi in Beira, etiam in Transtagana. Flor. æstate et autumno. Peren.

Radix subfusiformis, ramosa, superne sex octoque lineas crassa, cortice fusco, sapore acri, amaro, aromatico. Caules sæpius plures ex eadem radice, erecti, sesquipedales, bipedales et ultra, glabri, ut tota planta, fistulosi, subteretes, leviter angulati, striati, sæpius è basi ad apicem ramosi; ramis alternis, distantibus, erectis, paucis, quatuor sive quinque, inferioribus altioribus, subdivisis. Folia radicalia et infima caulis petiolata, bipinnata, pinnis infimis longius petiolatis, aliarum petiolis sensim decrescentibus; foliolis aliis lineari-lanceolatis, integerrimis, sesquilineam ad duas lineas in medio latis, semiunciam ad unciam et ultra longis; aliis, præsertim terminalibus, confluentibus, seu tripartitis, bipartitisve, rarius quadripartitis; omnibus utrinque glabris, venoso-striatis.

Petiolus fistulosus, semiteres, striatus, supra subcanaliculatus, longitudine folii, aut longiori, basi late membranacea. Folia inferiora caulis alterna, parcius bipinnata, aut pinnata, foliolis etiam lineari-lanceolatis, sed valde longioribus, basi cau-

lem subvaginantia, et fere amplexantia: superiora ternata, foliolis lineari-lanceolatis, subæqualibus, petiolo late membranaceo, caulem subvaginanti: suprema simplicia lineari-lanceolata, petiolo præcedentium simili. Umbellæ caulem et ramos terminantes. Involucrum universale paucifolium, foliolis tribus ad quinque, acuminatis, sublanceolatis, inæqualibus, umbella valde brevioribus, reflexis, sæpius caducis; partiale foliolis quatuor quinqueve, similibus, reflexis, inæqualibus, longioribus, umbellulæ longitudine. Umbella universalis convexiuscula, radiis septem ad octo, striatis, inæqualibus; partialis convexa, radiis octo ad viginti, inæqualibus, longioribus, ad duas lineas cum dimidia longis. Flosculi centrales plurimi abortientes. Calyx obsoletus. Corollæ petala æqualia, involuta, emarginata, extus purpurascentia, intus albida. Antheræ luteæ, demum albæ. Fructus ovali-oblongus, valde compressus. Semina valde compressa, hinc plana, inde convexula, ad margines alato-membranacea, dorso quinquecostata cum interjectis quatuor alternantibus costis, seu alis minimis, quæ interdum maturitate plena disparent ita, ut semina obtusis quinque costis, cum quatuor sulcis interjectis, solum instructa conspiciantur.

*Affine Selino-*Chabræi; *sed ultra alias differentias involucro et involucellis differt, quæ in isto sæpius nulla, aut ut plurimum unifolia. Ex D.* Wulfen *non differt á Laserpit.*-angustifolio *Linn.; nam foliola sunt vel angustiora vel latiora, prout diversa plantæ ætas, aut diversa soli natura.*

269. LIGUSTICUM.

Umbellæ utræque multiradiatæ : calyx vix quinquedentatus : corollæ æquales ; petalis involutis, integris : fructus oblongus , seminibus quinquecostatis , quadrisulcis.

1. LIGUSTICUM *peregrinum.*

L. Umbellæ primariæ involucro subnullo ; lateralium basi membranaceo : radiis subramosis. *Linn.*

Habitare in Lusitania a Cel. Linnæo dicitur ; sed ubi illud crescat ignotum.

Simile (ex ipso Autore *Sp. pl.*) *Petroselino*, *etiam sapore et odore* , *sed crassiora rigidioraque omnia. Caulis bipedalis*, *rigidus*, *angulatus*, *lævis. Folia supradecomposita*; *summa ternata*: *foliolis tripartitis*; *laciniis cuneatis*, *incisis*, *glabris*, Petroselini, *sed maioribus. Petioli lateribus membrana alba. Involucrum universale umbellis triplo brevius*; *foliolis linearibus*, *basi utrinque albo-membranaceis*, *vix ramosis. Umbella prima sæpissime nullum involucrum habet. Involucella linearia* , *longitudine umbellulæ. Petala flavescentia*, *inflexo-emarginata. Filamenta corollâ longiora*, *antheris albis. Semina lævia*, *vix striata.*

270. HERACLEUM.

Involucrum caducum : petala inflexo-emarginata, in disco æqualia, in radio inæqualia, externa bifida : fructus ellipticus, compressus, apice emarginatus : semina dorso quadri-striata, marginibus alato-membranacea.

1. HERACLEUM *Sphondylium.* Linn.
H. Foliis pinnatis ; foliolis pinnatifidis, lobatis : corollis inæqualibus, petalis in radio maioribus, bipartitis.
Lusit. *Canabraz, ou Esphondylio, ou Branca ursina de Allemanha.*
Hab. frequens in vallibus humidis, nemorosis, et subhumidis montosis in Beira, et aliis Provinciis. Flor. Jul. et Aug. Peren.
Flosculi albi, aut purpurascentes, subæquales in disco, ibi sæpe abortientes. Foliis angustioribus et latioribus variat.

271. FERULA.

Umbellæ utræque multiradiatæ, subglobosæ: involucrum caducum; partiale polyphyllum, breve: calyx obsoletus: petala oblonga, subæqualia, lutea: fructus ovalis, compresso-planiusculus; seminibus dorso trilineatis.

1. FERULA *communis*. Linn.
F. Foliis supradecompositis; foliolis linearibus, simplicibus, longissimis.
Lusit. *Canafrecha*.
Hab. ad ima collium, in herbidis subhumidis circa Conimbricam, et alibi. Flor. Jun. Jul. Peren.
Caulis quinque ad octo pedes altus; umbellæ ad apicem sæpius ternæ, media breviori: folia glabra, sed non nitida.

2. FERULA *nodiflora*.
F. Foliis supradecompositis; foliolis linearibus, angustissimis: umbellis pedunculatis, ad nodos verticillatis, verticillis involucro cinctis.
La Marck Dict. Enc.
Hab. ad ima montium, in herbidis prope *Moimenta* in Beira boreali. Flor. æstate. Peren.
Folia quadruplicato-pinnata; foliolis extremis lineari-setaceis, ternis binisve, glabris, supra subcanaliculatis, uti petioli, quorum maiores ad basin appendiculato-foliacei. Caulis tri aut quadripedalis, striatus, simplex, superne fere aphyllus; verticillis duobus aut tribus, in inferioribus umbellæ tres aut quatuor, in extremo sæpius sex, pedunculatæ,

pe-

pedunculis bi-triuncialibus. Involucra et involucella polyphylla, reflexa, foliolis acutis, lineari-lanceolatis.

272. PEUCEDANUM.

Involucrum utrunque polyphyllum, breve: calyx minimus, quinquedentatus: petala oblonga, incurva, æqualia, lutea: fructus ovalis, compressus, ala brevi cinctus, utrinque striatus.

1. PEUCEDANUM *officinale.*
P. Foliis quinquies tripartitis, filiformibus, linearibus. *Linn.*
Lusit. *Funcho de porco*, *Hervatão porcino*, *ou Brinça.*
Hab. in pratis prope *Pezo da Regoa*, et alibi in Transmontana et Duriminia. Flor. Jun. Jul. Peren.

273. CACHRYS.

Involucrum utrunque polyphyllum: umbella utraque multiradiata: petala lanceolata, æqualia, incurva, lutea, aut alba: fructus magnus, subovalis, cortice suberoso.

1. CACHRYS *lævigata.*
C. Foliis supradecompositis, ferulaceis, laciniis se-

taceis, brevibus: seminibus glabris, non sulcatis.

La Marck D. Enc.

Cach.-Morisoni *Vahl. Symb. Bot. F.* 3. *p.* 49.

Hab. in collibus calcareis *da Pedrulha*, et *Marcos da Pedrulha* prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Bienn. aut trienn.

Caulis sesquipedalis, ramosus; ramis ternis quaternisve: semina subovalia, valde fungosa, absque costis ullis, aut interdum vix sulcis obsoletis.

2. CACHRYS *Sicula.*

C. Foliis bipinnatis; foliolis linearibus, acutis: seminibus sulcatis, hispidis. *Linn.*

Hab. in collibus calcareis et basalticis Olisiponensibus, et alibi in Extremadura, Transtagana, et Algarbiis. Flor. vere. Bienn., trienn., et ultra.

3. CACHRYS *panacifolia.*

C. Foliis radicalibus et infimis ellipticis; mediis palmato-pinnatifidis; extremis pinnatis, inæqualiter serratis: seminibus hirsutis, parum suberosis.

Cachr.-panacifolia *foliis pinnatis, ternatisque, foliolis oblongis, crenatis, seminibus hirsutis.* Vahl. Symb. Bot. Fasc. 1. p. 25.

Hab. prope *Castanheira*, et inter *Alemquer* et *Vallada* in Extremadura. Flor. vere. Peren.

274. ATHAMANTHA.

Involucrum universale polyphyllum, aut rarius monophyllum: umbella et umbellulæ multiradiatæ: calyx obsoletus: petala ovata, inflexa, emarginata, subæqualia: fructus subovalioblongus, striatus, lanuginosus.

1. ATHAMANTHA *Cretensis.*
A. Foliolis linearibus, planis, hirsutis: petalis bipartitis: seminibus oblongis, hirsutis. *Linn.*
Lusit. *Dauco Cretico, Bisnaga Cretica, ou Cenoira de Creta.*
Hab. in *Serra d'Arrabida.* Flor. Jul. et Aug. Per.
Folia triplicato-pinnata.

2. ATHAMANTHA *Turbith.*
A. Involucro universali monophyllo: seminibus striatis, villosis, stylatis. *Linn.*
Seseli-Turbith *Linn.*
Hab. prope *Cintra.* Flor. Jun. et Jul. Peren.
Caulis semipedalis aut pedalis. Folia supradecomposita, linearia, divaricatissima, fere setacea. Involucrum universale sæpe monophyllum; partialia monophylla, umbellulis breviora. Flores albi: styli persistentes: semina oblonga, villosa.

275. CHRITMUM.

Involucrum utrunque polyphyllum: umbellæ et umbellulæ hemisphæricæ, multiradiatæ: calyx obsoletus: petala ovata, inflexa, subæqualia, alba: fructus ovalis, striatus, utrinque tricostatus, glaber.

1. CHRITMUM *maritimum*. Linn.
C. Foliis bipinnatis, foliolis lanceolatis, carnosis, glabris.
Lusit. *Perrexil do mar*, *ou Funcho marinho*.
Hab. in rupibus maritimis, maxime ex *Boarcos* ad *Cabo da Roca*, rarius trans Tagum. Flor. Jun. Jul. Per.
Caulis pedalis, glaber, subramosus. Flores albi.

276. CONIUM.

Involucrum universale tri-s.-pentaphyllum, reflexum; partiale triphyllum, dimidiatum: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, inæqualia: fructus ovatus, subglobosus, seminibus quinquecostatis, costis ante maturitatem undulatis.

1. CONIUM *maculatum*. Linn.
C. Foliis tripinnatis: caule maculis atro-purpureis ads-

adsperso: seminum costis ante maturitalem undulatis.

Lusit. *Cegude*, *ou Cicuta ordinaria*, *Cicuta maior*, *ou terrestre*; *Ansarinha malhada*.

Hab. ad sepes, rivulos, et in locis humidiusculis inter *Pereira* et Conimbricam, circa Olisiponem, et alibi in omnibus Lusitaniæ Provinciis, at non frequens. Flor. æstate. Ann.

277. BUNIUM.

Involucrum universale paucifolium, aut polyphyllum; partiale paucifolium: umbellæ multiradiatæ: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, æqualia, alba: fructus oblongiusculus, subovalis, obsolete striatus.

1. BUNIUM *Bulbocastanum*. Linn.

B. Radice globosa: foliis radicalibus multiplici-pinnatis: petiolis cauleque ad basin rectis: involucro polyphyllo: stylis deciduis.

Lusit. *Castanha subterranea menor.*

Hab. in herbidis humidis, dumetisque humosis ad declivia montium *Lousãa* et *Miranda*, et alibi in Beira boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Foliorum radicalium foliola cuneata, interdum quasi Cerofolii. Flores albi.

2. BUNIUM *flexuosum*.

B. Radice globosa: foliis radicalibus multiplici-pinnatis: petiolis cauleque ad basin subflexuosis: involucro monophyllo triphyllove, deciduo: stylis persistentibus.

Lu-

Lusit. *Castanha subterranea maior.*
Curtis. Lond. 5. *n.* 46.

Hab. in pascuis et dumetis humosis montanis, ad pinetum de *Marrocos* prope Conimbricam, et alibi in Beira boreali. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Bulbocastanum tenuiter inciso folio, Lusitanicum. Grisl. Virid. Lusit. n. 234

Radix tuberosa, subglobosa, depressiuscula, cortice fusco, radiculis capillaribus hinc inde instructa, magnitudine nunc nucis avellaneæ, nunc fere duplo maior; nullatenus angulata.

Folium radicale primordialiter unum, quo vigente, alia pauca, duo triave, exoriuntur, viridia, utrinque glabra, supradecomposita, seu quasi triternata, a caulinis sat diversa; foliolis subcuneatis, bi-tri-quadriseu quinquepartitis, lacinulis acutis, integerrimis, setaceo-sublanceolatis, inæqualibus, sæpius sesquilineam ad tres lineas longis, semilineam seu paulo ultra in medio latis. Petiolus communis setaceus, striatus, glaber, inferne prope radicem tenuior, ibique albus, subflexuosus; ex radice usque ad folii apicem quinque ad octo uncias longus, et adusque basin folii (ubi primi petioli partiales inseruntur) tres ad quinque uncias longus: petioli partiales oppositi, primarii inferiores unam ad duas uncias longi; secundarii fere semiunciales; extremi breves, aut subnulli: internodia petioli communis petiolis duobus lateralibus paulo longiora. Hæc folia inflorescentiæ periodo emortua et evanida sunt. Folia caulina pauca, glabra, alterna; inferiora variabilia, sæpius bipinnata, foliolis laxis, linearibus, aut interdum sublanceolatis, supra canaliculatis, subtus subcarinatis, integerrimis, angustissimis, seu setaceis, paulo ultra semilineam latis, semiunciam ad duas uncias et ultra longis; singulo terminali semper

duo-

duobus lateralibus, immediate proximis, longiori: raro tripinnata, et tunc foliola breviora sunt, quanvis longiora, quam lacinulæ foliorum radicalium. Petioli sesquiunciales, biunciales et ultra, glabri, quandoque subvillosi; basi vaginante, subamplexicauli, vagina semiunciali, lata, striata, nervosa, glabra, aut interdum subvillosa, marginibus obiter albo-membranacea. Folia intermedia ternata, aut interdum quinato-pinnata, erecta, glabra; foliolis, ut in foliis inferioribus, sed valde longioribus, biuncialibus aut triuncialibus; petiolo vaginæformi, semiunciam ad unciam longo, basin ramorum vaginante. Folia extrema sæpius simplicia, linearia, ligulæformia, uncialia, biuncialia et ultra, fere unam lineam lata, basi vaginali: interdum binata aut ternata, intermediis caulinis similia, sed minora.

Caulis solitarius, pedalis aut fere bipedalis, crassitudine pennæ gallinaceæ, erectus, subflexuosus, teres, striatus, glaber, aut interdum ad basin subvillosus, nodosus, nodis ad radicem sensim propioribus, basi quandoque distortus, ibique albidus; simpliciusculus, ramis uno alterove, raro tribus aut quatuor, erecto-patulis, simplicissimis, rarissime divisis.

Flores umbellati, umbellæ oppositifoliæ, atque terminales; pedunculis striatis, glabris, quatuor ad sex uncias longis. Involucrum universale variabile, monophyllum aut diphyllum, raro triphyllum, foliolis setaceis, inæqualibus, brevissimis, maioribus umbella triplo brevioribus, horum minimo lineam unam, maximo lineas circiter quatuor, longo, patulis, viridibus, rarius margine leviter albo-membranaceis, sæpius caducis ita, ut involucrum sæpius nullum esse videatur. Involucellum etiam variabile, tribus ad undecim foliolis præditum, in-

ter-

terdum , etsi rarius , dimidiatum, in umbellulis disci pauperius ; foliolis setaceo-subulatis , viridibus, quandoque leviter albo-marginatis, inæqualibus , nonnullis interdum paulo ultra basin detruncatis , maioribus umbellulæ longitudine, patentibus, persistentibus.

Umbella universalis multiplex , radiis duodecim ad octodecim, convexiuscula , diametro sesquiunciali aut biunciali , radiis externis plus minusve uncialibus , sensim ad centrum decrescentibus. Umbellæ partiales etiam convexiusculæ, sive subplanæ , floribus confertis , externæ radiis viginti ad triginta , internæ radiis sensim paucioribus , interdum ex viginti quatuor ad septem ; radii breves, duas lineas longi, ad centrum decrescentes.

Perianthium proprium vix manifestum. Corolla universalis figura uniformis. Flosculi omnes fertiles. Corolla partialis petalis quinque albis , aut interdum ex albido leviter purpurascentibus , subæqualibus , inflexo cordatis.

Staminum filamenta quinque capillaria , alba , patula , corolla paulo longiora : antheræ subrotundæ, albæ , biloculares , utrinque unisulcatæ.

Pist. Germen inferum , obovatum , viride , glabrum : styli duo albi , erecti , unam lineam fere longi : stigmata obtusa , crassiuscula , hyalina.

Pericarpium nullum. Fructus bipartibilis , leviter compressus , subovalis , semilineam circiter latus , sesquilineam longus , stylis persistentibus reflexiusculis coronatus. Semina duo , hinc convexa , inde plana , ovali-acuminata , saturate viridia , obsolete tricostata.

Radicis sapor , quasi Castaneæ , subdulcis , subadstringens , levi palatum acrimonia afficiens. Semina aromatica et acria sunt.

Nimis affine B. maiori *Cl. Gouan Illustr. p.* 10.; *sed*

sed radix non angulata ; folia radicalia non sunt Apii-Petroselini *facie*; *caulina non sessilia, sed petiolata, et petiolorum vaginæ longæ : involucrum universale, etsi deciduum, attamen mono-di-triphyllum; umbellæ universalis radii semper plures quam octo : involucrum partiale sæpius non dimidiatum, sed integrum, foliolis plurimis, et ultra duas lineas longis; umbellularum radii sæpius in nostro numerosiores, quam quatuordecim ad sexdecim : fructus non ovatus, et fere duplo minor.*

278. SELINUM.

Involucrum universale polyphyllum, aut monophyllum, reflexum, sæpius cito evanidum; partiale polyphyllum: calyx obsoletus: petala cordata, æqualia: fructus parvus, ovato-subrotundus, seminibus dorso argute tricostatis, ad margines alato-membranaceis, ala brevi.

1. SELINUM *Carvifolia*. Linn.

S. Caule sulcato, acutangulo : foliis radicalibus triplicato-pinnatis, foliolis sæpius bifidis trifidisve, lacinulis angustis, mucronatis : involucro universali caduco : stylis erectis.

Hab. in humidis sylvaticis ad ima montium prope *Torres Vedras* in Extremadura, sicuti etiam prope *Campeam*, et circa *Viseu*, Herminium et alibi in Beira boreali et Transmontana. Flor. æstate. Peren.

Radix perennis, ramosa, cortice albido, sapore

amariusculo, subacri, leviter aromatico. Caulis solitarius, aut pauci ex eadem radice, erectus, bipedalis et ultra, glaber, argute angulosus, sulcatus, ramis tribus quatuorve, alternis, patulis, simplicibus. Folia radicalia glabra, subtripinnata, pinnulis oppositis, petiolatis, foliolis extremis subcuneatis, bifidis trifidisve, paucioribus quadrifidis, quinquefidis aut ultra; lacinulis angustis, ad semilineam latis, brevibus, mucronatis, ad margines, lente visis, subciliatis. Petiolus communis supra canaliculatus, inferne carinatus, striatus, basi dilatata, membranacea, vix vaginanti. Folia caulina alterna, petiolata; inferiora bipinnata, foliolis similibus, sed lacinulis paulo longioribus; suprema minora, pinnata, aut ternata, laciniis longis, lineari-lanceolatis. Umbellæ caulem et ramos terminantes. Involucrum universale monophyllum; foliolo lineari, setaceo, viridi, patentissimo, duas ad quatuor lineas longo; nonnunquam ante florescentiam polyphyllum, sed cito evanidum ita, ut nullum sæpius esse videatur. Partiale polyphyllum, foliolis setaceis, sex, septem et ultra, acutissimis, internis radiorum longitudine, externis paulo longioribus quam radii; omnibus viridibus, integerrimis, patentibus. Umbella universalis planiuscula (fructifera concava) radiis undecim, inæqualibus, angulatis, striatis, glabris, externis octo ad undecim lineas longis, sensim ad centrum decrescentibus. Umbellæ partiales planæ, seu interdum convexiusculæ, externæ radiis quindecim ad viginti duo, internæ radiis duodecim ad quindecim, omnibus striatis, glabris, duas seu tres lineas longis, ad centrum leviter decrescentibus. Flosculi omnes fertiles. Perianthium proprium integrum, dentibus obsoletis. Corolla universalis albida, ante explicationem subpurpurascens. Corolla propria petalis subæqua-

æqualibus, externis vix maioribus, inflexo-cordatis, semilineam longis, patentibus. Stam. filamenta capillaria, alba, patentia, leviter incurva, petalis paulo longiora: antheræ subglobosæ, didymæ, albæ, seu interdum leviter purpurascentes. Pist. germen inferum, glabrum, striatum, costatum, ovatum, semilineam longum: styli duo, erecti, capillares, albi, corolla breviores, tuberculo albo affixi: stigmata simplicia. Semina duo ex ovali subrotunda, paulo ultra lineam unam longa, hinc plana, aut leviter concava, inde convexiuscula, ad margines alato-membranacea, ala brevi, dorso sulcata, tricostata, costis elevatis.

*Non confundendum cum Selino-*Chabræi, *cujus involucrum partiale monophyllum, et semina nimis compressa, costis parum elevatis.*

279. AMMI.

Involucra polyphylla; universalis foliola pinnatifida, partialis integra: umbella multiradiata: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, in disco æqualia, in radio inæqualia: fructus parvus, ovato-globosus, glaber, striatus.

1. AMMI *maius.* Linn.

A. Foliis inferioribus pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, serratis; superioribus subbipinnatis, foliolis lineari-lanceolatis.

Lusit. *Ammeos bastardo, Ammi, Ammio maior ou vulgar.*

Hab. inter segetes, in agris, vineis circa Olisiponem,

Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Ann.

Occurrit sæpius varietas tenuifolia, foliis radicalibus, et inferioribus, bipinnatis aut tripinnatis, foliolis valde minoribus.

2. AMMI *Visnaga*.

A. Caule superne flexuoso: foliolorum laciniis linearibus, angustis, nitidis: receptaculo communi solido, subrotundo: umbellæ radiis numerosissimis, maturitate valde contractis.

Lusit. *Bisnaga das searas*, *ou Paliteira*.

Daucus-Visnaga *Linn.*

Hab. in calcareis inter segetes *de Caparica*, trans Tagum, circa Olisiponem, et prope *Alcobaça*, *Mafra*, et alibi in Extremadura, etiam in Transtagana, et in *Bairrada* in Beira. Flor. æstate. Ann.

280. DAUCUS.

Involucri universalis foliola pinnatifida: umbella multiradiata: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, exteriora maiora: fructus ovatus, hispidus aut aculeolis rigidis muricatus.

1. DAUCUS *Carota*. Linn.

D. Foliis radicalibus bipinnatis, subhirsutis, laciniis anguste linearibus, acutis: petiolis subtus nervosis: involucris subpinnatis: seminibus subrotundis.

Lusit. *Cenoira brava*.

Hab. frequens in collibus exaridis, agris, dumetis, et ad sepes, vias in tota fere Lusitania. Fl. Jun. Jul. Aug. Ann. aut bienn.

Est

Est Carota *sylvestris*, *flosculo umbellæ centrali sæpius atropurpureo.*

Colitur in hortis varietas *sativa* radice alba, lutea, aut luteo-rubra, seu atro rubente, ad salgama et juscula usitata, quæ habitu maiori, radice crassiori teneriorique, á *sylvestri* differt. Lusit. *Cenoira hortense*, *Bisnaga hortense de flor branca.*

2. DAUCUS *muricatus.* Linn.

D. Foliis hirsutis: caule sulcato, hispido, humili: umbella magna, radiata, umbellulis numerosis: seminibus dentato-aculeatis, aculeis apice glochidiferis.

Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam et oppidum *Figueira*, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere. Ann.

Daucus-muricatus *Gaertner De Fr. et Sem. Tab.* 20. *fig.* 4. *bona, ratione habita ad magnitudinem et formam, sed deficiunt glochides.*

Folia radicalia bipinnata, aut subbipinnata, hirsuta. Caulis humilis, semipedalis aut pedalis, in collibus calcareis incultis et solo duro; sesquipedalis et altior, inter segetes et in solo culto rariori, seu arena mixto, erectus, sulcatus, subhispidus, aut submuricatus; ramus unus alterve in caule humiliori, in altiori tres quatuorve, apice omnes umbelliferi, erecto-patuli. Involucrum in umbella caulina media polyphyllum, octo ad undecim foliolis constans, quinato sive septenato-pinnatifidis, basi latioribus, marginatisque, hirsutis, radio singulo externo triplo brevioribus, patentibus, demum reflexis. Involucella etiam polyphylla, foliolis quinato aut ternato-pinnatifidis, radio singulo externo sæpius longioribus, patulis, demum erectiusculis, laciniis linearibus, setaceis. Umbella universalis magna, diametro fere triunciali, subconcava, radiis numerosis (viginti ad triginta) in umbella caulina,

in lateralibus paulo minori numero, exterioribus striatis, scabris, hispidulis, duas ad tres uncias longis, ad centrum decrescentibus. Umbellæ partiales etiam multis radiis instructæ, præsertim exteriores, quibus radii ultra viginti, semiunciales, ad centrum decrescentes. Corolla universalis radiata, alba, petalis in corollulis radiantibus magnis, bipartito-obcordatis. Flosculi plurimi in disco umbellularum abortivi, masculi. Fructus ovales, ultra quadraginta. Semina grandiuscula, hinc convexiuscula, inde plana, alata, alis quatuor, duabus marginalibus, et duabus dorsalibus, crustaceis, latis, dentato-aculeatis, aculeis utrinque complanatis, apice sæpius glochidiferis (lente visis), glochidibus tribus ad sex, interdum duorum ordinum; inter alas has costæ tres minimæ, vix elevatæ, aculeolis brevissimis, divaricatis, ciliatæ.

3. DAUCUS *meifolius*.

D. Foliorum pinnis multipartitis, laciniis setaceis, glabris: caule pilis retroflexis hispido: involucri foliolis ad apicem trifidis quinquefidisve, margine membranaceo: seminibus hispidis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 19.

Hab. passim in collibus præsertim calcareis, circa Olisiponem, prope Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Jun. Jul. Peren.

281. CAUCALIS.

Involucri universalis foliola integra: umbella pauciradiata: flosculi disci sæpius abortivi: petala inflexo-emarginata: fructus setis hispidus, aut muricatus, ut in *Dauco*.

1. CAUCALIS *Anthriscus*.
C. Foliis subbipinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, pinnatifidis, aut inciso-dentatis; superioribus lobo medio longissimo: caule ramosissimo, scabro: petalis subæqualibus.
Tordylium-Anthriscus *Linn.*
Hab. frequens ad vias, sepes circa Conimbricam et alibi in Beira, et tota fere Lusitania. Flor. Jun. usque ad Septembr. Ann.
Caulis bipedalis aut tripedalis: flosculi albo-cærulescentes: radii umbellæ sex-septem-octo ad novem: semina subovalia, setis sursum arcuatis, primum rubicundis.

2. CAUCALIS *nodosa*.
C. Foliis subbipinnatis: umbellis subsessilibus, sæpe simplicibus, lateralibus: caule scabro, procumbente.
Tordylium-nodosum *Linn.*
Hab. frequens in collibus calcareis, et ad vias circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. Jun. Jul. Ann.
Involucrum paucifolium, caducum: umbellæ oppositifoliæ: flores exigui: fructus subglobosus, subsessilis; in radio pilis rigidis, uncinatis.

3. CAUCALIS *maritima.*

C. Caule humili, pubescenti: laciniis foliorum obtusiusculis: fructibus ovatis, crassis, aculeis inæqualibus et flavescentibus donatis.

La Marck. Dict. Enc.

Hab. in arenosis maritimis Algarbiorum, præsertim ad Taviram. Flor. vere. Ann.

4. CAUCALIS *platycarpos.*

C. Umbellis trifidis: involucris et involucellis triphyllis: umbellulis dispermis.

La Marck. Dict. Enc.

Hab. in calcareis inter segetes prope Conimbricam. Flor. vere et æstate. Ann.

Radix annua, exigua, subfusiformis. Caulis solitarius, semipedalis, dodrantalis, aut pedalis, ramoso-dichotomus, glaber, angulatus, striatus, erectus. Folia duplicato-pinnata, foliolis extimis cuneatis, incisis, glabra, subtus in costis subpilosa: petioli basi subvaginante, scariosa, fere ut illa Scand.-Pect. Veneris. *Umbellæ ex apicibus ramorum, seu longorum pedunculorum. Involucrum universale triphyllum, raro diphyllum, persistens, sicuti etiam partiale; foliolis lanceolatis, glabris, subnervosis, acuminatis, inæqualibus, viridibus, membrana marginali alba, piloso-subciliata, radio singulo umbellularum longioribus, sesquilineam latis, semiunciam fere longis: involucrum partiale triphyllum, foliolis consimilibus, radiis longioribus, sæpius tres lineas longis. Umbella universalis radiis duobus tribusve sæpius subæqualibus, angulosis, quatuor seu quinque lineas longis; partialis radiis decem ad quindecim, inæqualibus, centralibus flosculorum masculorum tenuioribus, longioribus, duas lineas longis. Flosculi disci plures masculi; radii tres sive quatuor, hermaphroditi. Perianthium proprium superum, quinquedentatum, persistens. Corolla universer-*

versalis radiata, alba; propria disci parva, petalis inflexo-cordatis, æqualibus, lineam vix longis; propria radii petalo quinto extimo maximo, bipartito, involucelli foliolis longiore. Omnibus flosculis filamenta quinque alba, longitudine fere corollæ; antheræ parvæ, obtusæ, biloculares, flavescentes. Pistillum in masculis vix germinis rudimentum, glabrum, obsoletum, abortivum; in hermaphroditis germen oblongum, hispidum; styli duo subulati, obliqui, persistentes: stigmata, aut globosiuscula. Fructus oblongo-ovales, subcompressi, duo, non raro tres aut quatuor in umbella universali, quatuor seu quinque lineas longi, tres lati. Semina duo, hinc plana, inde parum convexa, angulis dorsalibus quatuor, parum distantibus inter strias scabras, echinatis setulis longis, subulatis, rigidis, uncinatis, apice rubentibus, inæqualibus, in extimis angulis maioribus.

Species media inter Cauc.-grandifloram *et* daucoidem; *ab illis tamen differt, nec ut varietas habenda; nam in C.*-grandiflora *involucra pentaphylla sunt et caulis bipedalis; et in C.*-daucoide *involucrum universale monophyllum aut nullum, caulis debilis, petala æqualia, rubentia.*

282. TORDYLIUM.

Involucrum utrunque polyphyllum, foliolis indivisis: umbellulæ brevissimæ: flosculi omnes hermaphroditi, fertiles: calyx quinquedentatus: petala radii inæqualia, extimo maiori: fructus orbiculatus, planus, margine incrassato cinctus.

1. TORDYLIUM *magnum*.

T. Foliis radicalibus pinnatis, foliolis ovato-oblongis, obtusis, incisis, obtuse serratis: involucellis umbellula florifera paulo longioribus.

Hab. ad sepes, aggeres in valle *de Marrocos*, et ad *Cellas* prope Conimbricam, sed raro. Flor. Jun. Jul. Ann.

Radix fusiformis, parva, alba. Caulis solitarius ex eadem radice, duos ad quatuor pedes altus, quatuor quinqueve lineas crassus, fistulosus, nodosus, subangulosus, striatus ad basin, superne sulcatus, scaber, hispidus, ut tota planta, pilis reflexis: rami axillares, alterni, erecti. Folia alterna ad usque fere medium caulis semipedalia, pinnata, petiolo hispido, canaliculato, basi subvaginante; foliolis quinque, sive septem, pubescentibus, ovato-oblongis, obtusis, incisis, obtuse serratis, ad apicem folii decrescentibus, inferioribus parum distantibus, omnibus oppositis, sesquiunciam et ultra longis, ad basin semiunciam unciamque latis; impari duplo fere maiore, trifido aut tripartito: folia ad apicem caulis et ramorum valde minora, pinnata, ternata demum, foliolis appro-

propinquatis, acutis, duplo triploque angustioribus, oblongis, sublanceolatis, argute serratis; impari valde longiore. Umbellæ duæ tresve in singulo ramo; pedunculis striatis, scabris, folio ternato duplo longioribus. Umbella universalis plana, matura concava, diametro unciali ad sesquiuncialem, pedunculis in radio maioribus, semiunciam longis, decrescentibus ad centrum disci, ubi duas lineas aut sesquilineam longi sunt; partiales undecim ad septemdecim, subplanæ, radiis hirtis, numero ad centrum disci decrescentibus, ex decem ad tres, brevissimis, ut plurimum lineam longis. Involucrum universale polyphyllum, foliolis septem octove, inæqualibus, umbella paulo brevioribus, patentibus, setaceo-subulatis, hirtis, persistentibus: partiale hexaphyllum aut heptaphyllum, et solum pentaphyllum in aliquibus umbellulis centralibus, foliolis involucro umbellæ universalis consimilibus, tribus externis umbellulâ paulo longioribus, (et hoc constanter in omnibus individuis, quæ mihi occurrerunt) tribus sive quatuor internis illâ brevioribus, omnibus persistentibus. Flosculi omnes fertiles. Perianthium proprium quinquedentatum, persistens; denticulis duobus externis longioribus, setaceis, paulo ultra medium maiorum petalorum elevatis. Corollulæ omnes albæ, subtus purpureæ: propria radii petalis externis maioribus, sesquilineam longis, bipartitis, laciniis obtusis, inæqualibus: propria disci petalis minoribus, rarissime æqualibus. Filamenta alba, sicut et antheræ, atque styli. Germen subrotundum, hispidum. Fructus suborbiculatus, compressus, apice leviter emarginatus, pilosus, scaber. Semina fere plana, marginata, margine elevato sive incrassato, integerrimo, hinc tuberculoso, inde glabro, sapore leviter aromatico.

Planta media inter Tord.-officinale *et* maximum, *sed affinior T.*-maximo : *tres omnes tamen nonnisi T.*-officinalis *forte varietates.*

283. BUPLEURUM.

Involucelli foliola iis involucri maiora, patentia, sæpius quinque: umbellæ pauciradiatæ : calyx obsoletus : petala lutescentia, involuta, integra, brevia : fructus subrotundus, subcompressus, striatus.

1. BUPLEURUM *rotundifolium.*

B. Involucris universalibus nullis : foliis perfoliatis. *Linn.*

Lusit. *Perfolbada.*

Hab. in calcareis inter segetes de *Caparica*, circa Olisiponem, etiam circa Conimbricam et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Ann.

Varietas minor.

2. BUPLEURUM *filicaule.*

B. Caule filiformi, ramoso : foliis lineari-lanceolatis : umbellæ radiis paucis valde inæqualibus : involucelli foliolis lanceolatis, umbellula longioribus : seminibus scabriusculis, centrali altiori. *Broter.*

Hab. in calcareis siccis montosis prope Conimbricam. Flor. æstate. Ann.

Radix ramosiuscula, alba, crassitudine, ad collum, fere pennæ gallinaceæ, annua. Caulis filiformis, glaber, ut tota planta, angulosus, strictus, viridis, semipedalis, pedalis et sesquipedalis, rarius bipedalis, interdum simpliciusculus,

seu

seu ad apicem ramosiusculus , sæpius ex basi ad apicem ramosus ; ramis alternis , inferioribus altioribus , patulis , breviter subdivisis , superioribus prope apicem caulis brevissimis erectis , omnibus sesquiunciam ad duas uncias inter se distantibus , ad basin tamen caulis propioribus , unciam , semiunciam et minus inter sese dissitis. Folia radicalia lineari-lanceolata , acuminata , ex viridi glauca , trinervia , duas ad tres uncias longa , sesquilineam ad duas lineas paulo ultra medium lata ; infima caulis similia , patentia ; media et superiora etiam similia , erecta , sensim ad apicem caulis decrescentia , omnia alterna , et sub ramis exorta , sessilia , et caulem basi latiuscula semiamplexantia. Umbellæ plurimæ , aliæ caulem et ramos terminantes , aliæ in apice ramulorum brevissimorum axillarium. Involucrum universale sæpius tetraphyllum , triphyllum in solo macro , ubi planta pusilla est , pentaphyllum autem in umbellis terminalibus caulis et ramorum vegetiorum ; foliola subæqualia , acuminata , lanceolata , trinervia , umbellulis omnibus , una vix excepta , breviora : partiale pentaphyllum , rarius tri seu tetraphyllum in solo macro ; flosculis paulo longius ; foliola illis involucri similia , duas lineas longa , paulo ultra semilineam lata. Umbella universalis pauciradiata , radiis duobus ad quinque (duobus ad quatuor in umbellis ramulorum axillarium , quatuor ad sex in terminalibus vegetioribus) valde inæqualibus , sensim , quasi gradatim altioribus , uno semper brevissimo , alio omnibus altiori ; umbella partialis etiam pauciradiata , radiis duobus ad septem (quinque ad septem in umbellulis elatioribus , duobus ad quatuor in brevioribus) brevissimis , subæqualibus , centrali paulo demum altiori. Calyx obsoletus. Petala lutea inflexa , extus fusco-crocea. Stamina corol-

rol-

rollà paulo longiora ; antheræ luteæ , subrotundæ , biloculares , emarginatæ. Styli et stigmata minima : germen obovatum , magnum , aliarum partium ratione habita. Fructus ovatus , fuscus , compressus , utrinque tricostatus , striatus , costæ ad lentem punctis prominulis scabriusculæ.

In solo fertili planta nullas umbellas simplices profert ; ast in sterilibus siccioribus triuncialis ad quinque uncias alta , interdum ex axillis foliorum umbellam unam aliamve simplicem , pedunculo semiunciali , uncialive , flosculis fertilibus tres ad quatuor , involucro tri sive tetraphyllo , profert.

Differt 1.° *a Bupl.*-tenuissimo *caule minus ramoso , semper erecto , nec plerumque prostrato : umbellis axillaribus , in solo fertili nunquam simplicibus , longius pedunculatis : umbellarum universalium radiis valde inæqualibus , involucello vix flosculis longiori , nec duplo longiori.*

Differt 2.° *a Bupl.*-semicomposito , *caule valde altiori in solo fertili , minus ramoso in siccioribus , foliis non lanceolatis , sed lineari-lanceolatis , nec apice aristatis , necnon umbellis axillaribus , quæ terminalibus semper minores , nec duplo majores , et umbellis nullis simplicibus in solo fertiliori.*

Varietas forte B.-Gerardi , *quod , uti duo præcedentia , forte etiam nonnisi nostræ speciei varietates ex solo et locorum expositione sunt.*

3. BUPLEURUM *paniculatum.*

B. Caule erecto , paniculato : foliis radicalibus sublinearibus , angustis , longissimis : umbellis bifidis trifidisve : involucellis umbellula triplo brevioribus. *Broter.*

Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam , et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Peren.

Ra-

Radix ramosa, cortice fusco, é casu foliorum circumcrinito aut tuberculato, crassitudine pennæ anserinæ, perennis. Caulis annuus, sæpius solitarius, (interdum duo aut tres ex eadem radice) erectus, subflexuosus, farctus, sesquipedem ad tres pedes altus, a basi ad apicem ramosus; ramis patentibus aut patulis, subdivisis, inferioribus longioribus, striatis, subangulatis, glabris, sicut caulis, semiunciam, duasve uncias inter se distantibus, ad basin propioribus. Folia radicalia in primis annis plantæ valde breviora, longe petiolata, petiolo subfiliformi, supra canaliculato, subtus carinato; postea sessilia, lineari-subulata, carinata, trinervia, aut quinquenervia, integerrima, glabra, ut tota planta, dilute viridia, leviter incurva, et interdum ad apicem leviter contorta, duas lineas aut paulo ultra lata, quinque ad novem uncias longa: folia infima caulis similia, basi paulo latiora, semiamplexantia, erectiuscula, approximata; media et superiora, etiam similia, sed sensim versus apicem caulis et ramorum minora, alterna sub ramis, illosque ad insertionem semiamplexantia; nulla lactescentia. Umbellæ terminales, numerosæ, erectæ. Involucrum universale diphyllum aut triphyllum, foliolis minimis, subulatis, concavis, sesquilineam ad duas lineas longis, ad pedunculos radiantes approximatis, á basi inter se solutis: involucella tetraphylla, seu pentaphylla, foliolis involucro omnino similibus. Umbella universalis bifida aut trifida, radiis involucro multoties longioribus: partialis radiis quatuor ad novem, involucello triplo quadruplove longioribus, subæqualibus. Flosculi ante florescentiam cernui, postea erecti, fere omnes fertiles. Calyx subnullus. Corollæ petala lutea, æqualia, oblongiuscula, apice bidentato, involuto. Stamina corolla paulo longiora: anthe-

theræ luteæ, subrotundæ, bilobæ. Germen obovatum, oblongiusculum: styli et stigmata brevissima, persistentia. Fructus ovali-oblongus, utrinque tricostatus, duas lineas cum dimidia longus, sesquilineam in medio latus. Semen unum, sæpius macrius, abortiens: sapor subaromaticus, subamaricans, demum acris.

Affinis B.-fruticescenti *Linn.*; *sed caulis quotannis ad terræ superficiem perit; ejus tamen pars terrâ tecta viva superest, ex qua novi caules altero anno proveniunt.*

4. BUPLEURUM *fruticosum.*

B. Foliis obovatis, integerrimis. *Linn.*

Hab. ad sepes de *Caparica* trans Tagum. Flor. æstate. Frutex.

Caulis quadripedalis aut quinquepedalis.

284. SANICULA.

Involucrum universale dimidiatum, partiale polyphyllum, breve: umbella universalis pauciradiata, partialis multiradiata, conferta, subcapitata: flosculi disci abortivi: calyx obsoletus: petala inflexa: fructus ovato-subrotundus.

1. SANICULA *Europea.* Linn.

S. Foliis radicalibus simplicibus, quinquelobis: flosculis omnibus sessilibus.

Lusit. *Sanicula.*

Hab. in sylvaticis montosis *Bussaco*, *Gerez*, Herminii, *Lousãa*, *Castello Viegas* circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Fl. Jun. Per.

In-

(B) *Involucro partiali: universali nullo.*

285. SESELI.

Involucellum sæpius paucifolium: umbellulæ breves, subglobosæ: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata: fructus ovatus, parvus, striatus.

1. SESELI *pusillum.*

S. Caule dichotomo: foliis radicalibus pinnatis, foliolis brevibus, anguste partitis; caulinorum longis, setaceis: involucellorum aliis subulatis, crasse spathulatis aliis mucronatisque; petalis non inflexis. *Broter.*

Hab. in calcareis prope Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Fl. vere et æst. An.

Radix annua, subfusiformis, alba. Caulis filiformis, sæpissime solitarius, glaber, ut tota planta, tortuosus, ex imo ad apicem dichotome ramosus, ramis patulis, subteres, striatus, semipedalis pedalisve, raro ultra longus. Folia radicalia pinnata, pinnis oppositis, seu suboppositis, sessilibus aut subsessilibus, ovatis, sæpius tripartitis, laciniis minimis, angustissime cuneatis, trifidis bifidisque, lacinulis brevissimis, acutis, mucronatis: petiolo fere longitudine folii, canaliculato, striato, sensim ad basin latiori, lateribus membranaceo, basin caulis semivaginante, sive semiamplexante. Folia caulina infima etiam pinnata, pinnis partitis, laciniis setaceis. Folia superiora caulis trichotomo-decomposita, aut ternata, foliolis longis, linearibus, setaceis, petiolo membranaceo, caulem semiamplexante, valde longioribus. Umbellæ oppositifoliæ, pedunculo sesquiunciali et ultra. Involucrum

 uni-

universale nullum, rarissime monophyllum: partiale paucifolium, foliolis quatuor, quinque, raro ultra, aliis subulatis, spathulatis aliis apice crasso, subclavato, mucronato. Umbella universalis pauciradiata, radiis tribus ad novem, inæqualibus, externis altioribus; partialis, radiis sex ad undecim, inæqualibus, externis vix involucello longioribus. Petala alba, non involuta, obcordata, profunde emarginata, subæqualia. Fructus ovatus, stylis reflexis coronatus, utrinque tricostatus, glaber.

An Seseli-Ammoides *Linn.*?

Vere est Fœniculum Lusitanicum minimum acre *Tournefort. I. R. H.* 312.

Sison-Ammi *Linn.*, *quod in montibus de* Gerez *crescere ferunt, nondum mihi occurrit; forte nonnisi varietas hujus est.*

286. CHÆROPHYLLUM.

Involucellum sæpius pentaphyllum: flosculi centrales abortivi: calyx obsoletus: petala emarginata, seu inflexocordata, exteriora maiora: fructus glaber, aut scaber, aut villosus, oblongus, ad apicem attenuatus, subulatus, aut rostratus.

(A) *Fructibus glabris.*

1. CHÆROPHYLLUM *sativum.*

C. Seminibus lævibus, oblongis: umbellis subsessilibus, quadrifidis sive quinquefidis.

Lusit. *Cerefolio ou Cerefolho.*

Scandix-Cerefolium *Linn.*

Chær.-

Chær.-sativum *La Marck.*

* Colitur in hortis circa Olisiponem, *Porto*, et alibi. Flor. vere: Ann.

Caulis glaber, aut vix pubescens, ramosus: folia decomposita, foliolis fere Petroselini, *vaginis pilosis: umbellæ laterales, oppositifoliæ, breviter pedunculatæ; umbellulæ sæpius quinquefloræ: semina acuminata, nigra, absque ullis striis aut sulcis.*

2. CHÆROPHYLUM *sylvestre.* Linn.

C. Caule sublævi, striato, geniculis tumidiusculis: foliolis acutis.

Lusit. *Cicutaria, ou herva Cicutaria.*

Hab. in sylvis subhumidis, et ad sepes in Lusitania boreali, raro ad Mundam in *Villa Franca* prope Conimbricam. Flor. Maj. usque ad Jul. Peren.

Caulis erectus, bi-tripedalis et ultra, sulcatus, fistulosus, inferne scabriusculus et pilosus, superne glaber, ramosus, geniculis tumidiusculis. Folia bi aut tripinnata; vaginis striatis, glabris, intus margine pilosis; foliolis sublanceolatis, acutis, serrato-incisis, superne glabris, subtus ad nervos marginesque pubescentibus. Umbellæ ante florescentiam nutantes, radiis octo ad duodecim. Involucrum partiale sæpius pentaphyllum, foliolis inæqualibus, ovato-lanceolatis. Petala alba, in flosculis centralibus subæqualia, in radiantibus externum subcordato-emarginatum. Fructus acuminatus, stylis approximatis terminatus. Semina nigra, glabra, nitida, lanceolata, absque ullis sulcis striisve.

3. CHÆROPHYLUM *temulum.* Linn.

C. Caule scabro, maculato, geniculis tumidis: foliolis ovatis, incisis, obtusis.

Hab. in sylvaticis umbrosis subhumidis, et ad se-

pes in Lusitania boreali, raro ad Mundam in *Villa Franca* prope Conimbricam. Flor. Jun. et Jul. Bienn.

Caulis erectus, bipedalis, ramosus, tumide geniculatus, substriatus, villosus, atro-purpureus, maculatus. Folia bi aut tripinnata, inferiora petiolata, superiora sessilia, vaginis ad genicula junctis, striatis; foliolis pubescentibus, subovatis, obtusis, lobato-incisis. Umbellæ ante florescentiam nutantes, radiis sex ad decem, laxis, inæqualibus. Involucrum partiale foliolis sex ad octo, inæqualibus, hirsutis, lanceolatis, reflexis. Petala inæqualia, alba, bifida; flosculi plurimi abortientes. Semina lanceolata, acuminata, immatura lævia, matura striata, nitida, nigricantia.

Variat involucro universali monophyllo.

(B) *Fructibus scabris.*

4. CHÆROPHYLLUM *Anthriscus.*

C. Fructibus ovato-acuminatis, hispidulis: umbellis sublateralibus, breviter pedunculatis: caule lævi.

La Marck. Dict. Enc.

Scandix-Anthriscus *Linn.*

Hab. ad sepes, aggeres prope *Grandola* in Transtagana, etiam inter *Cea* et *Gallices* et alibi in Beira boreali. Flor. vere. Ann.

Caules sesquipedales: folia tripinnata, subtus præsertim pilosa: umbellæ radii quatuor sive quinque.

5. CHÆROPHYLLUM *rostratum.*

C. Seminibus rostro longissimo, ad margines scabro, subvilloso.

Lusit. *Agulha de pastor ordinaria, ou Herva agulheira ordinaria.*

La

La Marck. Dict. Enc.
Scandix-Pecten *et* australis *Linn.*
Hab. inter segetes circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in tota Lusitania. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.
Umbellæ radii duo tresve: seminum rostrum sesquiunciale, aut biunciale.

287. PHELLANDRIUM.

Involucellum polyphyllum, septem-decem foliolis linearibus: umbella multiradiata; umbellulæ confertæ, multifloræ: flosculi omnes fertiles: calyx quinquedentatus: petala cordato-inflexa, alba, centralia minora; fructus ovato-oblongus, calyce stylisque coronatus; seminibus quinquecostatis.

1. PHELLANDRIUM *aquaticum.* Linn.
P. Caule fistuloso, articulato, articulis infimis radicantibus: ramis divaricatis: umbellis axillaribus.
Hab. freq. hinc inde in paludosis trans Tagum, etiam in Duriminia. Flor. Jul. et Aug. Bienn.
Folia glabra bi aut tripinnata, foliolis angustis, inciso-denticulatis: umbellæ breviter pedunculatæ: umbellulæ multifloræ; flores albi, omnes fertiles, fere regulares: involucella sæpius decaphylla. Affine Œnanthis.

288. CORIANDRUM.

Involucellum dimidiatum, sæpius triphyllum: flosculi centrales abortivi: calyx quinquedentatus: petala inflexo-cordata, in radio inæqualia, fructus globosus, aut didymus.

1. CORIANDRUM *sativum.*
C. Fructibus globosis. *Linn.*
Lusit. *Coentro.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. vere et æstate. Ann.
2. CORIANDRUM *testiculatum.*
C. Fructibus didymis. *Linn.*
Hab. in calcareis inter segetes circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Ann.

(C) *Involucro nec universali, nec partiali.*

289. PIMPINELLA.

Umbellæ ante florescentiam nutantes: flosculi sæpe fertiles omnes: calyx obsoletus: petala inflexo-cordata, alba, subæqualia: stigmata subglobosa: fructus striatus, ovatus, oblongiusculus, aut subrotundus, glaber, aut subvillosus.

1. PIMPINELLA *Anisum.*

P.

P. Foliis radicalibus trifidis, incisis. *Linn.*
Lusit. *Herva doce.*

* Colitur in hortis Lusitaniæ australioris. Flor. æstate. Ann.

Caulis pedalis, subramosus: folia radicalia simplicia, trifida, inciso-dentata.

2\. PIMPINELLA *bubonoides.*

P. Foliis radicalibus bi sive tripinnatis; caulinis mediis alternis, compositis, petiolo latissimo duplo brevioribus; supremis simplicibus, oppositis, aut terno-verticillatis: umbellis numerosissimis: seminibus villosis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 20.

Hab. in sabulosis, solo macro arido: occurrit ultra Tagum ad pineta, per vicos de *Almada* et *Caparica*, et passim ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Peren.

290. APIUM.

Calyx obsoletus: petala æqualia, inflexa, subrotunda, lutescentia: fructus parvus, ovatus, sulcatus.

1\. APIUM *Petroselinum.*

A. Foliis caulinis linearibus: involucellis minutis. *Linn.*
Lusit. *Salsa.*

* Colitur frequentissime in hortis totius Lusitaniæ, et ipsis quasi spontanea. Flor. æstate. Bienn.

2\. APIUM *graveolens.*

A. Foliis caulinis cuneiformibus. *Linn.*
Lusit. *Aipo.*

Hab. ad rivulos, et in humidis, præcipue maritimis *Costa da Trafaria*, et alibi in Extremadura,

ra, aliisque Lusitaniæ Provinciis. Flor. Jun. Jul. Aug. Peren.

Caulis sesquipedalis et altior, ramosus, sulcatus, glaber, ut tota planta. Folia radicalia pinnata, foliolis trifidis, inciso-serratis, ovatis, oppositis, petiolatis; caulina ternata, foliolis obovatis, seu cuneiformibus, trifidis quinquefidisve, inciso-serratis. Umbellæ aliæ axillares, sessiles, aut breviter pedunculatæ, aliæ terminales, pedunculatæ: umbellulæ multæ, multifloræ, subglobosæ, floribus albidis, parvis. Involucri loco sæpius folium caulinum. Fructus ovatus, parvus, striatus.

Colitur in hortis Olisipone et Porto *varietas hortensis, seu Ap.*-dulce, *foliis magnis, erectis, petiolis longissimis, crassis, foliolis quinquelobatis, serratis* Miller Dict. n. 5. *Lusit.* Aipo hortense, ou Celeri dos Italianos.

291. ANETHUM.

Calyx obsoletus: petala involuta, integra, lutea: fructus ovalis, aut subovalis, compressus, striatus.

1. ANETHUM *graveolens.* Linn.

A. Foliis bi-tripinnatisque, foliolis glabris, oblongo-setaceis: seminibus parvis, ellipticis, compressis, dorsi costis tribus, filiformibus, margine angusto, submembranaceo.

Lusit. *Endro maior.*

Hab. in calcareis inter segetes circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira, et Extremadura. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Caulis sesquipedalis aut bipedalis, læviter striatus, glaber, subdichotomus. Foliorum foliola di-

seu

seu trichotoma, petiolis latis, subamplexicaulibus. Umbellæ terminales, bi sive triunciali diametro; umbellulæ multæ, multifloræ, inæquales. Flosculi regulares, flavi.

2. ANETHUM *segetum.*

A. Foliis caulinis tribus: fructibus ovalibus. *Linn.* Lusit. *Endro menor.*

Hab. in agris de *Vallada*, et alibi in Extremadura. Flor. Jul. Aug. Ann.

Caulis duplo minor, quam ille præcedentis: petiolus infra basin folii, seu infra infima foliola, ita fere longior ac intra folium; sed hoc inconstans, et hæc planta, á Linnæo *ex* Vandellio *pro distincta specie habita, nonnisi præcedentis varietas minor mihi esse videtur, nam ex omni parte ipsi sat similis.*

3. ANETHUM *Fœniculum.* Linn.

A. Foliis inferioribus tripinnatis, foliolis lineari-setaceis: petiolorum vaginis caulem basi subamplexantibus: fructu obliquo-oblongo, striato, vix latiori quam crasso.
Lusit. *Funcho.*

Hab. frequens ad vias, muros, sepes, in saxosis asperis, in tota fere Lusitania. Flor. Jun. Jul. Triènn. et ultra.

Caulis quatuor ad sex pedes altus, ramosus, glaber, ut tota planta. Umbellulæ multæ et multifloræ. Flores flavi, fere omnes fertiles. Semina subovalia, hinc convexa, lineis in universum quinque elevatis, rotundatis notata, inde plana.

Colitur in hortis circa Olisiponem varietas A.- Fœniculum *dulce, Lusitanis* Funcho doce, *quæ foliis dulcioribus, minoribus, caule humiliori, umbellis tamen maioribus, fructu paulo longiori, dulciorique, radice annua; sed sationibus repetitis, et coitu florali, ad* sylvestre *demum redit. Occurrit*

etiam prope Olisiponem varietas Fœn.-*rigidum*, *foliis maioribus*, *foliolis latioribus*, *rigidioribus*, *submucronatis*, *laxioribus*.

292. SMYRNIUM.

Calyx obsoletus: petala lutea, acuminata, carinata, subinflexa: fructus ovato-globosus, angulato-costatus.

1. SMYRNIUM *perfoliatum*. Linn.

S. Foliis caulinis simplicibus, amplexicaulibus, cordatis; radicalibus bi-sive triternatis: caule anguloso, alato.

Hab. in calcareis umbrosis, inter *Picada dos Corvos* et *Paialvo*, et alibi in Beira australi, sed rarius. Flor. vere. Ann.

Caulis sesquipedalis et ultra, *ramosus. Flores flavi*, *fere omnes fertiles. Fructus latere compressus*, *subrotundus*, *niger.*

2. SMYRNIUM *Olusatrum*. Linn.

S. Foliis caulinis ternatis, petiolatis, serratis, oppositis; vaginis margine lanuginosis.

Lusit. *Salsa de cavallos.*

Hab. in humosis umbrosis, ad sepes, saxosa, muros, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere. Bienn. aut trien.

Caulis bi sive tripedalis, *angulosus*, *glaber*, *ut tota planta. Folia radicalia triternata*, *foliolis ovatis*, *crenatis. Flores flavi*, *in umbellulis disci abortientes* : *involucella interdum brevissima* : *fructus lateribus compressi*, *nigri.*

293. PASTINACA.

Calyx obsoletus: petala lutea, involuta, integra: fructus ovalis, compressus, subplanus.

1. PASTINACA *sativa*.
P. Foliis simpliciter pinnatis. *Linn.*
Lusit. *Pastinaga*, *ou Chirivia.*
* Colitur in hortis, Olisipone et *Porto.* Flor. vere. Peren.

294. THAPSIA.

Calyx obsoletus: petala lutea, lanceolata, incurva: fructus oblongus, utrinque emarginatus; semina alis membranaceis, marginalibus maximis.

1. THAPSIA *villosa*.
T. Foliis dentatis, villosis, basi coadunatis. *Linn.*
Hab. frequens in ericetis, dumetis, collibus sylvaticis circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. æstate. Peren.

Radix crassa, longa, cortice fusco, intus albida, lactescens, amara, acris, collo ramentis, seu residuis fibrosis veterum petiolorum, capillata. Caulis teres, bi-tripedalis et altior, paucifolius, ramis duobus tribusve alternis, patulis, umbellifeːris, inferne ad radicem diametro octo linearum ad duodecim. Folia radicalia magna, bipinnata, foliolis oblongis, pinnatifidis, dentatis, albo-villosis. Umbella caulina sphærica, magna, umbellulis nu-

merosissimis : laterales ramorum paulo minores. Flores flavi.

Occurrit in eisdem locis cum ista latifoliâ, *aut interdum separatim in collibus circa Herminium, varietas* angustifolia, *seu* tenuifolia, *toto habitu valde minor, foliolis angustioribus, subvillosis, aut superne glabriusculis, atro-viridibusque, caule humiliori, fere duplo graciliori, ramis uno alterove; umbellis depauperatis, seu radiis paucis, quæ forte distincta species.*

2. TRAPSIA *Transtagana.*

T. Foliis bipinnatis, foliolis pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis, hirsutis.

Hab. circa *Montemor o novo*, et prope *Serpa* in Transtagana. Flor. fortasse vernis mensibus et Peren. *Plantam florentem non vidi, et hic adjungo ex fide Cl. P. Link. Habitus* Thap.-*Garganicæ, sed hirsuta. Denuo observanda.*

SE-

SECTIO II. DICLINA.

295. HUMULUS.

Flores dioici; corollis nullis.
Masc. Calyx pentaphyllus.
Fœm. Calyx squama amenti ovata, acuta, uniflora: nectarium (quasi ut in *Carice*) folliculus minimus, germen involvens, persistens: germen unicum, ovatum: semen unicum, in basi singulæ squamæ amplificatæ conniventisque, nectario membranaceo arilliformi obtectum.

1. HUMULUS *Lupulus.* Linn.
Lusit. *Lupulo, ou Luparo, ou Pé de gallo.*
Hab. circa Conimbricam, *Porto*, et alibi in Beira ad rivulorum ripas, sepesque. Flor. Jun. Jul. Peren.
Caulis volubilis, scaber, arbores adscendens, ramis oppositis: folia scabra, trilobata, et quinqueloba, lobis acutis, serratis: stipulæ duæ sive quatuor, oppositæ, cordatæ, bifidæ: amenti masculi in racemos axillares et terminales dispositi; fructiferi ex ovato-subrotundi, penduli, squamis obovatis, submembranaceis, basi semen subrotundum, nectario arilliformi involutum foventibus.

296. CANNABIS.

Flores dioici; corollis nullis.
Masc. Calyx quinquedentatus.
Fœm. Calyx monophyllus, integer, acuminatus, latere longitudinaliter dehiscens: nucula bivalvis, calyce arcte vestita.

1. CANNABIS *sativa.* Linn.
C. Foliis oppositis, digitatis.
Lusit. *Cannamo, ou Linho cannamo.*
* Colitur circa *Melgaço*, et in Diœcesi de *Viseu*, alibique in Lusitania boreali. Flor. Maj. et Jun. Ann.

Caulis erectus, quadri-quinquepedalis, et altior, angulosus, hirtus, subramosus, aut simplex. Folia petiolata, hirta, digitata, foliolis lanceolatis, æqualiter serratis, intermedio longiori, lateralibus sensim magnitudine decrescentibus. Flores in masculis racemosi, axillares et terminales; racemis compositis, inferne foliosis; in fœmineis subsessiles, axillares.

Caules in fœmineis altiores, folia saturate viridia, in masculis pallidiora.

297. CELTIS.

Flores polygami, hermaphroditi et masculi in eadem planta; corolla nulla.
Masc. In axillis inferioribus: calyx pentaphyllus: stamina quinque.
Hermaph. Calyx tetra aut pentaphyllus: stamina quinque, nec raro quatuor: drupa globosa, monosperma.

1. CELTIS *australis*. Linn.
C. Foliis ovato-lanceolatis, acuminatis, serratis.
Lusit. *Lodão bastardo*, *ou Agreira*.
Hab. ad sepes circa Conimbriçam, in vineis prope *Pezo da Regoa*, etiam in *Villa viçosa*, *Condeixa*, et alibi ad pagos. Flor. Apr. Maj. Arbor procera, ad sepes tamen humilis cum sæpissime cædatur, aut á pecore erosa sit.
Variat foliis variegatis. Drupæ magnitudine parvi cerasi, atro-purpureæ, edules, leviter adstringentes. Arbor ex omni parte pretiosa.

298. ATRIPLEX.

Flores polygami, hermaphroditi et fœminei in eâdem planta: corolla nulla.

Hermaph. Calyx pentaphyllus: semen unicum erectum, calyce clauso tectum.

Fœm. Calyx diphyllus: semen unicum, compressum, calyce inclusum.

1. ATRIPLEX *Halimus.*
   A. Caule fruticoso, foliis deltoidibus, integris. *Linn.*
   Lusit. *Salgadeira.*
   Hab. in sepibus maritimis circa Olisiponem, et alibi, etiam ad Conimbricam, sed raro. Flor. vere. Frutex.
2. ATRIPLEX *glauca.*
   A. Caule suffruticoso, procumbente; foliis ovatis, sessilibus, integerrimis; inferioribus subdentatis. *Linn.*
   Hab. in maritimis ad Tagum, prope *Figueira* et alibi. Flor. vere. Suffrutex.
3. ATRIPLEX *hortensis.*
   A. Caule erecto, herbaceo, foliis triangularibus. *Linn.*
   Lusit. *Herva Armóles.*
   * Colitur in hortis, sed raro. Flor. vere. Ann.
4. ATRIPLEX *hastata.*
   A. Caule herbaceo; calycinis valvulis fœmineis magnis, deltoidibus, sinuatis. *Linn.*
   Hab. in agris, cultis, in omnibus Lusitaniæ provinciis. Flor. vere. Ann.

Va-

Variat valvulis calycinis fœmineis disco dentatis.

5. ATRIPLEX *patula.*

A. Caule herbaceo, patulo; foliis subdeltoideo-lanceolatis; calycibus seminum disco dentatis. *Linn.*

Hab. cum præcedente. Flor. vere. Ann.

6. ATRIPLEX *rosea.*

A. Caule herbaceo; foliis incanis, serratis; fructibus quadrangularibus, dentatis. *Linn.*

Habitare fertur ad Tagum in Extremadura; at mihi nullibi occurrit. Flor. vere. Ann.

ORDO III.

TRISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

* *Germine infero.*

299. VIBURNUM.

Calyx quinquedentatus: corolla quinquefida: bacca monosperma: semen compressum.

1. VIBURNUM *Tinus.* Linn.

V. Foliis oppositis, integerrimis, ovato-lanceolatis, glabris; axillis crassiorum venarum subtus cavis, villosis.

Lusit. *Folhado.*

Hab. in sylvaticis montosis circa Herminium, *Gerez*, etiam in altioribus prope Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Decembri et hyeme. Frutex aut arbor parva.

Colitur etiam in hortis, illoque nemuscula conseruntur.

Villi ad venarum axillas sunt in glomulos dispositi.

2. VIBURNUM *Opulus.*

V. Foliis lobatis, petiolis glandulosis. *Linn.*

Lusit. *Rosa de Gueldres, Novellos, ou Sabugueiro da agua.*

* Colitur præsertim in hortis varietas Vib.-*Op.-roseum*, flore globoso, pleno, sive cyma globosa, multiplici, floribus neutris, albis. Flor. Febr. Mart. Frutex.

300. SAMBUCUS.

Calyx quinquedentatus: corolla quinquefida: bacca trisperma.

1. SAMBUCUS *nigra.*

S. Cymis quinquepartitis: caule arboreo. *Linn.*

Lusit. *Sabugueiro.*

Hab. ad sepes, et rivulorum margines, prope *Sabugueiro* in Herminio, et alibi in Beira frequens, uti etiam in omni fere Lusitania. Flor. Mart. et Apr. Arbor parva.

Stipulæ ad petiolorum basin exiguæ, subulatæ. Folia sunt pinnata, foliolis subovatis, serratis. Etsi caulis, primis annis, medulla lata centrali præditus sit, demum tamen centro omnino lignosus.

2. SAMBUCUS *Ebulus.*

S. Cymis tripartitis: stipulis foliaceis: caule herbaceo. *Linn.*

Lusit. *Engos.*

Hab. in humentibus umbrosiusculis, prope *Torres Vedras*, *Cintra*, Herminium, et alibi in Extremadura, et Beira. Flor. Jun. Jul. Per.

Sti-

Stipulæ magnæ ad foliorum basin, ovato-acuminatæ. Folia pinnata, foliolis ovato-lanceolatis, serratis. Flores ex albo purpurascentes.

** *Germine supero.*

301. RHUS.

Calyx quinquepartitus: corolla pentapetala: drupa parva, sicca; semine subrotundo.

1. RHUS *Coriaria.* Linn.
R. Foliis pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, serratis, subtus villosis.
Lusit. *Sumagre.*
Hab. in collibus circa *Monchique* in Algarbiis, et circa Lamecam in Beira quasi spontanea; colitur etiam maxime in Lusitania boreali. Fl. Apr. Maj. Frutex.
Baccæ purpureæ, villosæ; semine globoso.

302. TAMARIX.

Calyx quinquepartitus, persistens: corolla pentapetala: stamina quinque, rarius decem: capsula oblonga, triquetra, trivalvis, unilocularis, polysperma; seminibus papposis.

1. TAMARIX *Gallica.* Linn.
T. Foliis sessilibus, alternis, squamiformibus, mucronatis, imbricatis: floribus pentandris.
Lusit. *Tamargueira, ou Tamariz.*

Hab. ad fluviorum ripas, et ad maris littora prope *Figueira*, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Jun. Jul. Arbuscul.

303. ALSINE.

Calyx pentaphyllus: corolla pentapetala, petalis æqualibus: capsula unilocularis, trivalvis, ovata.

1. ALSINE *media*. Linn.
A. Petalis bipartitis: foliis oppositis, ovato-cordatis.
Lusit. *Morugem vulgar, ou branca, Orelha de rato dos hervolarios.*
Hab. frequens ad sepes, inque cultis, agris. Flor. Mart. usque ad Octobr. Ann.
Stamina sæpius quinque, attamen numero variant, tria, quatuor, sex ad decem. Folia integerrima, glandula terminata, petiolis ciliatis: pedunculi solitarii, axillares, uniflori, fructiferi deflexi. Caules procumbentes, ramosi, subdichotomi, pubescentes. Variat capsula quinque et sexvalvi.

304. CORRIGIOLA.

Calyx pentaphyllus: corolla pentapetala, calyci subæqualis: semen unicum, triquetrum, calyce connivente tectum.

1. CORRIGIOLA *littoralis*. Linn.
C. Floribus pedunculatis: calycibus margine membranaceis.

Hab.

Hab. in macris sabulosis, ad ripas arenosas fluviorum, ad maris littora; frequens circa Conimbricam. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

Caules procumbentes, glabri, ut tota planta. Stipulæ minimæ, membranaceæ. Flores laterales et terminales, conglomerati, albi.

Variat foliis latioribus, subglaucis, inflorescentia racemosa; sed hæc varietas sata ad protypum facile redit: occurrit in Villa Franca *prope Conimbricam et alibi.*

305. PASSIFLORA.

Calyx pentaphyllus: corolla pentapetala: nectarium multiradiatum, coroniforme, radiis filiformibus: filamenta ad germinis basin, pedicello annexa: germen pedicellatum, uti et bacca, quæ unilocularis.

1. PASSIFLORA *cærulea.*

P. Foliis palmatis, integerrimis. *Linn.*

Lusit. *Martyrio, ou Flor da Paixão.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Frutex arbores scandens.

Glandulæ petiolorum duæ tresve, pedicellatæ. Stipulæ semilunares.

SECTIO II. DICLINA.

306. PISTACIA.

Flores dioici; corolla nulla.

Masc. Amentum laxum, sparsum, constans squamulis unifloris: calyx quinquefidus, minimus.

Fœm. Amentum laxius: calyx trifidus, minimus: drupa sicca, ovata.

1. PISTACIA *Lentiscus.* Linn.

P. Foliis abrupte pinnatis; foliolis alternis, glabris, lanceolatis, decurrentibus.

Lusit. *Lentisco verdadeiro*, *Aroeira.*

Hab. in collibus et ad sepes circa Conimbricam; Olisiponem, et alibi in Beira, Extremadura, Transtagana, et Algarbiis. Flor. Apr. Maj. Frutex, demum arbusculum.

2. PISTACIA *Terebinthus.*

P. Foliis impari pinnatis; foliolis ovato-lanceolatis. *Linn.*

Lusit. *Terebintho, ou Cornalheira dos Transmontanos.*

Hab. prope *Torre de Moncorvo*, ad *Sabor* amnem, in *Serra da Navalheira*, ad Monasterium *das Penduradas*, et alibi in Transmontana. Fl. Mart. Apr. Frutex.

Folia septena, duplo latiora, quam in præcedenti, fere opposita, sessilia; impar petiolatum; petiolus compressus.

OR-

ORDO IV.

TETRASTYLIA.

307. SPINACIA.

Flores dioici: corolla nulla.
Masc. Calyx quinquepartitus.
Fœm. Calyx quadrifidus: semen unicum intra calycem induratum.

1. SPINACIA *oleracea.*
S. Fructibus sessilibus. *Linn.*
Lusit. *Espinafre.*
* Colitur frequens in hortis. Flor. vere, Ann.

308. XANTHIUM.

Flores monoici.

Masc. Calyx communis polyphyllus, imbricatus, patens: flosculi multi in eodem receptaculo paleaceo aggregati: corollulæ infundibuliformes, dentatæ: stamina quinque, monadelpha.

Fœm. Infra masculos: calyx polyphyllus, aut nullus: corolla nulla: germen ovale, hispidum, apice bicorne: styli duo breves, intra germinis cornua, apicemque tecti; singulo stigmata duo ad latera cornuum exserta, capillaria, revoluta: bacca sicca, dura, ovalis, bicornis, hamis muricata, bilocularis, disperma.

1. XANTHIUM *strumarium.*

X. Caule inermi: foliis cordatis, trinervatis. *Linn.* Lusit. *Bardana menor.*

Hab. in agris *Gollegãa* et *de Vallada* ad Tagum, etiam in Conimbricensibus, et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Jul. et Aug. Ann.

2. XANTHIUM *spinosum.*

X. Spinis ternatis: foliis trilobis. *Linn.*

Hab. inter segetes circa Olisiponem, etiam in eisdem agris cum præcedenti in Beira, Extremadura, et alibi. Flor. Jul. et Aug. Ann.

Obs. Stigmata in his duābus speciebus sunt verè sessilia, styl ienim occulti.

OR-

ORDO V.

PENTASTYLIA.

309. LINUM.

Calyx pentaphyllus: corolla pentapetala: stamina basi monadelpha: capsula subglobosa, acuminata, quinquevalvis, decemlocularis, loculis monospermis.

(A) *Foliis alternis.*

1. LINUM *usitatissimum.*
 L. Calycibus capsulisque mucronatis: petalis crenatis: foliis lanceolatis: caule subsolitario. *Linn.* Lusit. *Linho.*

* Coluntur in agris pinguibus subhumidis, præsertim in Lusitania boreali, ejus nonnullæ varietates, vulgo dictæ *Linho da terra*, *Gallego*, e *Mourisco.* Flor. æstate. Ann.

2. LINUM *agreste.*
 L. Foliis calycibusque lanceolatis, mucronatis, trinerviis, glabris: capsulis mucronatis, ad dissepimenta lanuginosis: caulibus subcespitosis, obliquis. *Broter.*

Linum sylvestre, latifolium, lanuginosum, flore candido, purpureis lineis striato, *quod apud Collimbriam ex Clusio J. Bauh. Hist. Pl. vol.* 3. *p.* 454 *habitare dicit, nulli alii speciei, quam isti referri potest; sed rarissime latifolium, nec lanuginosum, nisi in capsulæ dissepimentis.*

Radix sæpius annua, interdum in subhumidis

biennis triennisve, triuncialis, obliqua, lineam sesquilineamve ad collum lata, inferne radiculis albidis instructa. Caules duo ad quinque ex eadem radice, sæpius prostrati, raro erectiusculi, obliqui, annui, teretes, glabri, pedales sesquipedalesve, raro ultra; paulo infra medium, aut superne vage ramulosi, ramulis patulis, glabris. Folia omnia alterna, sex ad octo lineas longa, lineam ad sesquilineam lata, utrinque glabra, ad oras marginesque integerrima, etsi lente visa punctis hyalinis tenuissime serrulata, trinervia, acuminata, lanceolata, sessilia. Pedunculi alterni, striati, angulati, glabri, terminales, et laterales tuncque oppositifolii, folio longiores. Calyx pentaphyllus, foliolis trinervis, ovato-lanceolatis, acuminatis, glabris, ad margines scariosis, ad lentem obsolete ciliatis, in capsulæ maturitate patentibus, ipsaque paulo brevioribus. Corolla pentapetala, patens, diametro novem aut decem linearum, petalis cuneatis, ex albido purpurascentibus, cinereis, aut raro albis, ad ungues quinquenerviis, nervis cæruleis, dichotomis, ora superiori marginali convexa, obsolete crenulata. Stamina quinque, longitudine calycis, absque aliorum rudimentis: filamenta albida, basi latiora, ibique subcoalita; antheræ sagittatæ, cærulescentes. Styli quinque, albidi; stigmata subpurpurea; germen ovatum, acuminatum, glabrum. Capsula ovata, mucronata, obsolete angulosa, glabra, decemlocularis, decemvalvis, decasperma, ut in Lino-*usitatissimo, valvulæ apice debiscentes, mucronatæ, subaristatæ, dissepimentis minoribus conduplicatis inter se connexæ; dissepimenta quinque maiora, seu completa, interne lanuginosa. Semina decem, ovalia, compressa, ex fusco rufa, nitida.*

Nimis affine præcedenti, et ejus forte varietas.

3. LINUM *Gallicum.* Linn.

L. Calycibus subulatis, acutis: foliis lineari-lanceolatis, alternis: pedunculis brevissimis, alternis, lateralibus et terminalibus.

Hab. in collibus calcareis, et ericetis montosis, circa Conimbricam, et alibi. Fl. Jul. et Aug. Ann.

Radix annua, parva, alba, sesquiuncialis, biuncialisve, filiformis, paucis secundum longitudinem radiculis instructa. Caules nunc solitarii, simplices, nunc duo ad quinque et ultra ex eadem radice, seu potius caulis ad radicem interdum multirameus; ramis nonnullis sæpius oppositis, omnibus simplicibus, foliosis, erectis, setaceis, ex carina foliorum leviter decurrenti subangulosis, glabris, altitudine caulis, seu paulo minoribus, quatuor ad octo uncias longis, apice paniculato-subcorymbosi. Folia infima alia opposita, alia subopposita, parum distantia, citius cadentia, minora, lanceolata, obtusiuscula; media et summa acuta, lineari-lanceolata, alterna, laxiora, sive remotiora, glabra, erecta, sessilia, subcarinata, costa subdecurrenti, integerrima, sed per lentem visa serrulato-scabriuscula, semilineam ad lineam lata, quatuor ad sex lineas longa; in panicula sensim sursum decrescentia, demum ad flores setaceo-subulata, ipsisque breviora, etiam alterna. Flores terminales et laterales, in panicula subcorymbosa, parva; ramulis paucis, alternis, erectis, inferioribus plus minusve uncialibus; pedunculis extremis sæpius binis, inæqualibus, flore brevioribus. Calyx pentaphyllus, foliolis æqualibus, sublanceolatis, acutissimis, glabris, inferne ciliatis, concavis, carinatis, utrinque omnino viridibus, erecto-patulis, sesquilineam fere longis, semilineam in medio latis. Corollæ petala lutea; unguibus longitudine calycis, aut brevioribus; laminis patentibus, obtusis cum

acumine, obovatis, duas tertias lineæ latis atque longis. Staminum filamenta subulata, flava, erecta, longitudine calycis, basi squamis quinque membranaceis leviter adhærentia: antheræ luteæ, subovales, biloculares, bisulcæ. Germen conicum, striatum, subangulosum, glabrum: styli quinque capillares, pallidi, marcescentes: stigmata obtusa, pallida. Capsula subovata, acutiuscula, pentagona, angulis leviter sulcatis, calyce brevior.

Planta media inter L. Gallicum *et* maritimum *Linn., at non a L.*-Gallico, *tamquam species, distinguenda.*

4. LINUM *setaceum.*

L. Caule dichotomo, paniculato, in anthesi erecto: foliis acuminatis, setaceis, subserrato-scabris, congestis, subverticillatis: calycis foliolis ovato-lanceolatis, infra medium cilialis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 21.

Hab. in collibus calcareis prope Conimbricam. Fl. Jun. Ann.

Flores lutei.

5. LINUM *strictum.*

L. Calycibus subulatis: foliis lanceolatis, strictis, mucronatis, margine scabris. *Linn.*

Linum-sessiliflorum *calycibus peracutis, subglomeratis, sessilibus; foliis lanceolatis, mucronatis, margine scabro.* La Marck. Dict. Enc.

Hab. frequens in calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. æstate. Ann.

Caulis simplex, corymbosus: calyces fructu duplo longiores: flores lutei.

6. LINUM *melianthum.*

L. Caule á basi ad apicem ramoso: foliis lanceolato-linearibus, margine scabriusculo, acuto: floribus racemosis, breviter pedunculatis: corolla flava, calyce multo maiori.

Af-

Affine Lino-campanulato *Linn.*
Hab. circa *Thomar*, et in *Serra da Arrabida.* Flor. vere. Ann.?
Ex Cl. P. Link.

(B) *Foliis oppositis.*

7. LINUM *catharticum.* Linn.
L. Foliis inferioribus ovatis, obtusis; superioribus ovato-lanceolatis: caule superne dichotomo.
Lusit. *Linho purgante.*
Hab. in humidis et ad rivulos in *Gerez*, et alibi in Duriminia. Flor. Jun. Jul. Ann.
Filamenta basi coalita germen cingunt, interjectis alternis denticulis: corollæ petala alba, obtusa.

8. LINUM *Radiola.*
L. Caule dichotomo: floribus tetrandris, tetragynis. *Linn.*
Hab. in a idis, sabulosis, inter pineta circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Ann.
Caulis sesquiuncialis, dichotomus, ramosissimus, filiformis: folia opposita, ovata, acutiu cula: petala quatuor, alba, obtusa: calyx tetraphyllus, foliolis denticulatis: capsula subglobosa, octolocularis, quadrivalvis.

310. STATICE.

Calyx monophyllus, integer, plicatus, scariosus, persistens: corolla pentapetala, rarissime monopetala: semen unicum, superum, oblongum, é funiculo longo pendens.

1. STATICE *pinifolia.*

S. Foliis longissimis, triquetro-setaceis, rigidis, subpungentibus: scapo simplicissimo, capitato: calycis communis foliolis obtusis cum mucrone.

Statice-Lusitanica, *capillaceo folio, maior.* Tournefort I. R. H. p. 341.

Hab. ad ripas *Sadão* prope *Setubal.* Fl. æst. Per. *Comm. a Cl. P. Link.*

Radix caulescens, seu supra terram paulo elevata, foliata, et quasi suffruticosa. Folia quatuor ad sex uncias longa, glabra, erectiuscula, basibus latiusculis, membranaceis, imbricatis. Scapi tres, quatuor et ultra ex eadem radice caulescenti, erecti, pedales et bipedales.

Statice-juniperina *Cl. Vahl Symb. Bot. Fasc.* 1. *p.* 25., *scapo simplici, capitato, foliis linearibus, triquetris, pungentibus, rigidis, mucrone albo, semipollicaribus, scapo striato duplo brevioribus, quæ Statice*-Lusitanica, *capillaceo folio, minima* Tournefort I. R. H. p. 341, *hujus forte, seu potius unius et ejusdem speciei varietas minor est. Statice*-cephalotes *Ait. Hort. Kew. eadem ac nostra, ex Clar. Link.*

2. STATICE *Armeria.* Linn.

S. Foliis linearibus, aut sublinearibus, integerrimis, acutis, carinatis: scapo simplicissimo; flori-

ribus capitatis : foliolis calycis communis externis longe acuminatis.

Lusit. *Raiz divina, Herva divina, ou Raiz de Curvo.*

Hab. in maritimis prope *Figueira*, et alibi; etiam in montosis *Lousãa*, *Miranda do Corvo*, circa Herminium, inter Lamecam et *Viseu*, nec non in collibus Transtaganis et Algarbiensibus. Flor. æstate et autumno. Peren.

Planta foliis nimis varians, linearibus, aut sublanceolato-linearibus, nunc integerrimis, nunc obsolete denticulatis, latioribus aut angustioribus, glaberrimis aut subpubescentibus; scapo semipedali aut interdum pedali. Natura, in his quatuor primis speciebus, ex subcapillaribus ad usque lato-lanceolata folia, gradatim progreditur luditque; et omnes quanvis distinctæ videantur species, nonnisi unica, seu Statice-variabilis *Cl. Salisburi, fortasse sunt. In omnibus apex scapi, sub capitulo, vaginâ semiunciali aut unciali cinctus.*

3. STATICE *pungens.*

S. Foliis anguste lanceolatis, integerrimis, glabris, rigidis, apice subpungentibus: scapo simplicissimo, capitato: calycis communis foliolis omnibus obtusissimis, marginatis.

*An Statice-*Lusitanica *fruticosa, maritima, magno flore?* Tournefort I. R. H. p. 341.

Hab. in maritimis inter *Porto Brandão* et *Albufeira*, et inter hanc paludem et Promontorium Barbaricum, vulgo *Cabo de Espichel.* Flor. æstate. Peren. *Comm. primùm a Cl. P. Link.*

*Media inter S.-*Armeriam *et* Pseudoarmeriam. *Radix caulescens, et quasi suffrutescens: scapi tres quatuorve ex eadem radice, semipedales aut paulo altiores: folia subglauca, seu ex albido viridia, nervis obsoletis, minora, quam in subsequente, cui nimis affinis.*

4. STATICE *Pseudoarmeria.*

S. Foliis longe lanceolatis, integerrimis, glabris, trinerviis, acutis, mollibus: scapo simplicissimo, capitato: calycis communis foliolis acutis, marginatis.

Lusit. *Cravo Romano.*

Statice-Lusitanica *Scorzoneræ folio.* Tournefort I. R. H. p. 341.

Statice-Pseudoarmeria *Jacq. H. Vind.* 1. *T.* 42.

Hab. in maritimis ex oppido *Figueira* usque ad Promontorium Lunæ, vulgo *Cabo da Roca.* Flor. æstate. Peren.

Scapus sesquipedalis, bipedalisve: folia læte viridia, quatuor ad sex uncias longa, et sex ad decem lineas lata, inferne sensim in petiolum attenuata.

5. STATICE *Limonium.* Linn.

S. Scapo tereti, supradecomposite paniculato: foliis subellipticis, glabris, venosis, subtus crasse costatis; mucrone pone apicem minimo, reflexo.

Lusit. *Limonio.*

Hab. in herbidis et humidis maritimis, præsertim prope oppidum *Figueira*, et inter *Alfeite* et *Seixal* ad Tagum salsum. Flor. æstate. Peren.

Scapus sesquipedalis et bipedalis, undique ex medio, vel ex paulo infra medium, usque ad apicem brachiatus, ramis demum recurvis, subdivisis, ramulis infimis sterilibus, supremis floriferis. Flores secundi, sursum spectantes, cærulescentes. Folia subelliptica, aut oblanceolata, leviter undulata, integerrima, utrinque glabra, in petiolum decurrentia, non nervosa, sed venosa, ultra semipedem longa, ad sesquiunciam lata, costa crassa valde prominente, et mucrone minimo pone apicem reflexo, prædita.

6. STATICE *auriculæfolia.*

S. Scapo simplici, tereti: spicis terminalibus lateralibusque secundis: foliis spathulatis, acutis. *Vahl. Symb. Bot.* 1. *p.* 25.

Limonium-Lusitanicum, Auriculæ folio. *Tournefort.* I. R. H. p. 342.

Hab. in herbidis et udis maritimis ad Tagum salsum, inter *Alfeite* et *Seixal.* Flor. æstate. Per.

Media inter præcedentem et subsequentem. Folia simili fere forma et magnitudine illorum Primulæ-Auriculæ, *crassa, glabra, subglauca, spathulata, evenia, nec conspicue nervosa, mucrone rigidiusculo terminata. Scapus semipedalis, et altior. Flores conferti, secundi.*

7. STATICE *oleæfolia.*

S. Foliis spathulato-lanceolatis, obtusiusculis, pone apicem subaristatis, glabris, obsolete trinerviis: scapo flexuoso, paniculato, ramisque erectis: petalis emarginatis.

(Scopol. *Delic. Fl. et Faun. Isubr.* 1. *p.* 246. *T.* 10.)

St.-Limonium *var.* β *Linn.*

Limonium *maritimum minus, oleæfolio.* C. Bauh. Pin. 192.

Limonium *minus* I. Bauh. H. Pl. v. 3. p. 861.

An Limonium *Lusitanicum, foliis lanceolatis?* Tournefort I. R. H. p. 342.

Hab. in præruptis maritimis, *Costa da Trafaria*; prope lacum *de Obidos*, et alibi. Flor. vere et æstate, et interdum autumno. Peren.

Folia vix ad duas uncias longa, et ad quinque lineas superne lata, integerrima, in petiolum decurrentia, et leviter inferne marginata; contra solem, maxime lente visa, nervosa, et interdum nonnullis punctis adspersa, ut in Hypericis. *Scapus semipedalis aut interdum pedalis, erectus, uti etiam rami, flexuosus subdichotomus: rami inferiores steri-*

riles. Petala obtusa, obovata, emarginata, sæpius cærulea.

8. STATICE *monopetala.*

S. Caule fruticoso, folioso; floribus solitariis; foliis lanceolatis, vaginantibus. *Linn.*

Hab. ad sepes prope Lacobrigam in Algarbiis. Fl. æstate. Frutex.

Caules plures, ramosi, bi sive tripedales. Folia caulina lineari-lanceolata, obtusiuscula, crassa, sesquiuncialia, ad tres lineas lata, enervia, integerrima, glabra, sed lente visa quasi granulis polliniferis adspersa, in petiolum crassiusculum basi vaginanti attenuata, approximata, erecta. Flores terminales, spicati, alterni, solitarii, sessiles, intra squamam acutam, rigidam, quæ tam ipsos, quam rachin vaginat. Corolla purpurea, vere monopetala.

9. STATICE *ferulacea.* Linn.

S. Scapis suffruticosis, ramosissimis; ramulis fasciculatis, articulatis, filiformibus, squamosis; squamis ovato-acuminatis, pilo terminatis.

Hab. in herbidis udis maritimis, prope Cetobrigam, *Seixal*, et *Alfeite* ad Tagum salsum. Fl. æstate. Suffrutex.

Scapi obliqui, pedales, glabri, teretes; rami numerosissimi, erecti, approximati: squamæ alternæ, singulæ ad singulas juncturas, internodiorum longitudine, aut illis longiores. Flores secundi, lutescentes.

N.B. *Limonium Lychnidis coronariæ folio Lusitanum, seu Limonium maritimum villosis foliis Lusitanum* (Grisley et Pluk. Almag.) *nondum á me visum, et nescio ubi crescat.*

311. DROSERA.

Calyx quinquepartitus: corolla pentapetala: capsula unilocularis, quinquevalvis: semina plurima.

1. DROSERA *longifolia*. Linn.
   D. Scapis radicatis: foliis obovali-lanceolatis, in petiolum subdecurrentibus.
   Hab. in uliginosis *de Antanhol* et *Sernache* circa Conimbricam, et alibi. Flor. æstate. Ann.
   Forsan varietas subsequentis.
2. DROSERA *rotundifolia*.
   D. Scapis radicatis: foliis orbiculatis. *Linn.*
   Lusit. *Rorella*, *ou Orvalhinha*.
   Hab. in uliginosis montosis *Gerez*, et alibi, interdum simul cum præced. Flor. æstate. Ann.
   Drosera-Lusitanica *cum ex Celeber.* Raio *non sit* Droseræ *species*, *tum quia ex loco habitationis arenoso*, *et ex structura floris et fructus*, *sit potiori jure* Spergulæ *species*, *ad istam amandavimus.*

CLASSIS VI.

HEXANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

* *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, nec tetradynamicis: fructu capsulari, aut baccato.*

(A) *Floribus absque spatha et perianthio.*

312. JUNCUS. . . . . Corolla hexapetala, infera, interdum bibracteata, petalis persistentibus, subglumaceis: stamina brevia: stigma trilobum: capsula tecta, triquetra, trivalvis, trilocularis, seminibus tribus, aut multis, subrotundis.

313. TULIPA. . . . . Corolla hexapetala, infera; petalis in formam campanulatam erectis: stylus nullus: stigma trilobum: capsula oblonga, obtuse trigona: semina plana.

314. FRITILLARIA. Corolla hexapetala, infera; petalis in formam campanulatam contiguis, unguibus fossula nectarifera excavatis: stamina stylo breviora: stigma trifidum: semina plana.

315. ERYTHRONIUM. Corolla hexapetala, infera; petalis á medio reflexis, tribus interioribus basi intus bicallosis: capsula subglobosa: semina ovata.

316. LILIUM. . . . . Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus, intus inferne sulco longitudinali nectarifero exaratis: stamina stylo breviora: capsula trigona: semina plana.

317. ASPARAGUS. . Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus: stigma trigonum: bacca trilocularis, loculis dispermis, uno alterove sterilibus (1).

318. ASPHODELUS. Corolla hexapetala, infera, patens: staminum filamenta nectario sexvalvi, germen obvolventi, inserta: semina angulata.

319. SCILLA. . . . . Corolla hexapetala infera, omnino patens, purpurascens, aut cærulea: filamenta omnia sæpius filiformia, basi petalorum inserta.

320. ORNITHOGALUM. Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus, dein patentibus, albis costâ viridi, luteisve, seu luteo-virescentibus: filamenta tria alterna sæpius basi dilatata: caps. trivalvis (2).

321.

---

(1) Nonnullis loculi sunt monospermi: bacca sæpius monosperma, s. disperma, rarius trisperma, invenitur in nostris.

(2) *Scilla* et *Ornithogalum* re vera nonnisi unum idemque genus

321. PHALANGIUM. Corolla hexapetala, infera; petalis patentibus aut conniventibus: staminum filamenta filiformia, glabra: stigma trigonum: semina angulata.

322. ANTHERICUM. Corolla hexapetala, infera; petalis patentibus aut conniventibus: staminum filamenta filiformia, hirsuta: stigma trigonum: semina angulata.

323. HYACINTHUS. Corolla infera, monopetala, urceolata, aut tubulosa, sexfida aut sexpartita, limbo reflexo: stamina intus ad medium inserta: interdum pori tres melliferi germinis: stigma obtusum: capsula loculis dispermis, et ultra.

324. CONVALLARIA. Corolla infera, monopetala, globosa, aut tubulosa, in sex, rarissime quatuor, lacinias divisa: stamina supra basin corollæ inserta: stigma trigonum: bacca loculis monospermis, immatura maculata.

325. POLYANTHES. Corolla infera, monopetala, infundibuliformis; limbo sexfi-

naturale constituunt; differentiæ huc usque ab autoribus assignatæ pro utriusque generis speciebus fallaces in praxi: si autem colores á characteribus demas, aliæ notæ in his duabus ejusdem generis divisionibus artificialibus, *Ornithogalo* scilicet et *Scilla* nominatis, ruent. Scillarum nonnullarum fateor corollæ colorem cæruleum aut purpurascentem in album interdum transmutari; attamen hoc rarum, et in paucis solùm ejusdem speciei individuis; nec etiam in pari casu petalis albis costa viridis est, ut in *Ornithogalis*, sed tunc corollæ petala vel omnino utrinque alba, vel costa cærulescenti prædita sunt.

fido, æquali, patulo: stamina corollæ fauci inserta: stigma trifidum: capsula basi tecta corollâ, trilocularis, polysperma: semina plana, gemino ordine disposita.

326. AGAVE. . . . . Corolla supera, monopetala, erecta, tubulosa, limbo sexpartito: stamina exserta, summæ corollæ infixa: antheræ longæ, versatiles: capsula triangularis, utrinque attenuata, polysperma: semina plana.

(B) *Floribus spathaceis*: *perianthio nullo.*

327. ALLIUM. . . Corolla infera, hexapetala, patens: spatha multiflora: umbella simplex, congesta: stigma simplex: capsula trilocularis, triloba.

328. NARCISSUS. . . Corolla supera, monopetala, tubulosa, sexfida, laciniis petaloideis, coronâ ad faucem campanulata: stamina tubo corollæ inserta, coronâque ipsius breviora: stigma trifidum.

329. LEUCOIUM. . Corolla supera, monopetala, subcampanulata, profunde sexpartita, laciniis petaloideis, apice incrassatis: stigma simplex.

330. PANCRATIUM. Corolla supera, monopetala, infundibuliformis, sexparti-

ti-

tita, coronâ magnâ ad faucem, campaniformi, ore duodecimfido, cujus laciniæ sex subulatæ: stamina ipsis inserta longioraque: stigma obtusum.

331. AMARYLLIS. . Corolla supera, hexapetala, forma subcampanulata (aut monopetala, subinfundibuliformis, sexpartita) utraque limbo reflexiusculo: squamulæ brevissimæ, sæpius sex, ad filamentorum basin: stigma trifidum.

(C) *Floribus completis.*

332. APHYLLANTHES. Calyx polyphyllus, squamis sæpius quatuor aut quinque, glumæformibus, imbricatis: corollæ petala sex, æqualia, unguibus convergentibus, limbo patenti: stamina corollæ inserta: stigma trilobum: capsula trilocularis, polysperma.

333. PEPLIS. . . . . . Calyx campanulatus, duodecimfidus, laciniis alternis reflexis: corollæ petala sex, minutissima, fugacissima, interdum abortiva, calyci inserta: capsula calyce tecta, bilocularis, polysperma.

334. FRANKENIA. . Calyx subcylindricus, quinquedentatus: petala quinque, ungue intus canaliculato: stigma-

gmata tria: capsula unilocularis, trivalvis, polysperma.

335. BERBERIS. . . . Calyx hexaphyllus, foliolis alterne maioribus: corollæ petala sex, foliolis calycinis opposita, ad ungues biglandulosa: stigma sessile, orbiculatum: bacca cylindracea, unilocularis, umbilicata: semina duo, sive tria.

Lythrum-hyssopifolium.

** *Staminibus inter se et a pistillo distinctis, nec tetradynamicis: fructu nudo.*

POLYGONUM.

*** *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, tetradynamicis, fructu Siliculoso.*

CRUCIFERÆ.

(A) *Silicula apice integro.*

336. ALYSSUM. . . . Staminum filamenta duo interdum basi dentata: silicula planiuscula, orbiculata, seu ovali-subrotunda, stylo acuminata, valvis dissepimento parallelis; loculis monospermis, aut rarius dispermis.

337. DRABA. . . . Calyx erectus, foliolis nullis basi saccatis: staminum filamenta simplicissima, aut ra-

rarius duo denticulata : stylus sæpius nullus : silicula oblongiuscula, ovalis, subcompressa, polysperma, valvis planiusculis, dissepimento parallelis.

338. ISATIS. . . . . . Calyx modice patens : stylus nullus, stigma capitatum : silicula linguæformis, nunc oblonge subelliptica, nunc oblonga, obverse subcordata, compressa, medio turgidiuscula, et utrinque unilineata, uniloculáris, bivalvis, monosperma, valvulis navicularibus, vix sponte dehiscentibus.

339. KAKILE. . . . . . (*La Marck*, *Gaertner*.) Calyx patens : silicula oblonga, acuminata, rhombeo-tetragona, lævis, suberosiuscula, biarticulata, ad articulos secedens, articulo inferiori parvo, rarissime fertili, monospermo; ambobus unilocularibus, valvis coalitis, nec dehiscentibus : semen sæpius unicum in superiori articulo, oblongum, sulcatum.

340. BUNIAS. . . . . Calyx patens : silicula subfungosa, non dehiscens, seu drupacea, quadrangularis, angulis inæqualibus, argutis, scabris, muricatis, aut lævibus : putamine osseo, bi vel quadriloculari, loculis omnibus

bus fertilibus, coalitis : semina solitaria.

341. MYAGRUM. . Silicula globosa, subglobosa, obconica, vel subconica, subfungosa, non dehiscens, submonosperma, uni-bi, aut trilocularis, loculo singulo monospermo, fertili aut sterili : stylus, cùm adest, persistens (1).

342. CRAMBE. . . Filamenta longiora apice bifurca, dente altero antherifero : stylus subnullus : silicula globosa, non dehiscens, coriacea seu subbaccata, monosperma, decidua : infra ipsam articulus gracilis, sterilis, pedicelliformis.

343. CAMELINA. . . (*Joh. Bauh.*, *Crantz.*) Silicula ovata, vel obovata, turgida aut subinflata, stylo instructa, polysperma; valvulis convexiusculis, dissepimento parallelis.

344. CORONOPUS. (*La Marck*, *Gaertner.*) Silicula rotundato-reniformis, subcompressa, muricata, bivalvis, bilocularis, decidua; loculis monospermis; valvulis ad dissepimentum minimum, oppositum, evanidum, contractis.

(1) Silicula, cùm globosa aut subglobosa, non est articulata; et nunc unilocularis monosperma, nunc bilocularis disperma. Silicula, cùm obconica aut subconica, articulata est, seu loculis dissepimento transverso distinctis constat, et tunc unum aliudve semen abortit in loculis, sibi mutuo superimpositis, macrioribus, gracilibus; rarius duo semina supersunt.

(B) *Silicula apice emarginata.*

345. LEPIDIUM. . . . Silicula subrotunda, subcordata, aut subovata, emarginata, aut subintegra, compressa; bilocularis, loculis monospermis; bivalvis, valvulis carinatis, marginatis, aut obtusiusculis, dissepimento lanceolato contrariis.

346. THLASPI. . . . Silicula subrotunda, obcordata, aut subtriangularis, emarginata, compressa; bilocularis, loculis dispermis, aut polyspermis; bivalvis, valvulis carinato-alatis, aut interdum carinato-obtusiusculis, dissepimento lanceolato contrariis.

347. IBERIS. . . . . . Corolla inæqualis, petalis duobus exterioribus maioribus: silicula suborbicularis, compressa; bilocularis, loculis monospermis; bivalvis, valvulis carinato-alatis, septo lanceolato contrariis.

349. COCHLEARIA. Calyx hiulcus, foliolis concavis: silicula subemarginata, turgida, ovata, seu subcordata, stylo brevi coronata; loculis polyspermis; valvulis obtusis, gibbosis; septo subparallelo.

349. BISCUTELLA. Calyx coloratus, foliolis duobus basi gibbosis: silicula compresso-plana, supra infra-

fraque biloba, stylo coronata; bilocularis, loculis monospermis; valvulis suborbiculatis, carinato-alatis; inferne a septo ipsis contrario secedentibus.

**** *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, tetradynamicis: fructu Siliquoso.*

CRUCIFERÆ.

(A) *Calycis foliola erecta, corollæ unguibus appressa.*

350. RAPHANUS. . . Flores colore varii: siliqua teres, torosa, subarticulata, rostrata, non dehiscens: semina matura isthmis fungosis inter sese segregata, solitaria, aut bina in singulo toro.

351. ERYSIMUM. . Flores lutei: siliquæ tetraedræ, erectæ, strictæ, cauli adpressæ, aut sibi invicem approximatæ, stylo persistente acuminatæ: stigma capitatum: dissepimentum valvis contrarium.

352. CHEIRANTHUS. Flores constanter lutei: stigma bifidum: siliquæ compressiusculæ, subtetragonæ, apice bidentatæ; inter sese aut ex rachi patulæ, vel patentes.

353. HESPERIS. . . Flores purpurei aut albi, nec lu-

lutei : stylus nullus aut brevissimus ; stigma bifidum, aut bilamellatum : siliquæ compressæ, vel cylindraceæ, (nec tetragonæ) laxæ, patulæ, aut patentes, nec erecto-congestæ : valvulis recte dehiscentibus.

354. TURRITIS. . . Flores albi : stigma sessile, integerrimum, obtusum : siliquæ longissimæ, lineares, compressæ, approximatæ, sive erecto-congestæ ; valvulis dissepimento longitudine subæqualibus.

355. ARABIS. . . . . Flores albi : stigma sessile, integerrimum, obtusum : siliquæ longæ, graciles, lineares, compressæ, inter sese distantes, aut é rachi racemi patentes ; valvulis dissepimento longitudine subæqualibus.

356. BRASSICA. . . . Flores colore vario : stylus brevis ; stigma capitatum : siliquæ compressiusculæ, cylindraceæ, s. subtetragonæ, stylo rostratæ, ex rachi racemi patulæ, aut patentes ; valvulis dissepimento utrinque cuneiformi evidenter brevioribus.

357.

(B) *Calycis foliolis erecto-patulis, aut patentibus.*

357. CARDAMINE. Flores albi, aut purpurascentes: calyx parvus hiulcus: siliqua longa, cylindraceo-compressa, elastice dehiscens, valvulis á basi ad apicem revolutis, aut contortis; dissepimento membranaceo, valvis æquali: stigma integrum, capitatum.

358. SINAPIS. . . . . Flores lutei, rarissime albi: calyx patens aut patentissimus: siliqua teretiuscula, inferne subtorosa, sæpe erecta; dissepimento valvis recte dehiscentibus valde longiori, rostriformi.

359. SISYMBRIUM. Flores lutei, aut albi: calyx hiulcus, aut patens: siliquæ teretes, aut interdum obsolete tetragonæ, ex rachi racemi patulæ, aut patentes, valvis rectis dehiscentes; dissepimento eisdem paulo longiore.

360. CLEOME. . . . . Flores colore vario: calyx patens: glandulæ tres globosæ sub tribus foliolis calycinis superioribus: petala adscendentia: stamina declinata: stigma capitatum, sessile: siliqua unilocularis, cylindracea, bivalvis (1).

Sta-

(1) In quibusdam speciebus exoticis stamina plura quam sex, duo-

***** *Staminibus inter se coalitis, aut pistillo insertis.*

361. FUMARIA. . . . Calyx minimus, diphyllus: corolla tetrapetala, ringens, postice calcarata: staminum filamenta composita duo, singula antheris tribus.

362. ARISTOLOCHIA. Calyx nullus: corolla supera, monopetala, tubulosa, basi ventricosa, apice in ligulam integerrimam dilatata: antheræ sessiles: stylus nullus; stigma subglobosum, concavum, sexfidum: capsula sexlocularis.

SECTIO II. DICLINA.

363. PHOENIX. . . . Flores dioici: spatha monophylla: spadix ramosus.

Masc. Perianthium minimum, tripartitum, persistens: corollæ petala tria, oblonga, calyce triplo longiora: stamina petalis paulo breviora.

Fœm. Calyx ut in *Masc.*: corollæ petala tria, ovato-obtusa, calyce duplo longio-

decim ad viginti quatuor, rarissime pauciora, seu quatuor: in aliis etiam germen pedicellatum est, et stamina pedicello juxta germen insident.

giora : germen superum ; stigma simplex, acutum : bacca subovalis, monosperma : semen oblongum, integumento crustaceo, albumine durissimo, hinc unisulcato, inde convexo ; embryo in medio seminis dorso horisontaliter locatus.

364. TAMUS. . . . . Flores dioici.

Masc. Calyx nullus : corolla sexpartita, campanulato-patens : staminum filamenta corolla breviora.

Fœm. Calyx nullus : corolla ut in *Masc.* : germen inferum ; stigmata tria : bacca trilocularis, loculis di-aut trispermis.

Asparagus-officinalis, *aphyllus*, *acutifolius*. *Quercus*.

ORDO II.

DISTYLIA.

365. ORYZA. . . . . Calyx gluma bivalvis, uniflora: corolla bivalvis, valvis navicularibus, semini adnatis, exteriore striata, aristata: nectarium diphyllum, minimum, foliolis truncatis.

Celtis-australis. Polygonum. Scleranthus-annuus. Velezia-rigida. Corylus-avellana.

ORDO III.

TRISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

366. COLCHICUM. . Calyx spatha: corolla sæpe monopetala, sexpartita, tubo radicato, longissimo; rariùs hexapetala, unguibus radicatis, longissimis: capsulæ tres, inflatæ, basi in unam coalitæ, polyspermæ.

367. TRIGLOCHIN. Calyx nullus: petala sex, duobus ordinibus alternatim disposita, unguibus inflexis, antheriferis: germina tria aut sex; stigmata totidem, sessilia: capsula basi dehiscens, loculis monospermis.

368. RUMEX. . . . . Calyx triphyllus : petala tria, conniventia : semen triquetrum, corolla connivente tectum.

Polygonum. Arenariæ aliquot.

SECTIO II. DICLINA.

369. VERATRUM. . Flores Polygami monoici.
Masc. Nonnulli infra hermaphroditos in eadem planta, istis omnino similes, sed pistillo obsoleto.
Herm. Calyx nullus : corolla hexapetala, persistens : capsulæ tres, basi coalitæ, uniloculares, introrsum dehiscentes, polyspermæ : semina margine membranaceo cincta.

370. SMILAX. . . . . Flores dioici.

Masc. Calyx nullus : corolla hexapetala, patens.

Fœm. Calyx nullus : corolla ut in *Masc.* : germen superum : bacca trilocularis, loculis monospermis ?

371. CHAMOEROPS. Flores Polygami dioici : spatha monophylla ; spadix ramosus.

Hermaph. Perianthium triphyllum, minimum : corolla

tripetala: stamina sex, monadelpha: germina tria, supera, tubo staminum cincta: baccæ tres, parvæ, subglobosæ, monospermæ: semen subglobosum, integumento crustaceo, albumine durissimo, embryone laterali.

Masc. in distincta planta; hermaphroditis similes; sed absque pistillis (1).

Rumex-acetosa, acetosella, aculeata. Quercus.

ORDO IV.

POLYSTYLIA.

372. ALISMA. . . . . Calyx triphyllus: corolla tripetala: germina plura, quàm quinque: semina plura, in receptaculo communi aggregata.

Triglochin-maritimum. Portulaca. Alsine-media. Spergula. Arenaria. Cerastium.

CLAS-

(1) *Ex Clar. Gaertner* flores interdum Polygami monoici: in hermaphroditis calyx hexaphyllus, corolla tripetala, stamina sex ad novem; quæ nondum nobis occurrerunt.

CLASSIS VI.

HEXANTHERIA.

ORDO I.

MONOSTYLIA.

* *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, nec tetradynamicis: fructu capsulari, aut baccato.*

312. JUNCUS.

Corolla hexapetala, infera, interdum bibracteata; petalis persistentibus, subglumaceis: stamina brevia: stigma trilobum: capsula tecta, triquetra, trivalvis, trilocularis, seminibus tribus, aut multis, subrotundis.

(A) *Culmis aphyllis.*

1. JUNCUS *acutus.* Linn.
J. Panicula terminali, subumbellata, densa, brevi, bracteis duabus inæqualibus, pungentibus, involucrata: capsulis subglobosis, corolla duplo longioribus.

Lusit. *Junco agudo.*

Hab. in uliginosis et humidis maritimis, præsertim

tim in *Caparica* et *Costa da Trafaria*. Fl. Jun. Jul. Peren.

Culmus sesquipedalis, et altior: folia omnia radicalia, teretia, basi culmum vaginantia, apice pungentia. Pedunculi partiales extremi breves, conferti. Capsulæ ovato-subglobosæ, acutiusculæ, nitidæ, magnitudine seminis Holci-Sorghi, *aut Panici*-miliacei.

2. JUNCUS *maritimus*.

J. Panicula sublaterali, laxa, longa; bracteis duabus inæqualibus, pungentibus, involucrata: capsulis triangularibus, acutis, corollæ longitudine, aut levissime longioribus.

La Marck. Dict. Enc.

Lusit. *Junco maritimo.*

J.-acutus *Linn. var.* β *maritim.*

Hab. frequens in udis maritimis, præsertim in *Costa da Trafaria*. Flor. Jun. Jul. Peren.

Culmus foliaque altiora, et graciliora quàm in præcedenti: panicula longior, ramosior, laxior, sæpius prolifera; ex involucri bracteis una longissima: capsula minor, non subglobosa, sed triangularis, nigra, corolla persistenti vix longior.

3. JUNCUS *conglomeratus*.

J. Culmo nudo, stricto: capitulo laterali (aphyllo). *Linn.*

Lusit. *Junco glomerado.*

Hab. in fossis, uliginosis, humidis, maxime in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Per.

Culmi plures, cespitosi, teretes, læves, stricti, apice acuti, pedales ad sesquipedales, medulla spongiosa alba farcti, ad basin vaginis striatis, obtusis aristatisque, instructi. Folia radicalia pauca, culmis simillima, illisque breviora. Tres ad quinque uncias infra apicem culmi rectum, atque ex ipsius fissura laterali, capitulum erumpit solitarium, sub-

glo-

globosum, floribus plurimis dense conglomeratis, parvis, ex fuscis flavescentibus, brevissime pedunculatis, compositum. Stamina sex, aut interdum tria. Capsula obtusa, angulis apice prominentibus.

4. JUNCUS *effusus*. Linn.

J. Culmo nudo, stricto, lævi, omnino farcto: panicula laterali: corollæ petalis æqualibus: capsula obtusa, obsolete mucronata.

Lusit. *Junco diffuso.*

Hab. in humidis, præsertim in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Caulis bipedalis, et altior, teres, strictus, sublævis, et vix ad lentem levissime striatus, intus medulla alba dense farctus, mucrone arido, tenui, interdum recurvo, terminatus; ad basin vaginis striatis, fuscis, obtusis cum mucrone, cinctus. Folia simillima, sed breviora. Quinque ad sex uncias infra culmi apicem, ex ipsius fissura laterali, panicula erumpit laxiuscula, sesquiuncialis aut biuncialis, quasi cyma supradecomposita; pedunculis inæqualibus, primariis hinc convexis, inde planiusculis, extremis brevibus, unam ad duas lineas longis. Bractea, ad exortum paniculæ, brevis, tres ad quinque lineas longa, lateribus membranaceis, apice obtuso, brevi arista instructo; aliæ multæ sensim minores, membranaceæ, ovatæ, acuminatæ, ad basin pedunculorum, et sub singulo flore. Flores plurimi congesti: corollæ petala æqualia, acuminata. Capsula ex viridi flavescens, trigona, obtusa, mucrone obsoleto, longitudine corollæ. Semina fulva. Variat panicula altiori et laxiori.

5. JUNCUS *diaphramarius*.

J. Culmo nudo, stricto, valde striato, intus inter diaphragmata fistuloso: petalis inæqualibus: capsula mucronata. *Broter.*

Lusit. *Junco desmedullado.*

Hab.

Hab. in fossis, udis, præsertim in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Pro varietate J.-effusi *Linn. habetur; sed culmus minor, striatus, et interdum quasi angulosus; in florescentia intus medulla fere destitutus, maxime é medio ad apicem, et solùm numerosis diaphragmatibus, semilineam ad sesquilineam inter sese distantibus, refertus: folia fere similiter se habentia: panicula laxissima, valde longior: petala inæqualia, longiora: denique capsula subfusca, longior, superne angustior, evidenter mucronata, et petalis longioribus paulo brevior est: hæc omnia characteristica illum ab specie præcedenti separabilem esse suadent.*

6. JUNCUS *squarrosus.* Linn.

J. Culmo nudo, foliis setaceis: panicula oblonga, squarrosa, terminali.

Hab. in humidis sylvaticis montosis, in altioribus *Gerez.* Flor. Jun. Jul. Peren.

Folia in cespitem congesta, setacea, canaliculata, carinata, rigida, acuta. Culmi rigidi, semipedales ad pedales, foliis longiores, leviter compressi. Panicula terminalis, rigida, ramosa, uncialis, aut sesquiuncialis, pedunculis inæqualibus, convexo-planis. Bractea brevis, subspathacea ad basin paniculæ; aliæ membranaceæ sub pedunculis. Flores breviter pedicellati, splendentes, acuminati, bracteis albidis involucrati. Capsula subtriquetra, ovata, obtusa, corolla paulo brevior.

7. JUNCUS *gracilis.*

J. Culmo nudo, erecto, filiformi, simplicissimo: foliis filiformibus, semicylindricis, canaliculatis: capitulo terminali: involucro subpentaphyllo. *Roth Fl. Germ.* 1. *p.* 155.

J.-capitatus, *culmo nudo, filiformi: capitulo terminali, sessili, subsolitario, involucrato.* Hoffm. Deutsch. Fl. p. 166.

J-mutabilis *La Marck Dict. Enc.*
Juncus foliatus, *minimus.* J. Bauh. H. 2. p. 523.
Hab. in locis subudis macris, et agris humidis arenosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Maj. Jun. Ann.

Culmi plures ex eadem radice, sesquiunciam ad tres uncias alti, hinc canaliculati, inde convexiusculi et striati, foliis triplo longiores. Capitulum terminale, quinque (ad novem) floribus, sessilibus, compositum. Involucrum sæpius triphyllum, rarius tetra sive pentaphyllum; foliolis inæqualibus, acuminatis, basi latioribus, concavis, carinatis, margine membranaceis, supremo longiori, semiunciali, supra capitulum prominente (1). *Corolla inæqualis, petala tria externa longiora, acuminata, subaristata. Capsula subfusca, obtusissima, corollâ valde brevior.*

(B) *Culmis foliosis.*

8. JUNCUS *hybridus.*

J. Culmis subdichotomis, erectis: folio infimo subulato, culmum excedente: capitulis axillaribus et terminalibus; floribus subsessilibus. *Broter.*
Hab. in udis cum sequenti, circa Conimbricam, et alibi in Beira. Fl. Jun. Jul. Ann.

Toto habitu nimis similis Junco-bufonio, *cujus hybrida proles, et forte varietas esse videtur; sed mi-*

Ttt

(1) Capitulum primo intuitu laterale apparet, bractea supra ipsum producta; at cum Cl. Roth teneo illud re vera esse terminale: in omnibus enim *Juncis*, quibus panicula, seu capitulum laterale est, adultiori culmo, panicula seu capitulum é culmo longitudinaliter dehiscente erumpit; qui autem panicula seu capitulo terminali gaudent, ipsi statim, sicut *Scirpi*, é radice cum rudimento paniculæ, seu capituli, producunt culmum.

minor, minus ramosus, culmo semel aut bis bifurcato, floribus sex ad decem glomeratis, aliis sessilibus, pedicellatis aliis, pedicellis inæqualibus, brevissimis, tamen semilineam ad sesquilineam longis, quasi cymam seu fasciculum capituliformem formantibus. Flores et capsula, ut in sequenti; sed paulo minores. Bracteæ similes; una aliave maior ad basin capituli, flores tamen non excedens.

9. JUNCUS *bufonius*.

J. Culmo dichotomo: foliis angulatis: floribus sessilibus, solitariis. *Linn.*

Hab. in udis, præsertim in Lusitania boreali. Fl. Maj. Jun. Ann.

Culmi plures ex eadem radice fibrosa, quinque ad septem uncias alti, compressiusculi, striati, dichotomi. Folia glabra, angusta, subulata, carinata, basi latiori vaginante; infimum, ad primum nodum culmi, isto sæpe altius. Flores solitarii, pauci bini, in bifurcationibus et ad summa ramorum. Corolla inæqualis, acuminata. Capsulæ obtusæ, polyspermæ, corolla breviores. Viviparus interdum occurrit, floribus in fasciculos foliorum excrescentibus.

10. JUNCUS *campestris*. Linn.

J. Foliis planis, subpilosis: spicis pedunculatis, una aliave sessili, subsecundis, demum reflexis.

Hab. in dumetis, pascuis siccis, ad pineta, vias, circa Conimbricam, et alibi in Beira, et Lusitania boreali. Flor. Mart. Apr. Peren.

Minor subsequenti. Folia culmi duo, rarius tria, unam ad duas lineas lata, margine pilosa; floralia duo, minora, spicis extremis breviora. Culmus quatuor ad sex uncias altus, raro ultra, striatus, tenuis. Flores culmum terminantes, capitato-spicati, spicis ovatis, brevibus, tribus ad quinque, raro sex, septem, inæqualiter pedunculatis, una alia-

aliave sessili seu subsessili; pedunculis indivisis. Petala subæqualia, acuminata, fusca, margine albido: bracteæ albæ, breves, inæquales, ad singulum florem. Capsula obtusa, trisperma, corollâ brevior.

Variat spiculis omnibus subsessilibus, in capitulum densum ovatumque conglomeratis.

11. JUNCUS *vernalis.*

J. Foliis planis, pilosis: corymbo subsimplici: floribus solitariis.

J.-pilosus *varietas γ Linn.*

J.-nemorosus *La Marck Dict. Enc.*

Hab. in nemorosis montosis, præsertim in Lusitania boreali. Flor. Mart. Apr. Peren.

Culmus simplex, septem ad novem uncias altus, foliatus; folia tria ad quatuor, lineari-lanceolata, nervosa, ad margines pilosa, basi culmum vaginantia, alterna; radicalia in cespitem congesta, longa, duas ad tres lineas lata; floralia duo inæqualia, corymbo breviora. Corymbus (seu potius sæpe umbella) terminalis, mediocris, pedunculis aliis indivisis, unifloris, aliis interdum vix superne subdivisis, trifloris, raro quinquefloris. Flores solitarii omnes, terminales; interdum nonnulli sessiles in bifurcationibus, cum pedunculi non omnes indivisi, sed aliqui dichotomi sunt. Petala ex fuscis fulva, margine albida, acuminata, et quasi breviter aristata. Capsula obtusa, disperma.

12. JUNCUS *maximus.*

J. Foliis planis, pilosis: panicula terminali, ramosissima: floribus fasciculatis.

J.-pilosus *var. δ Linn.*

J.-montanus. *La Marck Dict. Enc.*

Hab. in montosis sylvaticis humidis *de Lousãa*, Herminii, *Gerez*, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Planta toto habitu major præcedente, foliis præsertim culmoque valde majoribus.

Culmi pedales, sesquipedales et altiores, toti vaginis foliorum tecti, simplices, teretes, striati, nodis quatuor sive quinque, demum fistulosi. Folia radicalia in cespitem congesta, ad semiunciam lata, fere pedem longa, nervosa, graminea, margine pilosa; culmea valde minora, angustiora, vagina longa; nonnulla ad basin paniculæ, istâque duplo triploque breviora. Pedunculi paniculæ ramosi, sæpius penduli; fasciculi tri-quadri seu quinqueflori, terminantes ramulos, aut laterales aliqui sessiles. Petala superne fusca, leviter mucronata. Capsula trisperma.

13. JUNCUS *stoechadanthos.*

J. Foliis planis, subpilosis: corymbo composito, brevi, foliis involucri longiori: bracteis floribusque omnibus albis, congestis.

Hab. in summis montosis *Gerez.* Flor. Jun. Jul. Peren.

Folia radicalia in cespitem congesta, graminea, marginibus subpilosa, tres lineas lata, tresque uncias longa; culmea subfiliformia, uncialia aut paulo ultra, vagina longiuscula, pilis loco ligulæ instructa; ad corymbum duo alterna, basi lata, acuminata, corymbo tamen breviora. Culmus tenuis, erectus, solitarius, teres, striatus, quatuor aut quinquenodis, internodiis ad unam tertiam partem vaginatis, sesquipedalis. Flores corymbosi: corymbus uncialis, aut sesquiuncialis, ramis simplicibus, inæqualibus. Flores congesti, quindecim ad viginti et ultra, in apice ramorum, subsessiles. Bracteæ tres quatuorve ovatæ, acutæ, albidæ, colore florum, istisque dimidio breviores. Petala sex, æqualia, rarius subæqualia, acutiuscula, sublanceolata, penitus albicantia, demum ex albis pallida.

da. Stamina sex. Capsulas maturas non vidi. Corolla æqualis et folia involucri corymbo breviora satis plantam nostram a J.-niveo *vel* albido *distinguunt. Communic. a Cl. P. Link.*

Corymbus, primo intuitu, quasi Gnaphalii-*Stoechadis.*

14. JUNCUS *aquaticus.*

J. Culmo decumbente, aut obliquo: foliis articulato-nodosis, compressis, linearibus: panicula terminali, composita, erectiuscula.

Junc.-articulatus aquaticus *Linn.*

Hab. in humidis, inundatis, circa Conimbricam et in tota fere Lusitania. Flor. Jun. Jul. Peren.

Culmi compressiusculi, semipedales, pedales, obliqui, aut decumbentes. Folia triuncialia, glabra, compressa, acuminata, basi vaginantia. Panicula semel bifurcatim divisa, ramis erectiusculis. Flores fasciculati, quinque, sex, aut rarius duo; fasciculi terminales, et laterales, qui, uti in bifurcationibus, sessiles. Bracteæ corolla dimidio breviores. Petala acuta; capsula illis paulo maior, fusca, mucronata, polysperma.

Variat culmis minoribus, viviparis, seu floribus omnibus, vel nonnullis saltem, in fasciculos foliorum excrescentibus.

15. JUNCUS *sylvaticus.*

J. Culmo erecto: foliis teretibus, sicuti culmo, articulato-nodosis: panicula terminali, supradecomposita, divaricata.

J.-articulatus *sylvaticus Linn.*

Hab. in inundatis, fossis, rivulis, inter *Alcobaça* et *Torres Vedras*, et alibi in Extremadura. Fl. Jun. Jul. Peren.

Pro varietate præcedentis sæpius habetur; sed differt radice crassiori, culmo sesquipedali, bipedalive, tereti, erecto, basi crassiori, distantius fo-

folioso; foliis semipedalibus, teretibus, crassioribus, distantius articulatis præcipue ad basin; panicula valde maiori, ramosiori, ramis divaricatis; floribus in quovis fasciculo pluribus, semper ultra septem, interdum quatuordecim ad sexdecim.

16. JUNCUS *echinuloides.*

J. Culmo erecto, tereti, simplicissimo, aut simplici subpaniculato: foliis compressiusculis, articulato-nodosis: capitulis densissimis, globosis, echinulatis, terminalibus, folio fultis. *Broter.*

Hab. in dumetis subhumidis, et ad fossulas lutosas, prope vias, in *Lamarosa*, et alibi in Beira australi, et Extremadura. Flor. Maj. Jun. Peren.

Culmus quinque ad quatuordecim uncias altus, subsolitarius, erectus, teretiusculus, glaber, trinodis, vel simplicissimus, uno tantum capitulo terminatus, vel simplex, duobus tribusve ramulis apice terminatus, et tunc plus minusve pedalis est. Folia culmea sæpius tria, basi latiuscula vaginanti, inde subteretia, compressiuscula, articulato-nodosa, acuta, apice molli, similia illis J.-aquatici; *ad singulum ex duobus seu tribus nodis paniculæ duo valde inæqualia, unum exterius longius, basi pedunculos duos vaginans, altiori brevius, aliud interius minimum, submembranaceum, mucronatum, pedunculum tantummodo altiorem vaginans. Panicula in culmis altioribus simplex, ramis tribus quatuorve, raro ultra, gradatim inæqualibus, altiori biunciali aut triunciali, hinc convexo, inde planiusculo. Fasciculi florum plures, in capitulum globosum, magnitudine nucis avellaneæ, conglomerati. Capitula tria, quatuorve, raro ultra; omnia terminalia, infimum subsessile, seu brevi pedunculo impositum; nulla vero in bifurcationibus duabus, sed ejus loco folium minimum, de quo supra mentio facta est. Sub sin-*

gu-

gulo capitulo folium unum, reflexiusculum, subovatum, acuminatum, ad semiunciam longum, et ultra istud alia minora floralia supposita sunt, maiora tamen, quam bracteæ interiores, quæ ad basin singuli floris adsunt. Flores densissimi, numerosissimi, ad quinquaginta: bracteæ membranaceæ, ovatæ, acuminatæ, subaristatæ, arista molli, corollis breviores, inæquales, aut subæquales nonnullæ. Petala ex fulvis fusca, subulata, carinata, apice rigidiuscula ita, ut ob id capitula echinulum referant. Capsula subfulva, subulata, petalis vix longior, polysperma; nonnullæ in centro capituli abortiunt. Planta affinis J.-scirpoidi *et* punctorio *Cl. La Marck Dict. Enc.; attamen diversa.*

113. TULIPA.

Corolla hexapetala, infera; petalis in formam campanulatam erectis: stylus nullus: stigma trilobum: capsula oblonga, obtuse trigona: semina plana.

1. TULIPA *Transtagana.*

T. Foliis linearibus, ad apicem subulatis: flore in anthesi erecto. *Broter.*

Lusit. *Tulipa brava.*

Hab. trans Tagum in ericetis. Flor. vere. Peren.

Flos luteus. Non isti, sed potius sequenti, referenda Tulipa pumilio alba altera Lusitanica *J. Bauh. H. Pl. tom. 2. p. 679, quæ ex Lobelio habitat in maritimis de* Setubal, *nisi alius Generis sit species.*

2. TULIPA *rubro-alba*.

T. Foliis sublanceolatis: flore in anthesi suberecto. *Broter.*

Lusit. *Marquesinhas.*

* Colitur in hortis, ubi quasi spontanea. Flor. primo vere. Peren.

Radix bulboso-repens. Folia lineari-lanceolata, undulata. Petala omnia intus basi purpureo-maculata; tria interna alba, externa ex albo et rubro variegata. Varietas forte T.-sylvestris *Linn.*, *sed flos nullatenus hirsutus: media inter primam et sequentem.*

3. TULIPA *Gesneriana*.

T. Foliis ovato-lanceolatis: flore in anthesi erecto. *Linn.*

Lusit. *Tulipas grandes dos Jardins.*

* Coluntur in hortis quamplurimæ varietates, petalis versicoloribus, sex, aut monstrose pluribus.

314. FRITILLARIA.

Corolla hexapetala, infera; petalis in formam campanulatam contiguis, unguibus fossula nectarifera excavatis: stamina stylo breviora: stigma trifidum: semina plana.

1. FRITILLARIA *imperialis*.

F. Racemo comoso, inferne nudo: foliis integerrimis. *Linn.*

Lusit. *Coroa Imperial.*

* Colitur in hortis. Flor. vere. Peren.

2. FRITILLARIA *Meleagris*.

F. Caule unifloro: foliis omnibus alternis. *Linn.*

Hab. in ericetis trans Tagum, et in dumetis monto-

tosis de *Bussaco*, et alibi in Beira boreali. Flor. vere. Peren.

Flos in anthesi pendulus.

315. ERYTHRONIUM.

Corolla hexapetala, infera; petalis á medio reflexis, tribus interioribus basi intus bicallosis: capsula subglobosa: semina ovata.

1. ERYTHRONIUM *Dens-canis*. Linn.

Lusit. *Dente de Cão.*

Hab. in summis jugis ad austrum *Miranda do Corvo*, et alibi in Lusitania boreali. Flor. primo vere. Peren.

Bulbus solidus, oblongus: folia ovato-lanceolata, maculata: scapus quadriuncialis: flos purpurascens, cernuus, petalis recurvis.

316. LILIUM.

Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus, intus inferne sulco longitudinali nectarifero exaratis: stamina stylo breviora: capsula trigona: semina plana.

1. LILIUM *candidum*.

L. Foliis sparsis: corollis campanulatis, intus glabris. *Linn.*

Lusit. *Açucena branca, ou Cebola cecem.*

* Colitur frequens in hortis, et interdum circa ipsos quasi spontaneum occurrit. Flor. Maj. Jun. Per,

2. LILIUM *Martagon.*

L. Foliis verticillatis: floribus reflexis: corollis revolutis. *Linn.*

Lusit. *Martagão.*

Hab. in umbrosis sylvaticis de *Gerez*, circa Herminium et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere. Peren.

317. ASPARAGUS.

Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus: stigma trigonum: bacca trilocularis, loculis dispermis, uno alterove sterilibus.

1. ASPARAGUS *officinalis.* Linn.

A. Caule herbaceo, tereti, erecto, paniculato: foliis setaceis: stipulis caudatis, membranaceis, acutis: floribus dioicis.

Lusit. *Espargo hortense.*

* Colitur in hortis, et prope ipsos quasi spontaneus occurrit. Flor. æstate. Peren.

Pedunculi in medio articulati: stipularum basis retrorsum acuta, demum subpungens.

2. ASPARAGUS *albus.* Linn.

A. Spinis subhorisontalibus, solitariis: caule ramisque candidis, striatis, flexuosis: foliis fasciculatis, filiformibus, subglaucis, deciduis.

Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. æstate. Frutex.

Folia subquadriquetra, mucronata, valde basi attenuata: flores plurimi abortientes: bacca striis tribus, monosperma, loculis duobus vacuis: semen globosum, nigrum; duo sæpius abortiunt.

3. ASPARAGUS *acutifolius*. Linn.

A. Caule angulato, fruticoso: spinulis fasciculatis, aciformibus, brevissimis, subæqualibus. *Linn.*

Lusit. *Corruda menor*, *Espargo sylvestre menor*, *Espargo menor do monte.*

Hab. in sterilibus saxosis, et alibi in Extremadura et Transtagana. Flor. æstate. Frutex.

Caules plures ex eadem radice, ramosi, ex viridibus albi, et ex sesquipede ad quinque pedes alti. Spinulæ virides, ad tres lineas longæ, quinque ad duodecim fasciculatæ. Pedunculi ad medium, aut prope basin articulati, spinulis vix longiores. Folia nulla, sicut in specie subsequenti, et pro illis spinulæ. Spinulas appello, non vero folia, quoniam una ex ipsis, quæ vegetior, ramus fit, alias spinulas ramosque proferens, dum aliæ vicinæ, succis á vegetiori exhaustis, sensim extenuantur, exsiccescunt ac pereunt, illa superstite; cum vero omnes istæ eadem structura præditæ sint ac illa, quæ vegetior est et in ramum superstes transmutatur, ideo illas omnes spinulas appello, non vero folia; nullum enim verum folium in ramum denique transmutatur: observatur autem in Sparagorum spinis idem, quod in aliis multarum arborum aut fruticum, quæ partim infirmiores citius siccantur ac pereunt, partim vegetiores serius tandem in ramos transmutantur. An sequentis varietas?

4. ASPARAGUS *aphyllus*. Linn.

A. Caule angulato, fruticoso: spinulis fasciculatis, aciformibus, subulatisve, rigidis, longis, inæqualibus.

Lusit. *Corruda maior*, *Espargo sylvestre maior*, *Espargo maior do monte.*

Hab. ad sepes, arbores, in que collibus circa Conimbricam, Olisiponem, et in tota fere Lusitania. Flor. æstate. Per.

Caules plures, ramosi, sesquipedem ad tres pedes alti, debiles. Spinæ striatæ, fasciculatæ, in ramulis aut ad ramorum extrema tres quatuorve, ad ramorum basin et in caule copiosiores, sex ad duodecim, valde inæquales, maiores interdum unciam sesquiunciamve longæ. Stipulæ membranaceæ, ovatæ, acuminatæ, postice caudatæ, cauda demum subspinescente; solitariæ sub ramis, sed aliæ minimæ ecaudatæ intra spinulas adhuc teneras. Baccæ tristriatæ, rarius apice obsolete sexstriatæ; dispermæ, aut tetraspermæ, seminibus hinc convexis inde angulatis, aut interdum monospermæ, semine globoso. Planta polygama dioica, aut dioica mihi esse videtur.

Variat 1.° *spinis crassis, tetragonis, sesquiunciam ad duas uncias longis, binis, ternisve, aut etiam solitariis, et huic varietati referendus A.* horridus *D. La Marck Dict. Enc.*

Variat 2.° *spinis brevibus, attamen valde inæqualibus, sesquilineam ad sex lineas longis.*

318. ASPHODELUS.

Corolla hexapetala, infera, patens: staminum filamenta nectario sexvalvi, germen obvolventi, inserta: semina angulata.

1. ASPHODELUS *ramosus*. Linn.
A. Scapo ramoso: foliis ensiformibus, carinatis, lævibus: fructu globoso.
Lusit. *Gamoens*, *ou Abrotea dos hervolarios*.
Hab. frequens in sylvis, ericetis circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. vere. Peren.

Ra-

Radix fasciculato-tuberosa.

2. ASPHODELUS *æstivus.*

A. Scapo ramoso : foliis ensiformibus, carinatis, lævibus : stigmate trifido : capsula obovato-globosa. *Broter.*

Hab. in Transtagana et Extremadura, ad vias præsertim, in fossulis, soloque depresso, et in Beira prope *Fundão.* Flor. Jul. usque ad Septemb. Peren.

Similis A.-ramoso, *radice, scapo ramoso et toto habitu : folia etsi similia, angustiora tamen et breviora, subglauca seu dilute viridia, acutius carinata et profundius canaliculata. Bracteæ ovato-subulatæ, basi late membranaceæ, pedunculo breviores, illum et squamulam internam amplexantes. Pedunculus teres, infra medium articulatus, basi squamula membranacea, dentata, cinctus. Corollæ petala obtusa, alterna latiora. Stamina corolla paulo longiora : squamæ nectariferæ unisulcatæ, ad oras ciliis hyalinis, arcuatæ, erectiusculæ : antheræ croceo-fulvæ. Stylus arcuatus, erectus, staminibus altior : stigma trifidum, seu potius stigmata tria, sæpe adpresso-erecta, obtusa, linearia, ad lentem hyalino-punctata. Capsula obovato-globosa, nec ovato-globosa, duplo fere minor, quam in A.*-ramoso.

3. ASPHODELUS *fistulosus.* Linn.

A. Scapo humili, simplici : foliis striatis, subfistulosis.

Hab. frequens in solo macro, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. vere et æstate. Peren.

Radix fibrosa, perennis : squamæ nectariferæ subvillosæ : pedunculus clavatus, articulatus : filamenta basi tenuissima, superne incrassata, corolla breviora : stylus sensim ad apicem crassior, tri-

trifidus; *stigmata tria*, *crassa*, *subvillosa*: *germen subglobosum*, *obtuse hexagonum*: *capsula obovata*.

319. SCILLA.

Corolla hexapatala, infera, omnino patens, purpurascens, aut cærulea: filamenta omnia sæpius filiformia, basi petalorum inserta.

1. SCILLA *Peruviana*. Linn.

S. Floribus subcorymbosis, corymbo late conferto, subconico: foliis radicalibus circa scapum terræ adpressis.

Lusit. *Albarrãa do Perû.*

Hab. in pascuis prope *Cintra* nunc spontanea, et passim in hortis culta. Flor. primo vere. Peren.

Bulbus tunicatus, *conicus*, *glaber*; *tunicæ tracheis copiosis. Folia radicalia semipedalia*, *pedaliave*, *sesquiunciam lata*, *concava*, *viridia*, *ut illa Scillæ*-maritimæ *Linn.*, *in orbem posita*, *procumbentia. Scapus teres*, *glaber*, *á semipede ad pedem altus. Flores racemosi*; *racemus primum fastigiato-pyramidalis*, *demum*, *florentibus supremis pedunculis*, *conicus*; *rachis sulcato angulosa*, *ex quatuor ad sex uncias longa*: *pedunculi filiformes*, *approximati*, *confertissimi* (*centum et ultra*) *primum cærulescentes*, *postea virides*, *patentes*, *inferiores biunciales*, *superne ad apicem racemi decrescentes. Bracteæ ad cujusque pedunculi basin subulatæ*, *fere longitudine pedunculi*; *infimæ primæ illis multo longiores. Corolla violaceo-cærulescens*, *patens*, *senescens petalis recurvis*, *denique clauditur*, *marcescit. Staminum filamenta cærulea*, *lanceolato-subulata*; *antheræ flavæ. Germen cæruleum*, *sul-*

ca-

catum; stylus etiam cæruleus sulcatusque: germen in cultis abortit.

Corolla cærulea variare fertur colore violaceo, carneo, subcinericeo, albo, sed tunc absque costa viridi.

2. SCILLA *odorata.*

S. Foliis linearibus: racemo oblongo: bracteis pedicello demum brevioribus: corolla patentiuscula.

Hab. in arenosis siccis Algarbiorum. Flor. vere. Peren.

Corollam cæruleam et odoratam esse dicunt; plantam enim nondum vidi, nec etiam Scillam-Lusitanicam *cum illa á nonnullis confusam.*

3. SCILLA *pumila.*

S. Radice tunicata: folio radicali sæpius unico, lanceolato, basi scapum vaginante: floribus erectis, paucis; bractea ovata, acuminata, subaristata, pedunculis valde breviori.

Hab. in dumetis sabulosis freq. circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. primo vere. Per.

Scapus teres, tres ad quinque uncias altus, folio longior. Flores primum subcorymbosi, postea evidenter racemosi, septem ad duodecim, pedunculis inferioribus sensim patulis, remotiusculis, uncialibus, demum interdum biuncialibus. Bractea unica ad singulum pedunculum membranacea. Corolla cærulea, patens, petalis lanceolatis, tres ad quatuor lineas longis. Variat 1.° corolla alba, sed raro, et tunc costa non viridi; variare 2.° ferunt in Transmontana foliis radicalibus duobus, quæ utrum Scilla-bifolia *Linn. sit, an potius nostræ vera varietas affirmare non audeo, cum ipsam nondum viderim.*

4. SCILLA *autumnalis.*

S. Radice tunicata: foliis angustissimis, linearibus:

bus: floribus subcorymbosis, paucis, laxis: pedunculis adscendentibus, flore longioribus.

An Scilla-autumnalis *Linn.* ?

Hab. in collibus siccis, macris circa Olisiponem et Conimbricam. Flor. Octobri post aquas æquinoctiales. Peren.

Folia linearia, subtus convexa, striata, supra canaliculata, ex sesquilinea ad duas lineas cum dimidia lata, quatuor uncias ad septem et ultra longa. Scapus tres ad sex uncias altus. In Beira planta dimidio et ultra, toto habitu, minor, quam in Extremadura.

5. SCILLA *hyacinthoides.*

S. Racemo longissimo: floribus pedunculo colorato longioribus. *Linn.*

Hab. in collibus basalticis *de Alcantara* prope Olisiponem. Flor. vere. Peren.

Radix bulbosa, sese valde propagans bulbillis lateralibus; bulbi conici, tunicati, scapiferi diametro biunciali, albi, glabri; tunicæ, uti folia, tracheis abundantissimæ, unde bulbi eriophori forsan appellati, cum nunquam in ipsis (sicuti in illis aliarum Scillarum-Lusitanarum) *lanuginem observaverim. Folia radicalia plurima, sæpe duodecim, in orbem posita, procumbentia, linearia, concava, acuta, unciam lata, pedem et ultra longa, viridia, ut illa nostri Ornithogali*-maritimi. *Scapus simplicissimus, teres, lævis, glaberrimus, tres ad quatuor pedes altus, à medio ad apicem florens. Flores racemosi; racemi rachis sulcata, angulosa, in florescentia cærulescens, postea viridis. Pedunculi numerosi, ad centum et triginta, sparsi, nonnulli per tres sive quatuor subverticillati, setacei, petalis triplo longiores, sæpius sesquiunciales, cærulei et patentes in florescentia, postea virides et adscendentes. Stipulæ minimæ, tuberculiformes, apice denticulatæ,*

tæ, basin pedunculi laxe semiamplexantes. Corolla diametro semiunciali, petalis violaceo-cærulescentibus, lanceolatis, patentissimis, postea clausis, marcescentibus. Stamina longitudine petalorum; filamenta subulata, violacea; antheræ cæruleæ, sulcatæ, incumbentes. Germen albidum, subglobosum, sexsulcatum, abortiens. Stylus colore et longitudine staminum, subflexuosus. Stigma simplex, subpubescens.

320. ORNITHOGALUM (1).

Corolla hexapetala, infera; petalis basi conniventibus, dein patentibus, albis costâ viridi, luteisve, seu luteo-virescentibus: filamenta tria alterna sæpius basi dilatata: caps. trivalvis.

1. ORNITHOGALUM *luteum*. Linn.
   O. Foliis filiformibus: scapo anguloso, tenuissimo, subumbellato: floribus luteis.
   Varietas minor.
   Ornithogalum Lusitanicum, capillaceo folio, luteum. Tournef. I. R. H. p. 380.
   Hab. in altioribus montosis Herminii, Interamniæ et Transmontanæ. Flor. Maj. Jun. Jul. Peren.
2. ORNITHOGALUM *nanum*.
   O. Folio sæpius unico, lineari-lanceolato, basi scapum vaginante: racemo terminali, paucifloro: bracteis acuminatis, pedunculo longioribus.
   Scilla-unifolia *Linn.*
   Ornithogalum spicatum, unifolium et trifolium, fiore niveo, odorato. Grisl. V. L. n. 1596.

(1) Staminum filamenta, in omnibus hucusque cognitis in Lusitania Ornithogalis, integra, nullaque emarginata.

Hab. in collibus macris, dumetis sabulosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira, etiam trans Tagum ad Promontorium barbaricum, et circa *Cascaes.* Flor. vere. Peren.

Radix bulbosa; bulbo tunicato, avellaneæ nucis magnitudine, minorive, externe subfusco, radiculis flexuosis. Scapus erectus, filiformis, tres sive quatuor uncias longus, glaber, ad apicem crassior. Folium sæpius unicum, rarissime tria, glabrum, ex interiori bulbi tunica formatum, scapum sub terra et ad usque medium ejus vaginans, vagina albida, junciformi; postea canaliculatum, viride, externe striatum, tres seu quatuor lineas latum, curvum, ad apicem iterum junciforme; tota ejus longitudo semipedalis, pedalis, vix ultra. Flores sessiles aut subsessiles, spicati, duo ad quinque, raro unus terminalis, alterni, in rachi subflexuosa unciali: mihi inodori, quanvis á Clusio et Grisleyo odori dicantur. Calyx nullus, sed bractea ovato-subulata, membranacea, dorso virescente, petalis sæpius dimidio brevior, raro subæqualis. Corolla hexapetala; petala alba, lanceolata, æqualia, erecto-patula, striata, quatuor ad sex lineas longa, sesquilineam lata, marcescentia. Staminum filamenta sex, erecta, altitudine æqualia, plana, sublanceolata, acuminata, alterna vix latiora, alba, corolla breviora: antheræ biloculares, incumbentes, sulcatæ, pallidæ. Germen obconico-triangulare, angulis leviter unisulcatis: stylus setiformis, altitudine staminum: stigma obtusum, subpubescens. Capsula ovali-triangularis, trivalvis, trilocularis. Semina plurima, subrotunda.

Variat 1.° *foliis duobus, scapisque duobus in unico bulbo.*

Variat 2.° *foliis tribus, scapo unico in eodem bulbo.*

3.

3. ORNITHOGALUM *umbellatum*. Linn.

O. Floribus subcorymbosis, paucioribus: bracteis acuminatis, pedunculo brevioribus.

Lusit. *Leite de gallinha.*

Hab. in collibus basalticis *de Alcantara* prope Olisiponem, et in pratis, umbrosiusculisque, præsertim in Beira boreali. Flor. vere. Peren.

Folia linearia, longa, angusta. Scapus tres ad sex uncias altus. Petala albida; costa late virescenti. Filamenta nulla emarginata.

4. ORNITHOGALUM *Arabicum.*

O. Floribus subcorymbosis, laxis: foliis sublinearibus, latis: bracteis ovatis, acuminatis, pedunculo brevioribus: filamentis omnibus subulatis.

Orn.-Arabicum *Grisl. Vir. Lusit. n.* 1594.
Clus. Hist. II. p. 186.
Besler. Eyst. Vern. V. tab. 12. *fig.* 1. *optima.*

Orn.-Arabicum, *multiflorum, album, umbilico interiore nigro.* Swert. Florileg. tab. 57. fig. 1. bona.

Orn.-umbellatum *maximum* C. Bauh. Pin. 69.

Lilium Alexandrinum, sive Ornithog. magnum Syriacum.
J. Bauh. Hist. Pl. vol. 2. *pag.* 629.

Hab. in collibus basalticis *de Alcantara* prope Olisiponem, etiam, etsi raro, in hortis colitur. Flor. primo vere. Peren.

Bulbus tunicatus, ovatus, diametro unciali, sesquiunciali aut paulo ultra, cortice fusco, basi bulbulis adnatis tribus aut pluribus cinctus. Folia omnia radicalia, in orbem strata, demum erectiuscula, sublinearia, semipedalia aut paulo ultra, sex ad novem lineas lata, dilute viridia. Scapus ad basin crassitudine pennæ anserinæ et ultra, sesquipedalis, aut bipedalis, indivisus, apice floriferus. Flores octo ad quindecim, primum subcorymbo-

bosi, demum laxe racemosi, pedunculis adscendentibus, remotiusculis. Bractea ad singulum pedunculum solitaria, subamplexans ipsum, illoque brevior, late ovata, acuminata, ex viridi alba, sessilis, interdum aliquæ ovato-subcordatæ, sed nullæ amplexicaules. Petala magna, subovalia, alba, apice subcalloso, patentia. Staminum filamenta omnia æqualia, subulata, exacte ut in iconibus Besleri et Swertii, ac viridi-fusca. Germen subglobosum, ex viridi-nigricans, nitidum, uti etiam capsula. Unde patet Orn.-Arabicum *Linn. et La Marckii* (Dict. Enc.) *non esse verum* Ornithog. - *Arabicum Bauhinorum, nec aliorum Botanicorum supra citatorum, sed alias diversas species, et Synonymiam istis hucusque applicatam esse falsam, solique nostro convenire, et ipsi restituendam.*

5. ORNITHOGALUM *Narbonense.*

O. Racemo oblongo: filamentis lanceolatis, membranaceis: pedunculis floribusque patentibus. *Linn.*

Hab. in collibus basalticis *de Alcantara* prope Olisiponem, et in calcareis aliisque circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. vere. Peren.

Planta in nostris collibus nimis magnitudine partium varians. Folia angusta, canaliculata, patula, ultra semiunciam lata, scapo breviora, aut interdum scapi longitudine in umbrosis: scapus pedalis, sesquipedalis, bipedalis, aut interdum tripedalis. Flores semper numerosi, quinquaginta et ultra. Bracteæ ad pedunculos solitariæ, non amplexicaules, acuminatæ, albido-virides, nunc pedunculis æquales, nunc breviores, et hoc sæpius. Petala subplana, sublanceolata, candida, subtus viridia, soloque margine alba. Pedunculi floriferi patentes, æquales, fructiferi scapo approximati. Occurrit simul cum isto, maxime in locis humidiusculis et frigidioribus, varietas omni habitu si-

mi-

milis, sed petalis sulphureis, aut flavescentibus, longitudinaliter concavis, ad apicem vix latioribus, quæ pro Orn.-Pyrenaico *habetur, sed folia angustissima, vix palmaria pro distinctione a Cel. Gouan assignata sæpe desunt, et sæpe sunt præcedentis illis simillima; unde cum Cl. Gerardo et Mygindo varietatem esse præcedentis existimo.*

6. ORNITHOGALUM *maritimum.* (Tournef.)

O. Scapo longissimo, multifloro, racemoso, ante folia ulla pullulata florescente: bracteis subtus calcaratis.

Lusit. *Cebola Albarrãa.*

Scilla-maritima, *var. β, radice alba* Linn.

Hab. in collibus maritimis, et aliis á mari remotis, in tota fere Lusitania. Flor. Aug. Sept. Octobr. Peren.

Bulbus conicus, tunicis albis, tres quatuorve uncias inferne crassus, nimis acris, virulentus. Scapus bi-tripedalis, simplicissimus, teres, longo racemo, floribus numerosis onusto, terminatus. Bractea ad singulum pedunculum solitaria, membranacea, subulata, subtus calcarata. Pedunculi semiunciales, floriferi patentes, fructiferi erecti. Petala alba, costa viridi. Capsula oblongiuscula, triangularis, trisulca. Semina oblongiuscula, nigricantia, hinc compressa, acuta, inde crassiora, obtusa, absque ulla ala. Folia é bulbo emergunt sub Octobris finem aut Novembri, transacta omnino florescentia, suntque lineari-lanceolata, erecta, saturate viridia, decem ad quindecim lineas lata, sex ad octo uncias longa. Ornithogalum-pyramidale *nullibi in Lusitania occurrit, et illud, quod Linnæus et Læflingius in Lusitania crescere dicunt, nullum aliud nisi hoc solum esse videtur.*

321. PHALANGIUM.

Corolla hexapetala, infera; petalis patentibus aut conniventibus: staminum ſilamenta ſiliformia, glabra: stigma trigonum: semina angulata.

1. PHALANGIUM *Liliastrum.*
P. Foliis planis: scapo simplicissimo: corollis campanulatis: staminibus declinatis.
Anthericum-Liliastrum *Linn.*
Hab. in pratis prope *Caldas do Gerez.* Flor. Jun. Jul. Peren.

322. ANTHERICUM.

Corolla et reliqua omnia uti in præcedente; at staminum filamenta hirsuta.

1. ANTHERICUM *planifolium.* Linn.
A. Foliis planiusculis, carinatis: scapo ramoso: corollis intus albis, extus purpurascentibus. *Broter. Phyt. Lusit. Fasc. I.* 22.
Hab. in collibus aridis, sabulosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Maj. Jun. Peren.

2. ANTHERICUM *ossifragum.* Linn.
A. Foliis ensiformibus: caule simplicissimo, laxe spicato: floribus luteis.
Hab. ad rivos de *Gerez.* Flor. Jun. Jul. Peren.
Variare ferunt floribus luteo-cæruleis, quod forte species diversa.

323. HYACINTHUS.

Corolla infera, monopetala, urceolata, aut tubulosa, sexfida aut sexpartita, limbo reflexo: stamina intus ad medium inserta: interdum pori tres melliferi germinis: stigma obtusum: capsula loculis dispermis, et ultra.

1. HYACINTHUS *cernuus*.

H. Corollis hexapetalis, campaniformibus, apice reflexiusculis: bracteis binis, inæqualibus, maiori fere longitudine corollæ: racemo subcernuo.

Varietas Hyac.-cernui *Linn.*, *et H.*-pratensis *La Marck Dict. Enc.*

Hab. in humidiusculis, et umbrosis sylvaticis in *Serra d'Arrabida*, circa Conimbricam, et alibi in Beira boreali, et Extremadura. Flor. vere. Peren.

Folia sublinearia, semiunciam lata, semipedem aut paulo ultra longa, erectiuscula, non undulata. Scapus semipedalis aut interdum fere pedalis. Racemus subcernuus, aut rarius cernuus, pauciflorus, floribus quinque ad octo, sæpius secundis. Bracteæ subulatæ, membranaceæ. Petala lanceolata, purpurascentia, cærulea, aut alba, apice subrecurvo, linea dorsali vix elevata. Staminum filamenta membranacea, sublanceolata, singula singulo petalo infra medium inserta. Stylus staminibus longior, et corolla brevior. Variare fertur in Algarbiis staminum filamentis tribus alternis liberis, quæ forte diversa species est.

2.

2. HYACINTHUS *serotinus*. Linn.

H. Racemo secundo : corolla monopetala, subcampanulata, laciniis tribus externis profundius divisis, magisque recurvis.

Lusit. *Jacintho do tarde.*

Hab. in glareosis humidiusculis ad Tagum, et *Zezere* infra oppidum *Manteigas*, etiam in *Caparica* et alibi in Extremadura et Beira. Flor. Maj. Jun. Jul. Per.

Corolla tristi colore, albido-fulva, aut subferruginea.

2. HYACINTHUS *orientalis*. Linn.

H. Corollis inferne subcylindricis, supra sexfidis, reflexiusculis, basi ventricosis : bracteis binis ad singulum pedunculum, illoque brevioribus.

Lusit. *Jacintho dos floristas.*

* Colitur in hortis frequens. Flor. vere. Peren.

Mire variat corollis cæruleis, violaceis, albis, rubris, variegatis, plenis.

4. HYACINTHUS *monstrosus*. Linn.

H. Racemo paniculato, sterili : pedunculis ramosis, coloratis : corollis campanulatis, basi acutis.

Lusit. *Plumas dos floristas.*

H.-paniculatus *La Marck Dict. Enc.*

* Colitur in hortis. Flor. vere. Peren.

Ignoratur re vera species, ad quam ut varietas attineat, etsi ad sequentem attinere videatur. Flores omnes neutri : corolla campanulata, sexfida, laciniis incurvis ; at sæpius vix corollæ rudimentum, aut nullum : pedunculi subcærulei sunt.

5. HYACINTHUS *comosus*.

H. Corollis angulato-cylindricis, summis sterilibus, longius pedicellatis. *Linn.*

Hab. inter segetes, in arvis, collibus herbidis, prope Conimbricam, et alibi in tota ferè Lusitania. Flor. vere. Peren.

6.

6. HYACINTHUS *racemosus*. Linn.

H. Corollis suburceolatis, deorsum imbricatis; summis sterilibus: foliis angustis, canaliculato-cylindraceis.

H.-juncifolius *La Marck Dict. Bot. Enc.*

Hab. in montosis calcareis *Serra d'Arrabida*, in vineis *de Montarroio* prope Conimbricam, et alibi. Flor. vere. Peren.

Corolla odora, saturate cærulea, subsessilis, suburceolata.

324. CONVALLARIA.

Corolla infera, monopetala, globosa, aut tubulosa, in sex, rarissime quatuor, lacinias divisa: stamina supra basin corollæ inserta: stigma trigonum: bacca loculis monospermis, immatura maculata.

1. CONVALLARIA *maialis*. Linn.

C. Scapo inferne vaginato, vagina bifolia: racemo simplici, secundo, subnutante.

Lusit. *Lirio convalle.*

* Colitur in hortis, nec in nemorosis montosis ullibi crescere, uti quidam ferunt, in Lusitania hucusque vidi. Flor. vere. Peren.

2. CONVALLARIA *Polygonatum*.

C. Foliis alternis, amplexicaulibus: caule ancipiti: pedunculis axillaribus, subunifloris. *Linn.*

Lusit. *Sello de Salomão.*

Hab. in umbrosis humidiusculis, in nemorosis montosis circa Conimbricam, et alibi in omnibus Lusitaniæ Provinciis. Flor. vere. Peren.

Pedunculi secundi, axillares, uniflori, biflori, triflorive. Corollæ pendulæ, albæ, campanulato-oblongæ. Caulis pedalis, aut minor, simplex, antrorsum nutans. Folia ovalia, subamplexicaulia. Variat foliis maioribus, caule sesquipedali, aut paulo longiori, inferne vel subtereti, vel acute anguloso (exacte ut in C.-Polygonato *communi) floribus tamen tribus, quatuor, aut quinque in singulo pedunculo, quæ pro* C.-multiflora *Linn. aut* C.-latifolia *Jacq. habetur; sed cùm apud nos vix solum maiori numero florum a* C.-Polygonato *communi differat, et hoc ex natura soli ac exposione, ideo istius varietatem esse opinor.*

325. POLYANTHES.

Corolla infera, monopetala, infundibuliformis; limbo sexfido, æquali, patulo: stamina corollæ fauci inserta: stigma trifidum: capsula basi tecta corollâ, trilocularis, polysperma: semina plana, gemino ordine disposita.

1. POLYANTHES *tuberosa.* Linn.
Lusit. *Angelica dos Jardins.*
* Colitur freq. in hortis. Flor. æstate. Peren.
Radix inferne tuberosa, superne bulboso-tunicata: folia radicalia oblonga, caulina brevia, squamiformia. Flores terminales, racemosi. Corollæ albæ, odoratissimæ. Variat flore pleno.

326. AGAVE.

Corolla supera, monopetala, erecta, tubulosa, limbo sexpartito: stamina exserta, summæ corollæ infixa: antheræ longæ, versatiles: capsula triangularis, utrinque attenuata, polysperma: semina plana.

1. AGAVE *Americana*.

A. Foliis dentato-spinosis: scapo ramoso. *Linn.* Lusit. *Piteira.*

Hab. nunc spontanea ad sepes, aggeres, vias, in Lusitania australiori. Flor. Maj. et Jun. Peren.

Cortusum primum hanc plantam in Europa anno 1561 *habuisse ferunt. Annosa florent omnia ejus individua in Lusitania australiori. Folia crassa, glaucescentia. Scapus squamosus, duodecim ad quindecim pedes altus, ad basin crassitudine cruris, cylindricus, superne ramosus, ramis alternis, patentissimis, inferioribus longioribus. Flores numerosissimi, in apice ramorum conferti, omnes sursum versi: corollæ viridi-lutescentes; staminibus exsertis. Scapus apud nos intus spongiosus, annuus, seu mox post fructescentiam periens; nec radix nec folia plantæ, quæ illum protulit, diu supersunt; pereunt enim intra unum aliumve annum, et planta sobole laterali radicis maternæ propagatur; semina apud nos non perfectam maturitatem adpiscuntur. Colitur in hortis varietas foliis ex luteo-albido variegatis. In Algarbiis nunc ad sepes aliam Agaves speciem etiam colere cæperunt, quæ foliis saturate viridibus, minus crassis, quàm in prece-*

 den-

dente; *cum autem ipsam hucusque florentem non viderim*, *nescio utrum sit A.*-vivipara *Linn.*, *an A.* Mexicana *La Marckii*?

(B) *Floribus spathaceis*: *perianthio nullo.*

327. ALLIUM.

Corolla infera, hexapetala, patens: spatha multiflora: umbella simplex, congesta: stigma simplex: capsula trilocularis, triloba.

* *Foliis caulinis planis*; *umbella capsulifera.*

1. ALLIUM *Ampeloprasum.*
   A. Umbella globosa: staminibus tricuspidatis: petalis carinâ scabris. *Linn.*
   Lusit. *Porros bravos.*
   Hab. freq. in collibus, vallibus, et agris circa Conimbricam, et alibi in Beira meridionali, et in Lusitania australiori. Flor. Jun. Jul. Peren.
   Bulbus tunicatus, *ventricosus*, *bulbulis ejus basi circum adnatis*: *habitus sequentis*, *sed minor.*
2. ALLIUM *Porrum.*
   A. Umbella globosa: staminibus tricuspidatis: radice tunicata. *Linn.*
   Lusit. *Porros hortenses.*
   * Colitur in hortis. Flor. æstate. Ann.
   Bulbus solitarius, *subcylindricus*, *seu leviter ventricosus*, *absque bulbulis basi appressis*: *folia pedalia et ultra*: *caulis tripedalis et altior.*
3. ALLIUM *Victorialis.*
   A. Umbella rotundata: staminibus lanceolatis, corolla longioribus: foliis ellipticis. *Linn.*

Hab.

Hab. in Herminio inter Betulas ad vicum *Sabugueiro.* Flor. Jul. Aug. Peren.

Bulbus oblongus : caulis fere pedalis , ad basin tantum foliatus : folia nervosa : petala albida.

4. ALLIUM *subhirsutum.*

A. Foliis inferioribus hirsutis : staminibus subulatis. *Linn.*

Hab. circa Promontorium sacrum, Lacobrigam et alibi in Algarbiis. Flor. Maj. Jun. Peren.

Bulbus magnitudine nucis avellaneæ : caulis semipedalis , aut paulo altior , teres , fistulosus : folia ad margines villosa : umbella laxa : flores albi.

** *Foliis caulinis planis : umbella bulbifera, seu bulbifero-subflorifera.*

5. ALLIUM *sativum.* Linn.

A. Bulbo composito, tunicato ; bulbulis oblongis, acuminatis, intus uniangulatis : staminibus tricuspidatis.

Lusit. *Alho ordinario.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Peren.

6. ALLIUM *Scorodoprasum.* Linn.

A. Caule summo circumvoluto : foliis crenulatis, vaginis ancipitibus : bulbo composito, tunicato ; bulbulis crassioribus , intus uniangulatis : staminibus tricuspidatis.

Lusit. *Alhos grossos*, *Alhos de Espanha.*

* Colitur præcipue in Transtagana. Flor. æstate. Peren.

Nimis simile præcedenti , sed habitu maius ; bulbus esse fertur interdum duplo maior : caulis tripedalis , et altior , ante florescentiam, seu bulbulorum maturitatem , cernuus aut subspiraliter

ter tortus : folia margine et carina deorsum scabra : spatha monophylla, biuncialis et altior : flores in umbellam subrotundam capituliformem dispositi, purpurascentes, bulbuli inter ipsos plus minusve numerosi.

*** *Foliis caulinis teretibus, aut semiteretibus; umbella capsulifera.*

7. ALLIUM *sphærocephalum.* Linn.

A. Foliis subteretibus, subulatis, fistulosis : umbella subglobosa : staminibus alternis tricuspidatis, corolla longioribus.

Hab. in solo macro ad Rupem Desideriorum, vulgo *Penedo das Saudades*, prope Conimbricam, et alibi in Beira australi et boreali. Flor. Jun. Jul. Peren.

Caulis pedalis, sesquipedalis, et altior : spatha brevis, marcescens : pedunculi breves : petala saturate purpurea. Varietas, pedunculis exterioribus brevioribus, quæ fortasse Allium-descendens *Linn.*, *in Beira australi frequentior.*

8. ALLIUM *pallens.* Linn.

A. Foliis semiteretibus, striatis : spatha bivalvi, pedunculis paulo longiori : floribus obtusis, reflexis : staminibus simplicibus, corollam æquantibus.

Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Jun. Jul. Peren.

Caulis teres, semipedalis, pedalisve, foliis infra medium vaginatus, alternis, semiteretibus, canaliculatis, striatis, subangulosis, erectis : spatha subulata, striata, umbellâ paulo altior, in duas valvas dehiscens : petala obtusa, albida, carina vi-

viridi, erecta, concava: stamina omnia simplicia, subulata, basi petalorum inserta, corollæ æqualia, aut eâ interdum paulo breviora: germen hexagonum: pedunculi subcapillares, sesquiunciales, minus inæquales quàm in subsequenti, reflexi in anthesi.

9. ALLIUM *paniculatum.* Linn.

A. Foliis semiteretibus, striatis: spatha bivalvi, pedunculis effusis duplo longiori: floribus obtusis, pendulis: staminibus simplicibus, corollam æquantibus.

Hab. in collibus Lusitaniæ australioris. Flor. Jun. Jul. Peren.

Nimis simile præcedenti, et illius secundum Gerardum varietas maior. Caulis bipedalis et altior: spatha quinque sexve uncias longa, et umbellæ longioribus pedunculis duplo et ultra longior: umbellæ pedunculi valde inæquales, biunciales alii, triuncialesve, unciales alii, numerosissimi, laxi, plurimi penduli, divaricati et quasi paniculam effingentes: flores extus purpurascentes: stamina corollæ longitudine, aut interdum paulo breviores: germen hexagonum.

**** *Foliis caulinis teretibus aut subteretibus: capitulo bulbifero, seu umbella bulbifero-subflorifera.*

10. ALLIUM *vineale.* Linn.

A. Foliis subteretibus, striatis, fistulosis: staminibus tricuspidatis: bulbis in capitulum sphæricum glomeratis.

Lusit. *Alho das vinhas.*

Hab. in vineis, collibus, dumetis, et alibi in Beira et Extremadura, etiam in *Caparica* trans Tagum. Flor. Jun. Jul. Peren.

Radix bulbosa, é bulbulis ovato-acutis variæ magni-

gnitudinis composita: caulis pedalis, sesquipedalis et altior, teres, glaber: folia duo triave, vaginantia: capitulum densum, sphæricum: flores inter bulbulos pedunculati, albo-virescentes, rarissimi aut interdum nulli: spatha monophylla, lacera, in cornu breve terminata.

***** *Foliis omnibus radicalibus, scapi basin vaginantibus* (1).

11. ALLIUM *magicum.* Linn.

A. Scapo tereti: foliis latis, concavis, glabris, sublanceolatis, centrali brevi, lineari, apice bulbifero: umbella hemisphærica, subæquali: staminibus simplicibus.

Moly latifolium liliflorum. Casp. Bauh. Pin. p. 75.

Moly Theophrasti magnum. J. Bauh. Hist. Pl. vol. 2. p. 568.

Et forte quoque Moly Indicum sive Caucason J. Bauh. ibid. p. 569. fig. 1. seu superior.

Allium-*speciosum* Cyrill. Pl. rar. Neap.

Quod ad nostrum referendum, uti varietas maior.

Hab. in collibus calcareis aut basalticis *Alcantara* et

(1) Alliis omnibus hucusque cognitis nullus caulis, Sed eorum truncus scapus est: caules enim, vere tales, præditi sunt foliis, quæ ex eorum substantia ligneo-medullari originem ducunt; at in scapis veris folia ex radice pullulant. Cum vero in Alliis omnibus foliorum ab his seu eorum vaginæ non é substantia trunci, sed ex bulbi veteris nodo tunicisve exoriantur, istarumque partium prolongata substantia ipsæ certe sint, atque insuper cum Alliorum trunci nulla é summo usque ad nodum veteris bulbi, ubi radiculæ sunt, folia producant, ideo scapi, non autem caules, stricté dici debent. Veterem tamen nominandi morem non mutavi, et caules dixi, cum ad unam tertiam partem, vel usque ad medium trunci, vaginæ foliorum accedunt; cum vero tantum ad basin vel paulo ultra, scapos nominavi.

et *Ajuda* prope Olisiponem. Flor. Apr. aut sæpius Maj. Peren.

*Radix, bulbus ovato-subrotundus, acutiusculus, magnitudine plus minusve nucis juglandis, rarissime diametro biunciali, tunica sicca fusca tectus; hinc, ubi scapus olim incumbebat, canaliculatus, intus albus; sapore amariusculo, acri, persistente, odore alliaceo. Dissectione facta mense Decembri, cum progerminare solet, bulbus ex duobus stratis concentricis valde cellularibus constare conspicitur; externo crassissimo, ad quinque lineas crasso; interno crassiusculo, vaginantes squamas, et folia centralia, sese invicem amplectentia, involventi; in centro foliorum, ad nodum bulbi, stat scapus albus, sesquilineam longus, apice spatham conicam umbellitegentem sustinens; ad istius latus immediate adstat foliolum breve, lineare, album, superne latiusculum, rotundatum, concavum, cochleariforme, atque ibi, fere ad medium, punctum lentiforme, bulbuli rudimentum, facile observatur. Folia omnia é nodo bulbi centroque ipsius erumpentia, mutuo involuta, sublanceolata, acutiuscula, concava, subcarinata, postice obsolete striata, utrinque dilute viridia, seu glaucescentia, unciam ad sesquiunciam lata, semipedem ad fere pedem longa, seu magnitudine illis Ornithogali-*maritimi *nostri similia, tria sive quatuor, exteriora maiora; externe una alterave squamâ concava, albida, striata, cincta; in centro ad scapum unum brevius, lineare, quatuor lineas latum, superne obtusum, bulbulumque ferens, subglosum, magnitudine nucis avellaneæ, aut paulo maiorem, albidum, demum lutescentem. Scapus fere in centro bulbi, foliis, ex nodo ad unam unciam supra terram, circumplexus, tripedalis, aut paulo altior, teres, inferne crassitudine pennæ anserinæ,*

 læ-

lævis, strictus, in florescentia fistulosus. Spatha subglobosa, acutiuscula, bifariam dehiscens, marcescens. Umbella primum hemisphærica, dein subfastigiata, diametro biunciali aut fere triunciali, pedunculis subæqualibus, ad duas uncias cum dimidia longis. Petala dilute aut albido-purpurea, carina ex viridi purpurascente, æqualia, sublanceolata, patentia, demum reflexa, marcescentia. Filamenta simplicia, æqualia, subulata, petalis æqualia aut breviora; antheræ oblongæ: germen trigonum; stigma simplex. Capsula trigona, ovata, obtusa, trivalvis. Semina sæpius novem, tria in singulo loculo, nigra, rugosa, hinc convexiuscula, inde uniangulata. Bulbi in umbella nulli.

Bulbi ex Olisipone in Hortum Conimbricensem translati, et ibi tam in ollis quam in areis, vel in terra calcarea, vel rariori solo ac diversis præterea expositionibus sata semper plantas statura minores ferre vidi; foliis multo angustioribus, brevioribus, sat concavis seu canaliculatis; scapo sesquipedali aut pedali, tenuiori, et interdum flaccido; umbellæ pedunculis brevioribus, valde inæqualibus, paucioribus; floribus albidis, et nullo post unum alterumve annum foliolo radicali bulbifero: nec experimenta ista semel egi, illa iterum atque iterum, semper tamen pari eventu, persecutus sum. Itaque si in tam parva distantia, ex austro ad aquilonem, planta nostra adeo variat, forticri quidem ratione in septentrionalis Europæ hortis ipsa variabit adeo, ut prorsus alia species esse videatur. Nec mirum capitulum bulbiferum interdum ipsam producere, ut a Sauvagesio memoratur; hæc enim variatio Alliaceis propria est: Cepa *vulgaris apud nos, loco florum, bulbos quatuor ad sex interdum profert, magnitudine nucis avellaneæ et cras-*

sio-

siores, qui in eodem receptaculo scapos ferunt novis capitulis bulbiferis apice instructos, ex quibus iterum novi scapi et nova capitula bulbifera emergunt; tunc vero scapi infirmi et præ pondere ad terram curvantur aut procumbunt. His adductus rationibus Synonymiam Linn. *suo Allio*-magico *suppositam nostro adjunxi: quantum vero attinet ad varietatem Indicam seu* Caucafon, *ob spathulas partiales, seu vaginulas, quibus singuli bulbuli in capitulis bulbiferis involvuntur, ipsa forte diversa species est.*

12. ALLIUM *roseum.* Linn.

A. Foliis planis, sublinearibus, scapo paulo brevioribus: umbella fastigiata: petalis obtusis, magnis: staminibus simplicibus, corolla brevioribus.

Hab. in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam et alibi in Beira et Extremadura. Fl. vere. Peren.

Radix bulbosa, tunicata, bulbulis ad nodum circumstipata. Folia inferne basin caulis amplectentia. Scapus teres, pedalis aut paulo altior. Spatha obtusiuscula. Umbellæ pedunculi floribus certe longiores, fastigiati. Petala oblonga, obtusa, rosea, maiora, quam in reliquis fere omnibus speciebus. Bulbi in umbella nulli.

13. ALLIUM *triquetrum.* Linn.

A. Scapo foliisque triquetris: petalis acuminatis: staminibus simplicibus, corolla valde brevioribus.

Hab. prope *Setubal* frequens. Flor. vere. Peren.

Bulbus oblongus. Folia valde carinata. Scapus semipedalis aut paulo altior, triqueter, foliis æqualis aut interdum paulo brevior. Spatha lanceolata, bivalvis. Umbella laxa, longitudine spathæ. Petala lanceolata, erecta, alba; carina obsoleta, viridi.

14. ALLIUM *Cepa.* Linn.

A. Scapo inferne ventricoso ; foliis teretibus longiore : staminibus alternis, trifidis.

Lusit. *Cebola hortense ordinaria.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. æstate. Ann. aut bienn.

Variat bulbo radicali nunc ovato, nunc valde depresso, tunicis externis albis, pallidis aut purpurascentibus; umbella interdum bulbifero-prolifera, aut etiam bulbifero-florifera.

15. ALLIUM *ascalonicum.* Linn.

A. Bulbis oblongis, acutis, conglomeratis: scapo tereti: foliis subulatis, fistulosis: umbella globosa: staminibus alternis tricuspidatis.

Lusit. *Chalottas, ou Cebolinhas de França.*

* Colitur in hortis Olisipone et *Porto.* Flor. æstate. Peren.

Rarissime scapos fert aut floret, et quasi sterilis videtur. Scapi spithamei, aut paulo altiores. Petala cærulea, carina atro-cærulea. Stamina longitudine petalorum. Antheræ flavæ.

16. ALLIUM *Lusitanicum.*

A. Foliis filiformibus, fistulosis, inferne scapum teretem vaginantibus, illoque brevioribus: umbella globosa: staminibus simplicibus, corolla paulo longioribus.

La Marck Dict. Enc.

Lusit. *Chalottinhas do Gerez.*

Hab. in jugis *Gerez.* Flor. æstate. Peren.

Folia radicalia sex ad novem, vaginis brevibus scapum inferne cingentibus. Scapi tenuissimi, septem ad octo uncias longi. Umbella laxa. Spatha bivalvis, brevissima. Flores purpurei; pedunculi ipsis duplo longiores.

N. B. *Allium*-odorum *Linn.*, *quod in Lusitania crescere fertur, nondum in ea uspiam vidi.*

328. NARCISSUS.

Corolla supera, monopetala, tubulosa, sexfida, laciniis petaloideis, coronâ ad faucem campanulata: stamina tubo corollæ inserta, coronâque ipsius breviora: stigma trifidum.

(A) *Spatha uniflora.*

1. NARCISSUS *Pseudo-Narcissus.*
N. Spatha uniflora: nectario (corona) campanulato, erecto, crispo, æquante petala ovata. *Linn.*
Lusit. *Narcisso trombeta.*
Hab. in montosis subalpinis, præsertim in Herminio ad *Machada do Covão Cimeiro*, atque supra *Albergaria*, et alibi.
Colitur etiam in hortis. Flor. Apr. Maj. Jun. Peren.
Scapus anceps, septem octove uncias altus, foliis paulo longior. Spatha membranacea, arida. Corolla tota lutea.

2. NARCISSUS *bicolor.*
N. Spatha uniflora: nectario (corona) campanulato, margine patulo, crispo, æquante petala (alba). *Linn.*
Lusit. *Narcisso trombeta de duas cores.*
* Colitur in hortis. Flor. Apr. Peren.
Corollæ laciniæ albæ; coronâ lutea, margine patulo, undulato, crenato. Variat flore pleno Lusit. Topes. *Nimis similis præcedenti, et illius varietas esse videtur.*

3. NARCISSUS *minor.*
N. Spatha uniflora: nectario (corona) obconico, ere-

erecto, crispo, sexfido, æquante petala lanceolata. *Linn.*

Hab. in Herminio circa lacus, et in altioribus montosis *Gerez.* Flor. Apr. Maj. Peren.

Scapus erectus, striatus, anceps, tres aut quatuor uncias altus. Folia radicalia sæpius tria, angusta, linearia, canaliculata, scapo breviora. Flos omnino luteus aut pallidus, primum interdum erectiusculus, sed demum valde cernuus. Corona campanulata, corollæ laciniis æqualis, aut interdum brevior, margine sexfido, undulato, crispulo, interdum subtrifido, lacinulis inæqualiter denticulatis. Affinis N.-Pseudo-Narcisso, *sed triplo omnibus partibus minor, et ex notatis diversus.*

3. NARCISSUS *Bulbocodium.*

N. Spatha uniflora: nectario (corona) turbinato, petalis majori: genitalibus declinatis. *Linn.*

Hab. in collibus circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Lusitania australiori. Flor. Mart. Apr. Peren.

Scapus cylindricus, quatuor ad sex uncias altus. Folia plura, inæqualia, nonnulla scapo longiora, canaliculata, junciformia. Flos cernuus, omnino luteus: corona latissima, integerrima, sensim ad ima corollæ angustior, obconica.

(B) *Spatha multiflora.*

5. NARCISSUS *reflexus.*

N. Scapo tereti, paucifloro: foliis carinatis: corollæ laciniis lanceolatis, reflexiusculis, coronâ campanulata, sexcrenulata, vix longioribus.

Hab. in montosis *Gerez*, circa *Amarante*, et alibi in Duriminia. Flor. Apr. Maj. Jun. Peren.

Ex Cl. Com. Hoffmansegg.

Scapus erectus, teres. Folia anguste linearia,

acu-

acuta, planiuscula, carinata. Spatha pauciflora. Flores nutantes. Corolla mediocris, sulphureo-albida; laciniis reflexiusculis, acutis, oblongo-lanceolatis, corona ipsis paulo breviori, campanulata, ore obiter sexcrenato. Nimis affinis N.-odoro *Linn.*

6. NARCISSUS *Calathinus.*

N. Spatha multiflora; nectario (corona) campanulato, subcrenato, subæquante petala: foliis planis. *Linn.*

* Colitur in hortis, et in montosis Herminii inter pagos *Unhaes* et *Loriga* crescere fertur. Fl. Maj. Jun. Peren.

Corolla omnino lutea: corona sexcrenulata, laciniis acutiusculis, sublanceolatis, vix breviori. Affinis N.-Tazettæ *et* odoro, *sed flores maiores, et corollæ coronâ laciniis subæquali differt.*

7. NARCISSUS *Tazetta.*

N. Spatha multiflora: nectario (corona) campanulato, plicato, truncato, triplo petalis breviori: foliis planis. *Linn.*

Lusit. *Narcisso de Inverno.*

Hab. in collibus de *Alcantara* prope Olisiponem et aliis in Extremadura australiori. Flor. Jun. Febr. Mart. Peren.

Folia linearia, plana, tres lineas lata, scapo paulo breviora, obtusa. Scapus anceps, octo ad undecim uncias altus. Flores umbellati, sex ad decem, pedunculis inæqualibus. Corolla omnino alba, laciniis ovato-lanceolatis, corona fere triplo longioribus. In hortis cultus variat corona corollæ lutea, etiam flore pleno, tuncque omni habitu maior.

8. NARCISSUS *Jonquilla.*

N. Spatha multiflora: nectario (corona) campanulato, brevi: foliis subulatis. *Linn.*

Lusit. *Junquilho legitimo.*

Hab. in collibus circa *Monchique*, Lacobrigam, *Vil-*

Villa do Bispo et alibi in Algarbiis. Colitur etiam frequenter in hortis. Flor. vere. Peren.

Folia semiteretia, canaliculata, ad apicem angustata, subulata, junciformia. Scapus teres, striatus. Flores duo ad octo, parvi, nutantes. Corolla omnino lutea, laciniis lanceolatis, corona fere hemisphærica crenulata longioribus. Variat flore pleno.

329. LEUCOIUM.

Corolla supera, monopetala, subcampanulata, profunde sexpartita, laciniis petaloideis, apice incrassatis: stigma simplex.

1. LEUCOIUM *trichophyllum*.

L. Spatha diphylla, multiflora: stylo filiformi.

Hab. in arenosis inter *Cadima* et *Figueira* in Beira; etiam in collibus maritimis *de Caparica*, et alibi ad Tagum in Extremadura. Flor. vere. Per.

Nimis simile subsequenti, et illius fere varietas. Folia filiformia, membranacea, basi scapum vaginantia. Scapus etiam filiformis, quinque sexve uncias altus, foliis longior. Spatha bivalvis, uncialis, marcescens. Flores duo ad quatuor nutantes; pedunculi capillares, inæquales, maior sesquiuncialis. Corolla vix maior, quam in L.-autumnali, *omnino alba, aut interdum externe leviter rubella; petalis tribus acutis, tribus alternis obtusiusculis cum acumine, omnia striata, nervosa. Stylus filiformis. Stigma globosiusculum.*

2. LEUCOIUM *autumnale*.

L. Spatha monophylla, multiflora: stylo filiformi. *Linn.*

Hab. freq. ad vias, in dumetis, collibusque in tota

ta Lusitania. Flor. Septemb. Octobr. mox post aquas æquinoctiales. Peren.

Spatha uni-biflora, rarissime triflora.

330. PANCRATIUM.

Corolla supera, monopetala, infundibuliformis, sexpartita, coronâ magnâ ad faucem, campaniformi, ore duodecimfido, cujus laciniæ sex subulatæ: stamina ipsis inserta, longioraque: stigma obtusum.

1. PANCRATIUM *maritimum*.

P. Spatha multiflora: petalis planis: foliis lingulatis. *Linn.*

Hab. in arenosis maritimis, prope *Trafaria* fere ad ostia Tagi, prope *Figueira*, *Boarcos*, et alibi. Flor. Maj. Jun. Peren.

331. AMARYLLIS.

Corolla supera, hexapetala, forma subcampanulata (aut monopetala, subinfundibuliformis, sexpartita) utraque limbo reflexiusculo: squamulæ brevissimæ, sæpius sex, ad filamentorum basin: stigma trifidum.

1. AMARYLLIS *formosissima*.

A. Spatha uniflora: corolla inæquali, petalis tribus genitalibusque declinatis. *Linn.*

Lusit. *Flor de Lyz.*

* Colitur in hortis. Flor. æstate. Peren.

2. AMARYLLIS *Reginæ.*

A. Spatha multiflora: corollis campanulatis, æqualibus, undulatis: genitalibus declinatis. *Linn.*

Lusit. *Açucena encarnada, ou Belladona dos Italianos.*

A.-rosea *La Marck. Dict. Enc.*; *et A.*-Belladona *Linn.*, *secund. Cl. Salisburi.*

* Colitur in hortis, et nunc fere spontanea ad sepes circa Conimbricam. Flor. Aug. Septemb. Peren.

3. AMARYLLIS *Sarniensis.*

A. Spatha multiflora: corollis revolutis: genitalibus erectis. *Linn.*

Lusit. *Rachel.*

* Colitur frequens in hortis. Flor. Aug. Sept. Peren.

Coluntur, sed rarius, etiam in hortis A.-vittata *Curtis, Lusit.* Bordão de S. José, *et A.*-undulata. *Linn.*

(C) *Floribus completis.*

332. APHYLLANTHES.

Calyx polyphyllus, squamis sæpius quatuor aut quinque, glumæformibus, imbricatis: corollæ petala sex, æqualia, unguibus convergentibus, limbo patenti: stamina corollæ inserta: stigma trilobum: capsula trilocularis, polysperma.

1. APHYLLANTHES *Monspeliensis.* Linn.

Hab. inter saxa prope *Miranda do Doiro*, ad fluvii ripas. Flor. Maj. Peren.

Radix repens. Scapi plures, semipedales aut paulo altiores, simplicissimi, junciformes, basi cincti vaginis foliorum, quæ erecta, graminea, subulata, uncialia aut paulo longiora. Capitulum terminale, pauciflorum; flores duo, tres, interdum unicus, facie Dianthi-proliferi.

Ex Cl. Com. Hoffmansegg.

333. PEPLIS.

Calyx campanulatus, duodecimfidus, laciniis alternis reflexis: corollæ petala sex, minutissima, fugacissima, interdum abortiva, calyci inserta: capsula calyce tecta, bilocularis, polysperma.

1. PEPLIS *Portula.* Linn.

P. Floribus subapetalis: foliis subovato-spathulatis, oppositis: caule procumbente.

Hab. frequens in uliginosis, inundatis, stagnantibus, circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jun. usque ad Aug. Ann.

Caulis digitalis, ramosus, subtetragonus, geniculatus. Folia obovata, in petiolum brevem decurrentia. Flores axillares, solitarii. Petala subrotunda, minutissima, fugacia.

334. FRANKENIA.

Calyx subcylindricus, quinquedentatus: petala quinque, ungue intus canaliculato: stigmata tria: capsula unilocularis, trivalvis, polysperma.

1. FRANKENIA *lævis*.
F. Foliis linearibus, confertis, basi ciliatis. *Linn.*
Hab. in maritimis, frequens ad Tagum et prope *Figueira*. Flor. æstate. Peren.

2. FRANKENIA *pulverulenta*.
F. Foliis obovatis, retusis, subtus pulveratis. *Linn.*
Hab. in fonte salso prope *Rio Maior* in Extremadura. Flor. Jun. Jul. Ann.
Caules procumbentes, ramosi, quatuor quinqueve uncias longi. Folia quasi Euphorbiæ-chamæsycæ, *subtus albido-viridia, et quasi pulverata. Flores dilute violacei, sessiles, axillares. Ex Cl. Com. Hoffmansegg.*

335. BERBERIS.

Calyx hexaphyllus, foliolis alterne maioribus: corollæ petala sex, foliolis calycinis opposita, ad ungues biglandulosa: stigma sessile, orbiculatum: bacca cylindracea, unilocularis, umbilicata: semina duo, sive tria.

1. BERBERIS *vulgaris*. Linn.
B. Racemis simplicibus, pendulis: foliis obovatis, ciliato-dentatis.

Lu-

Lusit. *Berberis.*

* Colitur in hortis, et occurrit quasi spontanea ad sepes in *Portella* prope Conimbricam. Flor. vere. Frutex.

Caulis quatuor quinqueve pedes altus, spinosus, spinæ tres ad ramorum exortum, foliis subjectæ. Stipulæ utrinque dente capillari terminatæ. Flores flavi. Staminum filamenta valde irritabilia. Baccæ rubentes, oblongæ, acidæ, edules, refrigerantes.

** *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, tetradynamicis: fructu Siliculoso.*

CRUCIFERÆ.

(A) *Silicula apice integro.*

336. ALYSSUM.

Staminum filamenta duo interdum basi dentata: silicula planiuscula, orbiculata, seu ovali-subrotunda, stylo acuminata, valvis dissepimento parallelis; loculis monospermis, aut rarius dispermis.

1. ALYSSUM *alpestre.*

A. Caulibus suffruticosis, diffusis: foliis subrotundis, incanis: calycibus coloratis. *Linn.*

Hab. in agris prope *Bragança* frequens. Flor. Apr. Maj. Peren.

Caules plures ex eadem radice, tres ad quinque uncias alti, adscendentes. Folia spathulata, obtusis-

sissima, albida, punctata. Flores breviter pedunculati, subcorymbosi. Calyx flavescens, deciduus. Petala lutea, integra. Silicula ovata, incana.

Ex Cl. C. Hoffmansegg.

2. ALYSSUM *maritimum.*

A. Caulibus flaccidis, ramosis: foliis lineari-lanceolatis, subsericeis: pedunculis terminalibus, longe racemosis.

La Marck Dict. Enc.

Clypeola-maritima *Linn.*

Hab. in maritimis de *Caparica*, circa Olisiponem, et alibi. Flor. vere et fere toto anno. Peren.

Caules plures, semipedales, pedales et ultra, flaccidi, procumbentes, ramosi, diffusi, ramis adscendentibus; interdum inferne biennales. Folia albido-viridia, pilis nonnullis adpressis instructa. Flores primum subcorymbosi, demum racemosi, racemis longissimis, rachi striata. Petala alba, obovata, integra. Silicula subrotunda, in singulis loculis semine unico.

3. ALYSSUM *montanum.*

A. Caulibus herbaceis, diffusis: foliis sublanceolatis, punctato-echinatis. *Linn.*

Hab. in collibus *Alcantara* circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. Apr. Maj. Ann.

Caules plures, adscendentes, subvillosi, quatuor ad sex uncias alti. Folia inferiora subspathulata, subincana; superiora lanceolata. Flores racemoso-corymbosi. Petala lutea, emarginata. Filamenta duo basi unidentata.

337. DRABA.

Calyx erectus, nullis foliolis basi saccatis: staminum filamenta simplicissima, aut rarius duo denticulata: stylus sæpius nullus: silicula oblongiuscula, ovalis, subcompressa, polysperma, valvis planiusculis, dissepimento parallelis.

1. DRABA *verna.* Linn.

D. Scapis simplicibus: floribus subumbellatis: foliis ovato lanceolatis, subserratis.

Hab. in arvis ad Tagum prope *Salvaterra de Magos.* Flor. Febr. Mart. Ann.

Scapi nonnulli ex eadem radice, filiformes, digitales, apice ramulis paucis, fere umbellatim positis, instructi. Folia in orbem posita, subintegerrima, subglabra. Petala bifida, alba. Siliculæ longe pedunculatæ.

2. DRABA *muralis.*

D. Caule ramoso: foliis ovatis, sessilibus, dentatis. *Linn.*

Hab. freq. prope *Cintra*, et ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Flor. Apr. Maj. Ann.

Caulis semipedalis et altior, simplicissimus aut simplex, pubescens. Folia radicalia in orbem digesta, ovata, dentata, petiolata; caulina cordato-ovata. Racemi terminales. Flores parvi, albi.

338. ISATIS.

Calyx modice patens: stylus nullus, stigma capitatum: silicula linguæformis, nunc oblonge subelliptica, nunc oblonga, obverse subcordata, compressa, medio turgidiuscula, et utrinque unilineata, unilocularis, bivalvis, valvulis navicularibus, vix sponte dehiscentibus, monosperma.

1. ISATIS *tinctoria*. Linn.

I. Foliis radicalibus crenatis; caulinis sagittatis: siliculis oblongis, subovalibus.

Lusit. *Pastel dos tintureiros*.

* Colitur, sed rarius, quam olim. Flor. æstate. Ann. aut sæpius Bienn.

2. ISATIS *Lusitanica*. Linn.

I. Foliis omnibus integerrimis; radicalibus ovali-oblongis, caulinis sagittatis: siliculis oblongis, obverse subcordatis.

Hab. inter saxa prope *Miranda do Doiro* ad imas fluvii ripas. Flor. Maj. Ann.

Planta tota glabra et glauca. Caulis erectus, ramosus. Folia omnia integerrima; radicalia ovali-oblonga, in petiolum attenuata; caulina sagittata, subamplexicaulia, inferiora interdum subpanduriformia, superiora oblonga, acuta. Racemi paniculati. Flores parvi, lutei. Pedicelli glabri, fructiferi subdeflexi. Siliculæ nutantes, magnæ, superne latæ, subemarginatæ, obverse subcordatæ, superficie inæquali.

Comm. primum á Cl. Com. Hoffmansegg.

339.

339. KAKILE.

(*La Marck, Gaertner.*) Calyx patens: silicula oblonga, acuminata, rhombeo-tetragona, lævis, suberosiuscula, biarticulata, ad articulos secedens, articulo inferiori parvo, rarissime fertili, monospermo; ambobus unilocularibus, valvis coalitis, nec dehiscentibus: semen sæpius unicum in superiori articulo, oblongum, sulcatum.

1. KAKILE *Serapionis.*
K. Foliis carnosis, obtusis, dentatis: caule debili, ramoso.
Lusit. *Eruca marina.*
Bunias-Kakile *Linn.*
Hab. in arenosis maritimis, prope *Figueira*, et alibi ad Oceani littora. Flor. æstate. Ann.
Racemi terminales et axillares longi: flores albi aut albido-violacei.

340. BUNIAS.

Calyx patens: silicula subfungosa, non dehiscens, seu drupacea, quadrangularis, angulis inæqualibus, argutis, scabris, muricatis, aut lævibus: putamine osseo, bi vel quadriloculari, loculis omnibus fertilibus, coalitis: semina solitaria.

1. BUNIAS *aspera.*

B. Caule ramoso, aculeolis scabro: foliis superioribus lanceolatis, inferioribus sinuato-dentatis: silicula angulis omnibus cristatis.

Retz Obs. Bot. 2. *p.* 21.

Hab. ad ripas Durii prope *Porto.* Flor. Jun. Ann. *Caulis pedalis. Flores racemosi, flavi. Siliculæ stylo terminatæ. Nimis affinis B.*-erucagini, *et ejus forte varietas.*

341. MYAGRUM.

Silicula globosa, subglobosa, obconica, vel subconica, subfungosa, non dehiscens, submonosperma; uni-bi, aut trilocularis, loculo singulo monospermo, fertili aut sterili: stylus, cum adest, persistens.

1. MYAGRUM *iberioides.*

M. Siliculis subovalibus, glabris, subrugosis, mono-

nospermis: foliis radicalibus sinuato-lyratis: floribus racemoso-corymbosis : petalis duobus paulo maioribus. *Broter. Phyt. Lusit. n.* 23.

Hab. in solo macro inter segetes in Transmontana, et alibi in Lusitania boreali, sed raro ad Conimbricam. Flor. Apr. Maj. Ann.

Affine Crambis , sed petala et stamina diversa. Siliculæ sæpius leviter rugosæ , deciduæ.

2. MYAGRUM *Hispanicum.* Linn.

M. Siliculis superne globosis, subrugosis, glabris, monospermis, inferne angustatis, ibique pedicelliformibus et sterilibus: foliis lyratis.

Hab. freq. in agris, inter segetes, ad sepes in tota fere Lusitania. Flor. æstate. Ann.

Caulis sesquipedalis, aut bipedalis, subhirsutus, uti folia. Racemi terminales, longi. Flores lutei.

342. CRAMBE.

Filamenta longiora apice bifurca, dente altero antherifero: stylus subnullus: silicula globosa, non dehiscens, coriacea, seu subbaccata, monosperma, decidua: infra ipsam articulus gracilis, sterilis, pedicelliformis.

1. CRAMBE *Hispanica.* Linn.

C. Pilis brevibus undique scabra : foliis lyratis, lobo terminali maximo, subrotundo.

Hab. prope *Bemposta*, ad Durii ripas, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Maj. Ann.

Caulis sesquipedalis, striatus, superne ramosus. Racemi terminales. Flores albi.

343. CAMELINA.

(*Joh. Bauh.*, *Crantz.*) Silicula ovata, vel obovata, turgida aut subinflata, stylo instructa, polysperma; valvulis convexiusculis, dissepimento parallelis.

1. CAMELINA *sativa.*
C. Floribus racemosis: foliis amplexicaulibus, denticulatis: siliculis obovatis.
Lusit. *Gergelim bastardo, ou Jorgelim de Laguna.*
Myagrum-sativum *Linn.*
Hab. in agris inter Linum, circa Conimbricam et alibi in Lusitania boreali. Flor. vere. Ann.
Caulis erectus, pedalis aut altior, subangulosus, subramosus. Folia sublanceolata, amplexicaulia, distanter denticulata. Racemi terminales, longi, laxi. Petala lutescentia, obtusa, integerrima. Silicula obtusa, obconica, turgidiuscula. Ex Trago, *semina oleum gratissimum, illoque olivæ præstantius, ferunt.*

2. CAMELINA *aquatica.*
C. Floribus racemosis, siliculis declinatis, ovato-subrotundis: foliis ovato-lanceolatis, serratis.
Sisymbrium-amphibium *Linn. var.* β.
Myagrum-aquaticum *La Marck Dict. Enc.*
Hab. ad fossas, in paludosis, inundatis, et pratis humidis, circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Aug. Peren.
Caulis erectus, sesquipedalis, bipedalis et altior, subangulosus, glaber, subramosus. Folia alterna, glabra, ovato-lanceolata, interdum subpinna-

na-

natifida , serrata ; superiora ramea lanceolata. Racemi terminales , laxi. Petala flava , obtusa , calyce duplo fere longiora. Siliculæ glabræ , integræ , subinflatæ.

344. CORONOPUS.

(*La Marck , Gaertner.*) Silicula rotundato-reniformis , subcompressa , sub muricata , bivalvis , bilocularis , decidua ; loculis monospermis ; valvulis ad dissepimentum minimum , oppositum , evanidum , contractis.

1. CORONOPUS *Ruellii.*

C. Foliis pinnatifidis , sublaciniatis : caule depresso , procumbente.

Cochlearia-Coronopus *Linn.*

Hab. frequens in solo calcareo , ad vias , et in ruderatis circa Olisiponem , Conimbricam et alibi in Beira , Extremadura et Lusitania australiori. Flor. Jun. Jul. Ann.

(B) *Silicula apice emarginata.*

345. LEPIDIUM.

Silicula subrotunda, subcordata, aut subovata, emarginata, aut subintegra, compressa; bilocularis, loculis monospermis; bivalvis, valvulis carinatis, marginatis, aut obtusiusculis, dissepimento lanceolato contrariis.

1. LEPIDIUM *petræum.*
   L. Foliis pinnatis, integerrimis: petalis emarginatis, calyce minoribus. *Linn.*
   Hab. in collibus calcareis de *Alcantara* prope Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. Mart. Apr. Ann.

Planta pumila. Scapi sesquiunciales, aut biunciales, simplicissimi. Racemi, parvi terminales. Flores albi. Var. maior Lep.-petræi.

2. LEPIDIUM *nudicaule.* Linn.
   L. Scapis simplicissimis: floribus tetrandris: foliis pinnatifidis.
   Hab. in arvis collibusque sabulosis, frequens circa Conimbricam, et alibi in Beira, Extremadura, et Transtagana. Flor. Febr. Mart. Ann.

Folia pinnatifida, laciniis, maxime terminali, obtusis, raro acutis. Scapi plures ex eadem radice, quatuor quinqueve uncias alti. Petala alba, æqualia. Stamina quatuor, rarissime sex: attamen in montosis Gerez, semper staminibus sex et serius florens, crescere ferunt; quod forte L.-procumbens *aut ejus varietas est.*

3. LEPIDIUM *sativum.*

L. Floribus tetradynamicis: foliis oblongis, multifidis. *Linn.*

Lusit. *Mastruço ordinario.*

* Colitur in hortis circa Olisiponem, et alibi. Flor. æstate. Ann.

4. LEPIDIUM *latifolium.*

L. Foliis ovato-lanceolatis, integris, serratis. *Linn.*

Lusit. *Herva Pimenteira maior, ou Lepidio vulgar.*

Hab. in fossis, colliciis, umbrosis subhumidis, ad rivulorum margines in *Caparica* trans Tagum, etiam in agris Conimbricensibus et alibi in Beira. Flor. æstate. Peren.

Caulis bipedalis et altior, ramosus. Folia superiora lanceolata, integerrima. Flores exigui, albi, pedunculati, paniculati. Siliculæ vix emarginatæ.

5. LEPIDIUM *Draba.*

L. Foliis lanceolatis, amplexicaulibus, dentatis. *Linn.*

Cochlearia-Draba *Linn.*

Hab. inter segetes *de Val de Pereiro, Campo de Ourique* et ad agrorum versuras prope Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. vere. Peren.

Caulis pedalis, superne subramosus. Folia caulina oblanceolata, basi sagittali amplexicaulia, remote dentata, viridi-albida. Flores corymbosi, parvi, albi. Siliculæ ovatæ, compressiusculæ, subventricosæ; loculis vere monospermis; valvulis subcarinatis.

346. THLASPI.

Silicula subrotunda, obcordata, aut subtriangularis, emarginata, compressa; bilocularis, loculis dispermis, aut polyspermis; bivalvis, valvulis carinato-alatis, aut interdum carinato-obtusiusculis, dissepimento lanceolato contrariis.

1. THLASPI *campestre.*
   T. Siliculis subrotundis: foliis sagittatis, dentatis, incanis. *Linn.*
   Hab. in agris et ad eorum versuras circa Conimbricam, et alibi in Beira, sed parce. Flor. Maj. Jun. Jul. Ann.
2. THLASPI *perfoliatum.*
   T. Siliculis obcordatis: foliis caulinis cordatis, glabris, subdentatis: petalis longitudine calycis: caule ramoso. *Linn.*
   Hab. freq. in agris, et ad vias in Extremadura, etiam in Lusitania boreali. Flor. Apr. usque ad Jun. Ann., raro Bienn.

Caulis semipedalis aut fere pedalis, statim à basi ramosus. Folia radicalia breviter petiolata. Racemi longi. Petala alba, vix calycem superantia.

3. THLASPI *Bursa pastoris.* Linn.
   T. Siliculis obcordato-triangularibus: foliis radicalibus pinnatifidis, dentatis; caulinis sagittatis. Lusit. *Bolça de pastor.*
   Hab. freq. in agris, arvis, ruderatis circa Conimbricam et in tota fere Lusitania. Flor. Mart. usque ad Septembr. Ann.

Si-

Silicula margine obtusiusculo.

4. THLASPI *montanum.*

T. Siliculis obcordatis : foliis glabris ; radicalibus subcarnosis, obovatis, integerrimis ; caulinis amplexicaulibus : corollis calyce maioribus. *Linn.*

Hab. in Transmontana boreali. Flor. Mart. Apr. Maj. Bienn.

Caulis palmaris, erectus, simplex, glaber, ut tota planta. Folia glauco-viridia, subcarnosa; radicalia in cespitem congesta, obovata, et in petiolum attenuata, plerunque integerrima, interaum leviter crenata; caulina sessilia, amplexicaulia, oblonga, sagittata, nunc integerrima, nunc sinuato-dentata. Flores primum subcorymbosi, demum in racemum fructiferum abeuntes. Petala alba, calyce duplo longiora. Siliculæ obcordatæ.

347. IBERIS.

Corolla inæqualis, petalis duobus exterioribus maioribus : silicula suborbicularis, compressa ; bilocularis, loculis monospermis ; bivalvis, valvulis carinato-alatis, septo lanceolato contrariis.

1. IBERIS *amara.*

I. Foliis lanceolatis, acutis, subdentatis : floribus racemosis. *Linn.*

* Colitur in hortis, et quasi spontanea occurrit prope *Collares* in Extremadura. Flor. æstate. Ann.

Caulis palmaris, ramosus. Folia crassiuscula, oblanceolata, inferiora serrata, superiora denticu-

lata. Flores albi, interdum albo-violacei, primum subcorymbosi, demum in racemum fructiferum dispositi, in quo differt ab I.-umbellata, *sæpius cum ipsa culta, quæ siliculas in corymbum hemisphæricum dispositas fert.*

2. IBERIS *linifolia.*

I. Foliis linearibus, integerrimis; caulinis serratis: caule paniculato; corymbis hemisphæricis. *Linn.*

Hab. trans Tagum in *Valle da Piedade*, et in vinetis sabulosis *de Caparica* et *Almada.* Flor. æstate. Ann.

Caulis pedalis et altior, ramosus, striatus. Folia radicalia subdentata; caulina omnia fere integerrima. Flores sæpius purpurascentes, corymbosi, uti etiam siliculæ; corymbi terminales, densi, hemisphærici.

3. IBERIS *nudicaulis.* Linn.

I. Foliis sinuato-pinnatifidis: scapis simplicissimis; floribus racemosis, exiguis.

Hab. frequens in arvis sabulosis, soloque macro circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. primo vere. Ann.

Scapi plures ex eadem radice, digitales aut vix altiores, simplicissimi. Folia in omnibus individuis, quæ observavi, omnia radicalia, pinnatifida. Flores primum subcorymbosi, demum, uti fructus, racemosi. Petala alba, omnia integerrima, obtusa, duo exteriora maiora. Stamina sex. Nimis similis Lepid.-nudicauli, *sed corollâ staminumque numero diversa.*

348. COCHLEARIA.

Calyx hiulcus, foliolis concavis: silicula subemarginata, turgida, ovata, seu subcordata, stylo brevi coronata; loculis polyspermis; valvulis obtusis, gibbosis; septo subparallelo.

1. COCHLEARIA *glastifolia.*

C. Foliis caulinis obcordato-sagittatis, amplexicaulibus. *Linn.*

* Colitur in hortis, et ad Durii ripas prope *Porto* quasi spontanea occurrit. Flor. æstate. Ann.

2. COCHLEARIA *Olisiponensis.*

C. Foliis obtusis, subcordato-ovatis, trilobis, subquinquelobisve, longe petiolatis: pedunculis radicalibus numerosis, nudis, flaccidis, unifloris; caule sæpissime nullo. *Broter.*

Hab. frequens in collibus basalticis *de Ajuda* et *Alcantara* prope Olisiponem, etiam, sed rarius, in calcareis *de Montagraço* et alibi in Extremadura. Flor. hyeme, raro Aprili. Ann.

Cochlearia *pusilla, montana.* Grisl. Vir. Lusit. n. 377.

Radix fibrosa. Folia sæpissime omnia radicalia, subcordato-ovata, interdum obsolete subtriloba aut subquinqueloba, obtusa, integerrima, glabra, ut tota planta; petiolis longissimis, lamina folii multoties longioribus. Pedunculi radicales, numerosi, flaccidi, obliqui, sesquiunciales aut biunciales, uniflori. Caulis sæpissime nullus, nam sub terra latet, seu é radice non evolvitur, uti sæpissime se habet scapus nostræ Primulæ-*acaulis; cum autem evolvitur, tres aut quatuor uncias altus est, absque ul-*

*ullis ramis, sed eorum loco fere ex basi usque ad apicem pedunculos fert, et foliis sparsis numerosis instructus est: folia caulina tunc radicalibus simillima; flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculi longitudine plus minusve foliorum. Foliola calycis concava, corolla valde breviora: corolla purpurascens, forma et magnitudine corollæ Cochl.-*officinalis *similis, aut vix minor. Silicula turgidiuscula, leviter compressa, subgibbosa, ovato-subrotunda, stylo brevi terminata, vix emarginata, dissepimento subcontrario, sublanceolato, polysperma.*

Habitus omnino Cochleariæ; *siliculæ tamen leviter ab illa distant, cum sint compressiusculæ, mediamque ponunt inter* Thlaspi *et* Lepidii *species, sed nec ideo ipsis associanda.*

*De hac stirpe Cl. Witeringius asserere dicitur, quod post triennium in Cochleariam-*officinalem *mutetur; hoc autem non incredibile, si ambæ in eodem horto proxime colantur, nam cum nimis sint affines, floralis coitus ita se habere potest, ut ex illo Cochl.-*officin. *hybrida semina individuaque proveniant.*

Attamen ad hodiernum diem, etsi ab aliquot annis simul cum Cochlearia-*officinali in Horto Conimbricensi culta sit, constanter immutatam observavi.*

Obs. Cochlearia-*acaulis* (*Clar.* Des Font. *Flor. Atl.*) *cum nostrâ non confundenda, uti ex datâ descriptione patet.*

349. BISCUTELLA.

Calyx coloratus, foliolis duobus basi gibbosis: silicula compresso-plana, supra infraque biloba, stylo coronata; bilocularis, loculis monospermis; valvulis suborbiculatis, carinato-alatis, inferne a septo ipsis contrario secedentibus.

1. BISCUTELLA *auriculata*. Linn.
B. Calycibus utrinque gibbis: siliculæ valvulis in stylum subulatum coeuntibus.
Hab. in collibus circa Olisiponem. Flor. æstate. Ann.
Caulis pedalis sesquipedalisve, hirtus, superne ramosus: folia caulina lanceolata, hirta, subintegerrima. Flores racemosi, pallide lutei. Silicula biloba, inferne emarginata, superne stylo longo, basi latiusculo, terminata, glabra, rarissime scabriuscula.

2. BISCUTELLA *lævigata*.
B. Foliis oblongis, sinuato-dentatis: petalis basi auriculatis: siliculis lævibus, membranula marginatis.
La Marck Dict. Enc.
Hab. in *Serra da Arrabida*, *Cintra*, et alibi in Extremadura. Flor. vere et æstate. Ann.

Sta-

**** *Staminibus inter se et á pistillo distinctis, tetradynamicis: fructu Siliquoso.*

CRUCIFERÆ.

(A) *Calycis foliola erecta, corollæ unguibus appressa.*

350. RAPHANUS.

Flores colore varii: siliqua teres, torosa, subarticulata, rostrata, non dehiscens: semina matura isthmis fungosis inter sese segregata, solitaria, aut bina in singulo toro.

1. RAPHANUS *sativus. Linn.*
R. Siliquis teretibus, torosis, fungosis; loculis membranaceis, clausis, duplici serie longitudinali ad dissepimentum digestis.
Lusit. *Rabão*: (var. minor) *Rabiças.*
* Coluntur nonnullæ varietates in hortis. Fl. vere. Ann.

2. RAPHANUS *Raphanistrum.* Linn.
R. Siliquis teretibus, articulatis, demum moniliformibus, glabris; articulis unilocularibus, monospermis.
Lusit. *Saramágo.*
Hab. frequens in arvis, cultis, campis Lusitaniæ fere totius. Flor. vere. Ann.
Variat floribus luteis, pallidis, omnino albis, aut albis purpureo-venosis, demum cæruleis. Siliqua mox post florescentiam bilocularis est, at semina sensim maiora reddita, dissepimentum obliterant adeo, ut unilocularis evadat.

351. ERYSIMUM.

Flores lutei: siliquæ tetraedræ, erectæ, strictæ, cauli adpressæ, aut sibi invicem approximatæ, stylo persistente acuminatæ: stigma capitatum: dissepimentum valvis contrarium.

1. ERYSIMUM *officinale*.
E. Siliquis rachi adpressis: foliis runcinatis. *Linn.*
Lusit. *Rinchão*.
Hab. freq. in ruderatis, ad vias, agros circa Conimbricam, Olisip. et alibi Flor. æstate. Ann.
Flores flavi, parvi: siliquæ vere tetragonæ.

2. ERYSIMUM *virgatum*.
E. Foliis lanceolatis, denticulatis, glabris: caule erecto, ramosissimo, virgato: siliquis strictis, stylo capitato, emarginato, terminatis.
Roth Catal. Bot. fasc. 1. *p.* 75.
Hab. circa Herminium inter *Cea* et *Sabugueiro*. Flor. Jun. Jul. Bienn.
Ex Cl. P. Link.

3. ERYSIMUM *Barbaræa*.
E. Foliis lyratis, extimo subrotundo. *Linn.*
Lusit. *Herva de S. Barbara*.
Hab. freq. prope *Obidos*, et ad Mundam prope Conimbricam. Flor. æstate. Peren.

352. CHEIRANTHUS.

Flores constanter lutei: stigma bifidum: siliquæ compressiusculæ, subtetragonæ, apice bidentatæ; inter sese aut ex rachi patulæ, vel patentes.

1. CHEIRANTHUS *Cheiri.*

C. Foliis lanceolatis, acutis, glabris: ramis angulatis: caule fruticoso. *Linn.*

Lusit. *Goiveiro amarello.*

* Colitur freq. in hortis, et in Lusitania australiori quasi spontanea ad muros hortis proximos, ut in *Palmella* et alibi occurrit. Flor. vere et æstate. Bienn. aut Peren.

Variat flore pleno. Caulis suffruticosus.

353. HESPERIS.

Flores purpurei aut albi, nec lutei: stylus nullus aut brevissimus; stigma bifidum, aut bilamellatum: siliquæ compressæ, vel cylindraceæ, (nec tetragonæ) laxæ, patulæ, aut patentes, nec erecto-congestæ; valvulis recte dehiscentibus.

1. HESPERIS *maritima.*

H. Foliis ellipticis, obtusis, subdentatis, viridibus: petalis obcordatis.

Cheiranthus-maritimus *Linn.*

* Colitur in hortis Olisipone, et spontanea occurrit ad

ad littora Tagi salsi prope *Belem*. Flor. æstate. Ann.

2. HESPERIS *littorea*.

H. Foliis lanceolatis, obtusiusculis, subtomentosis, obsolete dentatis: petalis emarginatis: siliquis cylindricis, tomentosis, apice acutis.

Cheiranthus-littoreus *Linn.*

Hab. freq. ad Tagum et in maritimis *Costa da Trafaria*, *Figueira*, *Porto* et alibi. Flor. æstate. Bienn., et interdum quasi Suffrutex.

Variat habitu minori, minus incano; caule brevi, ramoso: foliis ad basin nimis angustatis et quasi cuneatis, ad margines dente uno aliove obtuso; siliquis tenuioribus, flexis.

3. HESPERIS *lacera*.

H. Foliis lanceolatis, runcinatis: calycibus pilosis: siliquis nodosis, tridentatis.

Cheiranthus-lacerus *Linn.*

Habitare in Lusitania dicitur a Linnæo, et ejus fide hic adjungo; plantam enim in eâ nondum vidi.

4. HESPERIS *violaria*.

H. Foliis lineari-lanceolatis, integerrimis, obtusis, subincanis: siliquis apice truncatis, compressis: caule suffruticoso, basi nudo.

La Marck Dict. Enc.

Lusit. *Goiveiro encarnado.*

Cheiranthus-incanus *Linn.*

* Colitur in hortis. Flor. vere et æstate. Peren.

Variat flore pleno, et petalis albis, aut ex purpureo et albo variegatis.

5. HESPERIS *angustifolia*.

H. Foliis linearibus, angustis, subdentatis, tomentosis: floribus subsessilibus; petalis undatis: caule suffruticoso.

La Marck Dict. Enc.

Cheiranthus-tristis *Linn.*

Hab. ad Durii ripam prope *Porto*, et in maritimis prope *Cezimbra.* Flor. Jun. Jul. Suffrutex.

Flores purpurascentes.

6. HESPERIS *Alliaria.*

H. Foliis cordatis.

Lusit. *Herva Alheira.*

Erysimum-Alliaria *Linn.*

Hab. ad sepes et in umbrosis humidis *de Conraria* prope Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. æstate. Ann.

Flores albi: siliqua vere cylindrica, nec tetragona.

354. TURRITIS.

Flores albi: stigma sessile, integerrimum, obtusum: siliquæ longissimæ, lineares, compressæ, approximatæ, erectæ; valvulis dissepimento longitudine subæqualibus.

1. TURRITIS *glabra.*

T. Foliis radicalibus dentatis, hispidis; caulinis integerrimis, amplexicaulibus, glabris. *Linn.*

Hab. ad pagum *Manteigas*, et alibi circa Herminium. Flor. Maj. Jun. Bienn.

2. TURRITIS *hirsuta.*

T. Foliis omnibus hispidis; caulinis amplexicaulibus. *Linn.*

Hab. ad sepes circa Conimbricam, et alibi. Flor. Maj. Jun. Ann. aut interdum Bienn.

355. ARABIS.

Flores albi: stigma sessile, integerrimum, obtusum: siliquæ longæ, graciles, lineares, compressæ, inter sese distantes, aut é rachi racemi patentes; valvulis dissepimento longitudine subæqualibus.

1. ARABIS *Thaliana.*

A. Foliis petiolatis, lanceolatis, integerrimis. *Linn.*

Hab. freq. in arvis, vineis, ad muros, vias, circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in tota fere Lusitania. Flor. hyeme et vere. Ann.

Caules solitarii aut plures ex eadem radice, digitales, semipedales aut altiores, laxe subramosi, inferne pilosi, superne glabri. Folia radicalia in orbem posita terræque incumbentia, obtusa, lanceolata, in petiolum desinentia, piloso-scabriuscula, plerunque crenulata; caulina alterna, pauca, remota, sessilia. Racemi terminales, longi, laxi. Pedunculi solitarii, capillares, patentes, longitudine siliquæ aut paulo minores. Flores parvi. Calyx subpilosus. Petala integra, obtusa, alba. Siliquæ patentes, semiunciales aut paulo longiores, glabræ, pedunculis duplo crassiores.

356. BRASSICA.

Flores colore vario : stylus brevis ; stigma capitatum : siliquæ compressiusculæ, cylindraceæ, vel subtetragonæ, stylo rostratæ, ex rachi racemi patulæ, aut patentes ; valvulis dissepimento utrinque cuneiformi evidenter brevioribus.

1. BRASSICA *oleracea.* Linn.
B. Radice caulescente, tereti : foliis carnosis. Lusit. *Couve.*

* Colitur freq. in hortis. Flor. Maj. Jun. Jul. Biennis aut interdum Triennis aut Quadrienn.

Varietates, quæ frequentius coluntur, hæ sunt:

1.° *Brassica*-oleracea, viridis.

(a) Viridis vulgaris, alba, crassa, humilis. Lusit. *Couve verde ordinaria.*

(b) Viridis vulgaris, procerior, ramosa. Lusit. *Couve Serrana, Couve tronchuda maior, Hortos da Beira.*

Caulis quatuor, quinque, sive sex pedes altus, triennis et interdum quadriennis. Media inter Br. viridem, proceriorem, maritimam, arboream, quæ vulgo Couve giganta Ingleza, *et Br. oleraceam arvensem, quæ vulgo* Couve Colza de Flandres.

(c) Viridis, crispa, Sabauda. Lusit. *Couve Saboia, ou Murciana.*

2.° *Brassica*-oleracea, capitata.

(a) Capitata viridis, sive albida. Lusit. *Repolho ordinario.*

(b) Capitata rubra. Lusit. *Repolho roxo.*

3.° *Brassica*-oleracea, Botrytis.

(a) Botrytis cauliflora. Lusit. *Couve flor.*

(b) Botrytis cymosa, sive asparagoides. Lusit. *Brocos*, *ou Brocolos.*

4.° *Brassica*-oleracea, Napo-Brassica. Lusit. *Couve nabo.*

Radice napiformi, tres uncias lata; interdum variat radice parum crassa: folia fere Napi, sed crassiora, glabra, nec aspera.

5.° *Brassica*-oleracea, gongyloides, sive Caulo-Rapa. Lusit. *Couve rabão.*

Caulis superne sub foliis subglobose extuberat.

2. BRASSICA *Eruca.* Linn.

B. Foliis lyratis: caule hirsuto: flore pallido, venis coloratis variegato: siliquis glabris.

Lusit. *Eruca.*

Hab. prope *Pezo da Regoa* et alibi in Transmontana. Flor. Jun. Jul. Ann.

Folia subglabra. Caulis sesquipedalis, subramosus. Racemi terminales, mediocres. Petala albida ex luteo, venis nigris aut rubentibus picta. Siliquæ subunciales, subtetragonæ, rostro ensiformi, tres seu quatuor lineas longo, terminatæ.

3. BRASSICA *Pseudo-Erucastrum.*

B. Foliis pinnatifidis, laciniis dentatis: caule hispido: siliquis cylindricis, glabris. *Broter.*

Hab. in umbrosis sylvaticis circa Conimbricam, et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Ann. aut Bienn.

Radix perennis, ramosa. Caules cespitosi, sesquipedem duosve pedes longi, erecti, teretes, punctulis pilosis raris adspersi, cæterum glabri, ad basin rubri, superne ramosi; rami alterni, racemis longis laxisque terminati. Folia radicalia semipedem et ultra longa, lyrata seu pinnatifida, laciniis oblongis, obtusiusculis, sesquiuncialibus,

inæ-

inæqualiter dentatis, alternis, interrupte decurrentibus, saturate viridibus, superne hispidulis, inferne per intervalla subpilosis, petiolo canaliculato, dorso scabriusculo, hispidulo; caulina minora, sursum decrescentia, alterna, pauca, ex viridi-glauca, etiam lyrata seu pinnatifida, laciniis angustioribus, sublinearibus, nunc denticulatis, nunc integerrimis; extrema sæpius simplicia, linearia, oblonga, angustissima. Calyx tetraphyllus, foliolis erecto-clausis, tres lineas longis, acutiusculis, apice pilosis, deciduis. Petalorum laminæ subovales, tres lineas longæ, patentes, subpallidæ, venosæ, venis fuscis; unguibus erectis, stricte appropinquatis, calyce fere duplo longioribus. Quatuor filamenta maiora longitudine unguium corollæ, subpallida, post anthesin purpurea: antheræ exsertæ, luteæ, acuminatæ, reflexæ. Germen teres, fere longitudine calycis: stylus brevis, anceps, subensiformis, persistens: stigma capitatum, luteum. Siliqua teres, glabra, fusco-viridis, sesquiunciam longa, lineam lata, stylo ensiformi terminata. Semina globosa, nigra.

An varietas Brassicæ-erucastri *Linn.*?

4. BRASSICA *sabularia.*

B. Foliis radicalibus pinnatifidis, runcinatisve; laciniis ovatis, acutis, dente infimo maiori, auriculiformi: caule inferne hispido: siliquis glabris, subtorulosis, stylo ensiformi terminatis. *Broter. Phyt. Lusit. fasc.* 1. *n.* 24.

Sisymbrium-Parra *Linn.*, *et forte S. Barrelieri.*

Hab. in arvis, locisque sabulosis *de Caparica* trans Tagum, etiam frequens circa Conimbricam, et alibi. Flor. Mart. Apr. Ann.

Ca-

(B) *Calycis foliolis erecto-patulis, aut patentibus.*

357. CARDAMINE.

Flores albi, aut purpurascentes: calyx parvus, hiulcus: siliqua longa, cylindraceo-compressa, elastice dehiscens, valvulis á basi ad apicem revolutis, aut contortis; dissepimento membranaceo, valvis æquali: stigma integrum, capitatum.

1. CARDAMINE *hirsuta.* Linn.
C. Foliis pinnatis, subhirsutis; foliolis subrotundis, obtuse angulosis, extremis maioribus: floribus tetrandris.
Lusit. *Agrião menor.*
Hab. freq. in arvis, hortis, vineis, sepibus, locisque subumbrosis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in tota fere Lusitania. Flor. hyeme et vere. Ann.
Caulis sæpius quatuor ad sex uncias altus, in umbrosis tamen interdum fere pedalis, erectus, ramosus, angulosus, inferne pilosus, sursum glaber. Folia pinnata, pubescentia; radicalia foliolis ovato-subrotundis, breviter petiolatis, impari maximo, obsolete lobato; caulina pinnis angustioribus, oblongis, subintegerrimis. Flores racemosi, parvi; albi, plerunque staminibus tantum quatuor. Siliquæ erectæ, laxæ, fere unciales, glabræ.
2. CARDAMINE *pratensis.* Linn.
C. Foliis pinnatis; foliolis radicalium subrotundis, ob-

obsolete angulosis, supra subhirsutis; caulinorum lanceolato-linearibus: caule erecto.
Lusit. *Cardamina.*

Hab. in udis, pratis humidis, uliginosisque, prope pagum *Pereira* circa Conimbricam, et inter *Lousãa* et *Miranda do Corvo*, in Herminio et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. Peren.

Caulis pedalis et sesquipedalis, sæpius simplex, teres, glaber. Racemus terminalis, longus, laxus. Flores magni, purpurei, sive ex albido-purpurascentes. Siliquæ lineares, compressiusculæ. Variat foliis radicalibus sublyratis, et petalis albis.

358. SINAPIS.

Flores lutei, rarissime albi: calyx patens aut patentissimus: siliqua teretiuscula, inferne subtorosa, sæpe erecta; dissepimento valvis recte dehiscentibus valde longiori, rostriformi.

1. SINAPIS *arvensis.*
   S. Siliquis multangulis, toroso-turgidis, rostro ancipite longioribus. *Linn.*
   Hab. in arvis, et inter segetes, circa Conimbricam, Olisiponem et alibi. Flor. vere. Ann.
   Siliquæ omnino glabræ.
2. SINAPIS *orientalis.*
   S. Siliquis retrorsum hispidis, apice subtetragonis, compressis. *Linn.*
   Hab. in agris circa Olisiponem. Fl. Maj. Jun. Ann.
   Germine et siliqua retrorsum hispidis á S.-arvensi *tantummodo diversa, et illius forte varietas.*

3. SINAPIS *nigra.*

S. Siliquis glabris, racemo adpressis. *Linn.*

Lusit. *Mostarda preta, ou ordinaria.*

* Colitur in hortis. Flor. Jun. Jul. Ann.

Caulis erectus, tres, quatuor, et ultra, pedes altus, ramosus, subglaber, teres. Folia scabra, denticulata, inferiora pinnata, foliolo extimo maximo, lobato; superiora sublanceolata. Racemi terminales, longi, laxi. Flores pallide lutei. Siliquæ subtetragonæ, pedunculo valde longiores, rachi racemi adpressæ; rostro brevissimo, tetragono, glabro. Semina nigricantia, duplo minora, quàm in sequenti.

4. SINAPIS *alba.*

S. Siliquis hispidis: rostro longissimo, ensiformi. *Linn.*

Lusit. *Mostarda branca.*

Hab. in agris, vineis, collibus, circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. Ann.

Caulis sesquipedalis, bipedalis et altior, ramosus, striatus, angulosus, scaber, pilis brevibus depressis. Folia scabra, dentata, inferiora sublyrata. Racemi terminales, pedunculi fructiferi patentes. Flores flavi. Siliquæ torosæ, hirtæ, rostro longissimo, ensiformi, hispidulo, terminatæ. Semina magna generis, subflavescentia, pauca.

5. SINAPIS *lævigata?*

S. Siliquis lævibus, patulis: foliis lyratis, glabris; summis lanceolatis: caule lævi. *Linn.*

Hab. in montosis *de Gerez.* Flor. æstate. Ann.

Dubia planta, denuo observanda.

6. SINAPIS *incana.*

S. Siliquis racemo adpressis, lævibus: foliis inferioribus lyratis, scabris; summis lanceolatis: caule scabro. *Linn.*

Hab. freq. in agris sabulosis, in ruderatis, ad vias, in-

inter segetes, circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in tota fere Lusitania. Flor. Apr. usque ad Jun. Ann. aut Bienn.

Caulis bipedalis aut tripedalis, erectus, ramosus, teres, piloso-scaber. Folia radicalia lyrata, subincana, scabriuscula; caulina sublanceolata, dentata, ciliata, breviter petiolata. Flores racemosi, terminales, pedunculis brevissimis. Corolla parva, lutea. Siliquæ brevissimæ, quatuor sive quinque lineas longæ, subtetragonæ, rostro brevissimo, rachi racemi longi adpressæ.

7. SINAPIS *Napus*.

S. Radice carnosa, turbinata: foliis radicalibus lyratis, asperis; caulinis lævibus, cordato-oblongis; superioribus profunde dentatis.

Lusit. *Nabo*, var. maj.: *Nabiça*, var. min.

Brassica-Napus *Linn.*

* Colitur freq. in hortis et agris varietas maior, rarius minor. Flor. Apr. Maj. Ann. aut Bienn.

Calyx verè patens, uti etiam in sequenti.

8. SINAPIS *Rapa*.

S. Radice carnosa, orbiculari, suprà subtusque depressa: foliis radicalibus et caulinis lyratis, rugosis, asperis; summis subintegris.

Lusit. *Nabo redondo, ou Turnepo dos Inglezes.*

Brassica-Rapa *Linn.*

Brassica-asperifolia *var. γ et Sinapis*-tuberosa *La Marck Dict. Enc.*

* Colitur in hortis et agris, sed rarius, quam præcedens. Flor. Apr. Maj. Ann. aut Bienn.

Varietas esse videtur præcedentis, nam apud nos intra paucos annos simul culta, coitu florali, in ipsam mutatur. Folia radicalia et caulina sæpius similia in utrisque, et ut illa Napi, etsi maiora: radix sæpe magna, interdum diametro septemuncia-

ciali; at in plantâ cum Napis satâ demum minor evadit, et obconica fit.

359. SISYMBRIUM.

Flores lutei, aut albi: calyx hiulcus, aut patens: siliquæ teretes, aut interdum obsolete tetragonæ, ex rachi racemi patulæ, aut patentes, valvis rectis dehiscentes; dissepimento eisdem paulo longiore.

1. SISYMBRIUM *Nasturtium.*

S. Siliquis declinatis: foliis pinnatis; foliolis subcordatis. *Linn.*

Lusit. *Agrião.*

Hab. frequens in rivulis, fontibus, pratis humidis, in tota fere Lusitania. Flor. Apr. Maj. Ann. aut Bienn. *Flores albi.*

2. SISYMBRIUM *catholicum.*

S. Siliquis filiformibus, lævibus: foliis pinnatis, denticulatis caulinis. *Linn.*

Hab. freq. in agris, pascuis, herbidis, cultis, circa Conimbricam, Olisiponem et alibi, in tota fere Lusitania. Flor. vere et æstate. Ann.

Folia inferiora pinnatifida, suprema sublanceolata, omnia plus minusve dentata, nunc glabra, nunc subglabra, pilis dispersis remotis adspersa. Calyx patulus, luteus, uti corolla. Stigma late capitatum. Siliquæ unciales, compressæ, subtorulosæ, basi et apice acutiusculæ, stylo ancipite, tres lineas longo, instructæ. Nimis affinis Sisymb.-Loeselii.

3. SISYMBRIUM *Sophia.*

S. Petalis calyce minoribus: foliis decomposito-pinnatis. *Linn.*

Hab. ad Durium, præsertim prope *Barca d'Alva*, et alibi in Transmontana. Flor. Maj. Ann.

Caulis sesquipedalis, bipedalis et altior, teres, ramosus, pubescens. Folia glabra, tripinnata, pinnulis linearibus. Flores parvi. Calyx patulus, petalorum longitudine, aut vix maius. Siliquæ semiunciam longæ, obsolete tetragonæ, torulosæ.

4. SISYMBRIUM *asperum.*

S. Siliquis scabris: foliis pinnatifidis; pinnis lineari-lanceolatis, subdentatis: corollis calyce longioribus. *Linn.*

Hab. in uliginosis, in agris humidis ad Mundam, Tagum, et alibi. Flor. æstate. Ann.

5. SISYMBRIUM *erucastrum.*

S. Foliis runcinato-pinnatifidis, subhispidis: caule hispido. *Pollich. Palat. n.* 628.

Hab. prope Promontorium Lunæ, vulgo *Cabo da Rocca*, et alibi in Extremadura. Flor. vere. Ann.

6. SISYMBRIUM *Irio.* Linn.

S. Foliis runcinatis, dentatis, nudis: caule lævi: siliquis erectiusculis.

Hab. inter segetes *de Val de Pereiro*, in collibus calcareis circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. Maj. usque ad Jul. Ann.

Caulis subvillosus, sesquipedalis et altior: folia glabra: siliquæ glabræ, filiformes, suberectæ, sesquiunciales aut biunciales; stylus persistens, subnullus.

7. SISYMBRIUM *polyceratium.*

S. Siliquis axillaribus, sessilibus, subulatis, aggregatis: foliis repando-dentatis. *Linn.*

Hab. in agris prope *Gollegãa*, et alibi ad ripas Tagi. Flor. æstate. Ann.

Ex Cl. Com. Hoffmansegg.

560. CLEOME.

Flores colore vario: calyx patens: glandulæ tres globosæ sub tribus foliolis calycinis superioribus: petala adscendentia: stamina declinata: stigma capitatum, sessile: siliqua unilocularis, cylindracea, bivalvis.

1. CLEOME *violacea*.

C. Floribus hexandris: foliis ternatis, solitariisque; foliolis lanceolato-linearibus, integerrimis. *Linn.*

Hab. in sabulosis, vinetis *de Almada* et *Caparica* trans Tagum, etiam prope Conimbricam ad Mundæ ripas arenosas. Flor. æstate. Ann.

Caulis pedalis et altior, viscoso-pubescens, ut tota planta. Foliola subæqualia; floralia simplicia. Calycis foliola lutescentia, apicibus purpurascentibus. Petala duo superiora purpurascentia, ex flavo maculata; duo altera cordata, crenulata. Receptaculum glandulis tribus flavis, globosis, instructum. Siliqua teres, biuncialis et longior, glabra: ideo Cleome-violacea *Clar. Gaertner De Fruct. et Sem. tom. 1. p. 368. tab. 76. fig. 6. á nostra stirpe longe diversa est.*

***** *Staminibus inter se coalitis, aut pistillo insertis.*

361. FUMARIA.

Calyx minimus, diphyllus: corolla tetrapetala, ringens, postice calcarata: staminum filamenta composita duo, singula antheris tribus.

1. FUMARIA *bulbosa.*
   F. Caule simplici: bracteis longitudine florum. Lusit. *Fumaria bolbosa.*
   Fum.-bulbosa *cava maior Linn.*
   Hab. in umbrosis sylvaticis ad *Serra do Rebordão* prope *Bragança* in Transmontana. Flor. Apr. Maj. Peren.
   Com. primùm a Cl. Com. de Hoffmansegg.

Radix subglobosa, primum solida, demum cava. Caulis plerunque fere pedalis, interdum altior, erectus, glaber, striatus, simplex. Folia tantum duo, alterna, petiolata, decomposita, foliolis incisis. Racemus brevis, secundus. Bractea ad quemvis florem solitaria, floris longitudine aut paulo brevior, ovato-lanceolata, integerrima. Corolla ex albo et purpureo variegata, aut omnino alba. Secundum Grisley occurrit etiam varietas minor, quæ bracteas habet pedunculo valde breviores, cuneiformes, dentatas aut incisas, et toto habitu minor est.

2. FUMARIA *officinalis.*
   F. Pericarpiis monospermis, racemosis: caule diffuso. *Linn.*

Lu-

Lusit. *Fumaria, ou Herva Molarinha ordinaria.*

Hab. ad vias, in arvis, hortis, cultis, frequens in tota Lusitania. Flor. Maj. Jun. Ann.

Caulis semipedalis, pedalis aut paulo altior, angulosus, ramosus, diffusus, rigidiusculus. Racemi laterales et terminales, digitales.

3. FUMARIA *capreolata.*

F. Pericarpiis monospermis, racemosis: foliis scandentibus, subcirrhosis. *Linn.*

Lusit. *Fumaria maior, Herva Molarinha maior.*

Hab. ad sepes, et in subumbrosis, præsertim in Lusitania boreali. Flor. vere. Ann.

*Caulis duos ad sex pedes longus, ramosus, longe diffusus, debilis, tenerrimus, nunquam per se erectus, sed scandens, mediis petiolis foliorum longis, cirrhos agentibus. Racemi fere semper laterales. Flores et fructus illis præcedentis similes. Cum Cl. La Marck, Fumariæ-*officinalis *varietatem maiorem esse opinor.*

3. FUMARIA *claviculata.*

F. Siliquis linearibus: foliis cirrhiferis. *Linn.*

Hab. in umbrosis humidis et ad sepes prope *Sabugueiro* in Herminio, circa *Moimenta*, et ad muros circa Braccharam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. Jun. Jul. Ann.

Caulis sesquipedalis, bipedalis et longior, ramosissimus, angulosus, cirrhis foliorum terminalibus sensim scandens, et plantis vicinis adhærens. Folia pinnata aut bipinnata, foliolis longe petiolatis, acutis, ovatis, seu ovato-lanceolatis. Racemi oppositifolii, longe pedunculati. Flores ex albo-flavicantes. Siliqua oblonga.

4. FUMARIA *spicata.* Linn.

F. Siliculis ovatis, compressis, marginatis, monos-

nospermis: spica ovali, densa; floribus pendulis: foliolis filiformibus.

Hab. inter segetes ad arcum *do Carvalhão* prope Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. Maj. Jun. Ann.

Planta tota glauca. Caulis semipedalis aut paulo altior, erectus, angulosus, subramosus. Foliorum foliola filiformia. Flores densissime spicati, inferiores cernui: corolla ex albo purpurascens, apice nigricans.

5. FUMARIA *parviflora.*

F. Siliculis globosis, monospermis: foliis tenuissime divisis, laciniis ultimis angustis, subsetaceis.

La Marck Dict. Enc.

Hab. in agris circa Olisiponem, et alibi in Extremadura. Flor. vere et æstate. Ann.

Planta glauca. Caulis pedalis et longior, diffusus, procumbens, cùm foliorum petiolis non adhæreat plantis vicinis. Flores laxiuscule spicati. Corolla albo-virescens, apice nigricans.

362. ARISTOLOCHIA.

Calyx nullus: corolla supera, monopetala, tubulosa, basi ventricosa, apice in ligulam integerrimam dilatata: antheræ sessiles: stylus nullus; stigma subglobosum, concavum, sexfidum: capsula sexlocularis.

1. ARISTOLOCHIA *Pistolochia*.
A. Foliis cordatis, crenulatis, subtus reticulatis, petiolatis: floribus solitariis. *Linn.*
Lusit. *Pistolochia*, *ou Aristolochia menor*.
Hab. prope *Punhete* ad fluvii *Zezere* ripam in Extremadura, et circa *Portalegre*, *Marvão* et alibi in Transtagana. Flor. Jun. Jul. Peren.

2. ARISTOLOCHIA *longa*.
A. Foliis cordatis, petiolatis, integerrimis, obtusiusculis: caule infirmo: floribus solitariis. *Linn.*
Lusit. *Aristolochia longa*, *Herva Bicha dos hervolarios*, *ou Estrellamim*.
Hab. ad ima collium in umbrosiusculis, circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. vere et æstate. Peren.

3. ARISTOLOCHIA *subglauca*.
A. Foliis cordatis, obtusis, subtus glaucis: caulibus angulatis, fruticulosis: tubo floris versus apicem ampliato, oblique truncato, recurvo.
La Marck Dict. Enc.
Hab. circa *Monchique*, *Lagos*, *Faro*, *Tavira* et alibi in Algarbiis. Flor. æstate. Peren.

SECTIO II. DICLINA.

363. PHOENIX.

Flores dioici: spatha monophylla: spadix ramosus.

Masc. Perianthium minimum, tripartitum, persistens: corollæ petala tria, oblonga, calyce triplo longiora: stamina petalis paulo breviora.

Fœm. Calyx ut in *Masc.*: corollæ petala tria, ovato-obtusa, calyce duplo longiora: germen superum; stigma simplex, acutum: bacca subovalis, monosperma: semen oblongum, integumento crustaceo, albumine durissimo, hinc unisulcato, inde convexo; embryo in medio seminis dorso horisontaliter locatus.

1. PHOENIX *dactylifera.*

P. Foliis pinnatis; foliolis ensiformibus. *Linn.*

Lusit. *Palmeira de Igreja*, ou *Tamareira.*

* Colitur in hortis in tota fere Lusitania, maxime in Transtagana et Algarbiis. Flor. vere. Arbor procera.

364. TAMUS.

Flores dioici.

Masc. Calyx nullus: corolla sexpartita, campanulato-patens: staminum filamenta corolla breviora.

Fœm. Calyx nullus: corolla ut in *Masc.*: germen inferum; stigmata tria: bacca trilocularis, loculis di-aut trispermis.

1. TAMUS *communis.*

T. Foliis cordatis, indivisis. *Linn.*

Lusit. *Norça preta.*

Hab. frequens ad sepes circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi. Flor. vere. Peren.

Radix crassa, fusiformis. Caulis volubilis, gracilis, ramosus, scandens absque cirrhis. Folia cordata, glaberrima, nervosa. Flores spicati, axillares.

ORDO II.

DISTYLIA.

365. ORYZA.

Calyx gluma bivalvis, uniflora: corolla bivalvis, valvis navicularibus, semini adnatis, exteriore striata, aristata: nectarium diphyllum, minimum, foliolis truncatis.

1. ORYZA *sativa*. Linn.
Lusit. *Arroz da terra*.
* Colitur in uliginosis et stagnantibus infra *Montemór o velho* in Beira; circa *Sines*, *Grandola* et *Comporta*, et alibi in Transtagana. Flor. æstate. Ann.
Flores paniculati.

ORDO III.

TRISTYLIA.

SECTIO I. MONOCLINA.

366. COLCHICUM.

Calyx spatha: corolla sæpe monopetala, sexpartita, tubo radicato, longissimo; rariùs hexapetala, unguibus radicatis, longissimis: capsulæ tres, inflatæ, basi in unam coalitæ, polyspermæ.

1. COLCHICUM *multiflorum.*

C. Foliis radicalibus sublinearibus; caulinis similibus, involucriformibus, caule longioribus: corollarum tubo longissimo. *Broter.*

Hab. in Beira, præsertim boreali. Flor. Sept. et Oct., mox post aquas æquinoctiales. Peren.

Flores sæpius tres ex eodem bulbo, et intra eandem spatham. Corolla purpurea, nervosa, nervis undulatis. Capsula terminalis. Caulis unus alterve fructificans, triuncialis supra terram, aut paulo altior. An C.-montani *varietas?*

2. COLCHICUM *bulbocodioides.*

B. Caule brevissimo, unifloro, basi triphyllo: foliis linearibus, patentissimis: corolla hexapetala; unguibus longissimis. *Broter.*

Hab. in collibus calcareis circa Conimbricam, et alibi in Beira meridionali, et Extremadura. Flor. Sept. et Octobr., mox post aquas æquinoctiales. Peren.

Radix bulbosa; bulbus solidus. Vetus in anthesi plantæ ovatus, magnitudine nucis avellaneæ, undique albus; hinc convexus et obsolete striatus, basi unguiculatus, paulo supra unguiculam umbilicatus, umbilico fusco, rotundo, radiculis emortuis præteriti anni munito, apice acutus, vage et irregulariter excavatus, residuisque fibrosis pristini caulis instructus; inde verticaliter canaliculatus, basi canaliculi unguiculo opposita, novumque bulbum semiamplexante: extus nonnullis tunicis siccis, fuscis (quæ anno præterito spatha et imi folii vagina præsertim fuerant) vestitus. Habitu et usu non absimilis vitello aut etiam cotyledoni, utrique in Monocotyledonibus laterali; cùm suis succis novum bulbum plantulamque nutriat, sensim ipsis exhauriatur et in rugas contrahatur, donec tandem in illius provectiori ætate arescat, putreat. Bulbus novus in anthesi plantæ, ovato-subrotundus, albus, vix lineam longus, apice in cauliculum terminatus, basi unguiculo oblique intus adhærens, extus pectinatim rhizophorus. Caulis in anthesi subterraneus, albus, subteres, filiformis, superne ad fructificationis receptaculum incrassatus, semiuncialis uncialisve, paulo infra medium nodulo instructus, incurvus, canaliculoque bulbi prisci lateraliter incumbens, basi novo bulbo insertus, exterius tunicis siccis, veteri bulbo communibus, spathaque sicca, obtectus, intus spatha viridi nova, vaginaque folii infimi et laminis foliorum vestitus. Spatha nova albida, membranacea, striata, nervosa, cylindrica, ex basi novi bulbi exorta, apice modice hinc scissa, inde obtusa, ungues petalorum connectens, et ipsorum fere longitudine, extus veteri spatha foliisque siccis anni præteriti obtecta.

Folia tria, æqualia; in anthesi intra spatham recondita, scapum et ungues petalorum inferne tegentia;

tia; unum infimum, ex basi novi bulbi exortum, istum et cauliculum usque ad ejus nodulum vaginans, (vagina albida, tubulosa, postea albido-viridi) lineare, apice obtusum, hinc concavum inde convexum, unam lineam latum, unam unciam et ultra longum; duo alia ex nodulo caulis exorta, subopposita, sessilia, basi caulem amplexante coalita, quoad cætera infimo similia. Flos unicus in apice caulis. Perianthium nullum. Corolla hexapetala (vere Bulbocodii)*; petalorum laminæ lineari-lanceolatæ, purpurascentes, erecto-patulæ, sesquiunciam longæ, duas lineas cum dimidia in medio latæ, extus subcarinatæ, intus subcanaliculatæ; unguibus albis, duas uncias et ultra longis, obsubulatis, receptaculo sub basi germinis disjunctim insertis. Stamina sex, quorum filamenta apici unguium petalorum inserta; filiformia, albida, ad basin sublutea, antheris paulo breviora: antheræ suberectæ, lineares, luteæ, biloculares, quinque lineas longæ, lamina petalorum summopere breviores. Germina tria, contigua in formam ovato-subulatam obtuseque trigonam, subterranea, supera, apici cauliculi superimposita. Styli tres, filiformes, albidi, longitudine fere antherarum; singulo stigma unicum, fuscum, concavum, lente visum obsolete bilabiatum. Capsulæ tres, subulatæ, polyspermæ, uniloculares, introrsum dehiscentes.*

Obs. Corolla Bulbocodii, *reliqua* Colchici, *et pro Colch.*-montano *sæpius sumitur. Bulbuli aliquot, qui ad folia sicca spathamque priscam interdum occurrunt, non ex caule, nec ex veteri bulbo, sed ex seminibus, proveniunt.*

367. TRIGLOCHIN.

Calyx nullus: petala sex, duobus ordinibus alternatim disposita, unguibus inflexis, antheriferis: germina tria aut sex; stigmata totidem, sessilia: capsula basi dehiscens, loculis monospermis.

1. TRIGLOCHIN *palustre*. Linn.

T. Floribus trigynis: capsulis trilocularibus, sublinearibus, trigonis.

Hab. in udis prope *Setubal.* Flor. Jun. Jul. Bienn.

Radix bulbosa. Folia linearia, carinata, canaliculata. Scapus simplex, erectus, subtrigonus, semipedalis et altior. Flores exigui, terminales, brevissime pedunculati, ebracteati.

2. TRIGLOCHIN *maritimum*. Linn.

T. Floribus hexastylis: capsulis ovatis, hexagonis, sexlocularibus.

Hab. in paludosis maritimis prope *Aveiro.* Flor. Jun. Jul. Peren.

Antecedente partibus omnibus maius. Scapi plures ex eadem radice, semicylindrici, superne angulosi, sulcati. Folia carnosa, semicylindrica. Antheræ tres inferiores pollen prius ejaculant, quam superiores, sicut etiam petala tria inferioris ordinis prius reflectuntur, quam superiora. Variat floribus pentastylis, et capsulis quinque.

368. RUMEX.

Calyx triphyllus: petala tria, conniventia: semen triquetrum, corolla conivente tectum.

(A) *Floribus hermaphroditis : valvulis, seu petalis, granulo notatis.*

1. RUMEX *crispus*. Linn.
R. Petalis integerrimis : foliis lanceolatis, undulatis, acutis.
Habitare fertur in humosis in Extremadura. Flor. Jun. Jul. Peren.
Simul cum isto et Rum.-pulchro *habitare etiam fertur R.*-conglomeratum (*Murray*), *floribus hermaphroditis, petalis integerrimis, oblongis, graniferis : foliis lanceolatis, subundulatis. Ambæ hæ stirpes mihi nondum occurrerunt.*

2. RUMEX *pulcher*. Linn.
R. Petalis dentatis, subunico granifero : foliis radicalibus panduriformibus.
Lusit. *Labaça sinuada.*
Hab. freq. in ruderatis, herbidis, pratis, in tota fere Lusitania. Flor. æstate. Peren.
Folia radicalia panduriformia, omnino viridia; caulina lateribus non sinuata, ovato-oblonga, integra. Rami floriferi recurvati. Calycis foliola et corollæ petala obtusa, dentata; ex granulis vix unicum perfectum, duo obsoleta. Variat 1. *foliis radicalibus obtusis, leviter sinuatis, viridibus :* 2. *foliorum radicalium costâ et venis atro-rubris.*

3. RUMEX *obtusifolius*. Linn.
R. Petalis dentatis : foliis cordato-oblongis, obtusiusculis, crenulatis.

Lusit. *Labaça obtusa*, ou *Labaçol.*

Hab. in uliginosis, ad fossas, rivulorumque margines, circa Conimbricam, et alibi in Lusitania boreali. Flor. æstate. Peren.

Caulis tri sive quadripedalis, glaber, teres, sulcatus, ramosus. Folia radicalia pedalia, venosa; caulina inferiora cordato-oblonga, superiora lanceolata, acuta. Corolla inæqualiter dentata, granulis oblongis. Variat foliis radicalibus acutis, et tunc vix a R.-acuto *distinctus.*

(B) *Floribus hermaphroditis : petalis non graniferis.*

4. RUMEX *bucephalophorus*. Linn.

R. Floribus ternis; petalis dentatis: pedicellis planis, reflexis, incrassatis.

Hab. freq. in agris sabulosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira et tota fere Lusitania. Fl. Maj. usque ad Jul. Ann.

5. RUMEX *Tingitanus*. Linn.

R. Petalis cordatis, obtusis, integerrimis : foliis hastato ovatis.

Hab. prope *Pezo da Regoa*, et alibi in Transmontana. Flor. æstate. Peren.

Caules ramosi. Folia petiolata, ovata, acuminata, subscabra, basi subhastata, juxta basin interdum erosa, margine scabra. Racemi longi, floribus quinis seu ternis ad singulos rachis dentes.

6. RUMEX *scutatus*. Linn.

R. Petalis subrotundis, calyce minoribus : foliis cordato-hastatis, glaucis : caule tereti.

Lusit. *Azeda Romana.*

Hab. ad muros, acervos lapidum, sepes, circa Conimbricam, *Porto*, in Algarbiis et alibi. Fl. Jul. Aug. Peren.

Flo-

(C) *Floribus diclinis.*

7. RUMEX *spinosus.* Linn.
R. Floribus monoicis; fœmineorum calycibus reflexo-uncinatis, pungentibus.
Hab. in ora maritima *da Trafaria* et prope *Belem* ad Tagum salsum. Flor. æstate. Ann.

8. RUMEX *Acetosa.*
R. Floribus dioicis: foliis oblongis, sagittatis. *Linn.*
Lusit. *Azedas.*
Hab. freq. in pratis, ad sepes, rivulos, circa Conimbricam et alibi in Beira et Lusitania boreali. Flor. Maj. usque ad Jul. Peren.

Colitur etiam in hortis varietas maior, vulgo Azedas hortenses.

9. RUMEX *Acetosella.*
R. Floribus dioicis: foliis lanceolato-hastatis. *Linn.*
Lusit. *Azedinhas.*
Hab. freq. in arvis arenosis, circa Conimbricam, et alibi in Beira. Flor. Maj. Jun. Peren.

SECTIO II. DICLINA.

369. VERATRUM.

Flores Polygami monoici.

Masc. Nonnulli infra hermaphroditos in eadem planta, istis omnino similes, sed pistillo obsoleto.

Herm. Calyx nullus: corolla hexapetala, persistens: capsulæ tres, basi coalitæ, uniloculares, introrsum dehiscentes, polyspermæ: semina margine membranaceo cincta.

1. VERATRUM *album.* Linn.

V. Racemo supradecomposito: corollis erectis.
Lusit. *Helleboro branco.*

Hab. in *Valle da Espera*, ad vicum *Sabugueiro* et alibi circa Herminium. Flor. Jun. Jul. Peren.

Folia ovata, nervosa, striata et quasi plicata, vaginis oblongis. Flores albo-virides, in racemulis inferioribus masculi, in supremis hermaphroditi.

370. SMILAX.

Flores dioici.

Masc. Calyx nullus: corolla hexapetala, patens.

Fœm. Calyx nullus: corolla ut in *Masc.*: germen superum: bacca trilocularis, loculis monospermis?

1. SMILAX *aspera.*

S.

S. Caule aculeato, angulato: foliis dentato-aculeatis, cordatis, novemnerviis. *Linn.*
Lusit. *Legacão, Salsa parrilha do Reino.*
Hab. freq. ad sepes in tota Lusitania. Flor. Aug. et Sept. Frutex.
Variat foliis angustis et latis.

371. CHAMOEROPS.

Flores Polygami dioici: spatha monophylla; spadix ramosus.
Hermaph. Perianthium triphyllum, minimum: corolla tripetala: stamina sex, monadelpha: germina tria, supera, tubo staminum cincta: baccæ tres, parvæ, subglobosæ, monospermæ: semen subglobosum, integumento crustaceo, albumine durissimo, embryone laterali.
Masc. in distincta planta, hermaphroditis similes; sed absque pistillis.

1. CHAMOEROPS *humilis.*
C. Foliis palmatis, plicatis, petiolis spinosis. *Linn.*
Lusit. *Palmeira das vassoiras.*
Hab. freq. in collibus et dumetis Algarbiorum spontanea. Flor. vere. Frutex sæpius bi-tripedalis, et nunquam in Algarbiis ad hominis altitudinem accedere ullibi vidi.

ORDO IV.

POLYSTYLIA.

372. ALISMA.

Calyx triphyllus: corolla tripetala: germina plura, quàm quinque: semina plura, in receptaculo communi aggregata.

1. ALISMA *Plantago.* Linn.

A. Foliis ovatis, acutis: caulibus paniculatis: capitulis capsularum globoso-trigonis.

Lusit. *Tanchagem d'agua.*

Hab. frequens in fossis udis, paludosis, stagnantibus, et ad fluviorum ripas. Flor. Jun. Jul. Aug. Peren.

Folia nervosa, integerrima, glabra. Caulis erectus, obtuse trigonus, sesquipedalis, bipedalis et altior. Rami et pedunculi verticillati. Flores carnei. Capsulæ quindecim ad viginti, in capitulum globoso-trigonum congestæ. Variat habitu minori, foliisque interdum ovato-subcordatis, attamen distincta ab Alismate-parnassifolio.

2. ALISMA *Damasonium.* Linn.

D. Foliis cordato-oblongis: floribus hexagynis: capsulis subulatis, stellatim divergentibus.

Hab. in fossis et stagnantibus ad pagum *Pereira* et alibi circa Conimbricam. Flor. æstate. Peren.

Scapi teretes, semipedales aut paulo altiores, substriati, glabri. Verticilli duo, rarius tres, triflori. Bracteæ tres vel quatuor ad basin verticillorum, lanceolatæ. Flores albidi. Pistilla sex ad

oc-

octo, totidemque capsulæ, in stellam dispositæ; singulæ subulatæ, tres sive quatuor lineas longæ.

3. ALISMA *ranunculoides.*

A. Foliis lineari-lanceolatis: fructibus globoso-squarrosis. *Linn.*

Hab. in aquosis, ad fluvii Vaccæ ripas, in agrorum Conimbricensium fossis udis, et alibi in Beira. Flor. æstate. Ann.

Scapi plerunque solitarii, raro duo tresve ex eadem radice fibrosa, semipedales. Flores in umbellam simplicem terminalem dispositi, rarius in lateralem et terminalem. Pedunculi inæquales, uniflori. Petala carnea, crenulata, ungue lutescente. Capsulæ duodecim ad octodecim, parvæ, acuminatæ, in capitulum globosum glomeratæ.

4. ALISMA *repens.*

A. Caulibus subrepentibus, adscendentibus, ad nodos inferiores radicantibus, et foliosis; foliis lanceolatis, petiolatis: verticillis simplicibus. *La Marck Dict. Enc.*

Hab. raro in humosis humentibus, prope Conimbricam. Flor. Jun. Jul. Peren.

Caules filiformes, semipedales aut paulo longiores, repentes, ad nodos radicantes et floriferi, uno alterove folio præditi, demum adscendentes. Folia omnia ovato-lanceolata, acuta, integerrima, longe petiolata, nervosa. Pedunculi ex quovis geniculo caulis, unus, duo ad quatuor, sesquiunciales, aut biunciales, inæquales, biflori. Flores ex albo-purpurascentes. Pistilli sex ad octo; capsulæ totidem, parvæ, mucronatæ, in capitulum subrotundum congestæ. Alismati-natanti *nimis affinis, et illius forte varietas.*

FINIS.